

MONARCHIAE
ECCLESIASTICAE
EX SCRIPTIS M.
ANTONIJ DE
DOMINIS...

John Floyd, Marcantonio De
Dominis, ...





Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

13 - 20. 6. 58.

28. 6. 58

28
16

2. 8
\$
12

MONARCHIÆ
ECCLESIASTICÆ
ex legato EX SCRIPTIS *Officij Ecclesiæ*

M. ANTONII
DE DOMINIS
EX-ARCHIEPISCOPI
SPALATENSIS.

DEMONSTRATIO,
DVOBVS LIBRIS COMPREHENSA.

S E V

*Respublica Ecclesiastica M. Antonij de Dominis, per ipsum
à fundamentis euersa.*

AVCTORE,

FIDELI ANNOSO VEREMENTANO

Theologo. Aut: est
P. Antonius Joannes Floidus SJ



COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Sumptibus BERNARDI GVALTERI.

ANNO M. DC. XXII. +

Auctor D. Floidus

APPROBATIO.

Væcunque libro hoc continentur, ea re-
ligioni Catholicae & bonis moribus sunt
conformia. Scriptum Coloniae. II. Aprilis

1622.

Henr. Francken Sierstorffius
S. Th. Doct. Reg. Laurent.
librorum Censor.

Quodlibet libro, quod in Coloniae
impresso est, non poterit nisi per
laureatum librorum censorum appro-
batum, non poterit nisi per
laureatum librorum censorum appro-
batum, non poterit nisi per
laureatum librorum censorum appro-
batum, non poterit nisi per
laureatum librorum censorum appro-

batum, non poterit nisi per
laureatum librorum censorum appro-

P RÆ F A T I O.

LECTOR BENEVOLE

M Antonius de Dominis *cœpit*
adficare turris nouam Rem-
public, Ecclesiasticam : quo
successus & non potuit consummare.
Ridendus sanè qui tam malè
supputauit : at hoc ipso innui
videbitur, quasi saltem aliquam eius partem
consummauerit. Nec hoc illi conuenit. Quid
igitur? Cœpit adficare nouam Rempubl. Ec-
clesiasticam, & simul cœpit eam destruere.
Nec enim citius fundamentum posuit, quam
illudmet euertit. Nolim solis meis verbis
credas, tantum librum istum peruolue, in
quo inuenies plus quā trecentas dictorum M.
Antonij repugnantias clarissimas ; atque eas
non qualescunque, sed vti dixi, fundamen-
tales. Si suspicatis de malâ fide Auctoris, præter
ipsa verba citata, habes etiam librum, caput,
numeruin, quibus dicit & contradicit, adno-
tata: age, fidem probes, si placet; inquiras; & si
aliter inuenis, malè fidei arguas.

Dolebis fortè, Lector amice , quòd ad tam
pulchrum spectaculum non prius admissus
fueris: & sortè cum Auctore aliquatenus ex-
postulabis; vel quòd non prius ad scribendum

se dederit; vel quòd scriptum suum non citius absoluerebat. At enixè abs te peto, vt Auctorem omni omnino culpa absoluas. Iam enim biennium effluxit, quòd opusculum hoc pènes me habui, varijs alijs occupationibus præpeditus, cur non ante in lucem emittere potuerim, & profecto iam dolco per me, measque rationes factum, cur tam elaboratum, accuratumque opus, quo ad Catholican veritatem stabiendum, & superbū Apostatam confundendum nihil efficacius, non citius communi bono lucem aspicerit. Quod damnum coleuius, beneuole Lector, feres, quod ab eodem auctore propediem alios contra M. Antonium libros expectabis. Interim Vale & fruere.

INDEX



INDEX CAPITVM

ET ARTICVLORVM

Simul continens dispositionem totius libri, & summam omnium principalium eius membrorum.

L I B E R P R I M V S.

De Primatu Monarchico, per Christum
instituto in Petro.

C A P V T P R I M V M.

De forma Regiminis Ecclesiastici
à Christo instituta.

PRIMVM Fundamentum M. Antonij. Christum esse totius Ecclesiae Monarcham, nec aliam veram formā regiminis in ea querendam, n. 1

Hac forma Regiminis Ecclesiastici, ab Antonio conficta, ex proprijs ipsius dictis refutatur.

A R T I C . I . In ea instituendā & configendā sibi ipse non constat, n. 2. 3. 4

Est stulta, confusa, & à sapientibus damnata, nū. 5. 6. 7

Est heretica & impia, n. 8. 9

Est monstrum ex rebus diuersis, & inter se contrarijs conflatum, n. 10. 11

A R T I C . II . Falsum esse, quod Ecclesia gubernatores non habeant ullam veram iurisdictionem, ostenditur ex septē M. Antonij contradictionibus, n. 12. 13. 14. 15.

16. 17. 18

INDEX CAPITVM

ARTIC. III. *Christum Lc. 22: per haec verba, Reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic, non reprobasse in Ecclesia primatum ostenditur n. 19. 20. 21*

Adduntur duo corollaria ex toto capite, n. 22

C A P V T II.

Primatus Petri verus & monarchicus probatur ex reiectione primatus conficti, nimirum voluntariæ delationis Apostolorum ob personalia Petri priuilegia.

SECUNDVM Fundamentum M. Antonij. Primatus Petri Personalis, n. 1.

Euertitur per ipsummet Anton. n. 2

ARTIC. I. *Quia per ipsum nō est de fide, Petrum habuisse aliquem primatum seu prerogativam personalem, propter atatem, n. 3. 4. 5. 6*

ARTIC. II. *Nec propter primā vocat' onē, n. 7. 8. 9. 10. 11. 12*

ARTIC. III. *Nec propter charitatem & virtutes Petri, n. 13. 14. 15. 16*

Nec propter familiaritatem cum Christo, n. 7

ARTIC. IV. *Nec propter voluntariam delationem Apostolorum, ut nimirum eorum procurator esset, n. 8. 19. 20. 21*

C A P V T III.

Monarchicus Petri Primatus ex Euangelio probatur, varijs Antonij tergiuersationibus reiectis.

TERTIVM Fundamentum Antonij. *Loca Euangelica pro petri primatu non esse clara, sed varias interpretationes cit: a Primatum admittere, n. 1*

Euerti-

ETIARTICVLORVM.

Eueritur ex ipsius Antonij dictis, per sex propositiones sequentes inde demonstratas.

ARTIC. I. In bac Pronissione Euangelicâ Tu es Petrus &c nefas est aliquid excluso Petro ponere Ecclesia Petram. Adduntur duo corollaria, n. 2. 3. 4. 5

ARTIC. II. Expositio S. Augustini, que Christum facit Ecclesia petram, non excludit personam Petri. probatur ex quinque dictis, n. 6. 7. 8. 9. 10

ARTIC. III. Officium fundamenti Ecclesia non est meri ministerij, sed iurisdictionis Gregorius: praesertim circa questiones fidei definiendas, n. 11. 12. 13. 14

ARTIC. IV. Fides ponitur à Patribus Ecclesia fundatum sine exclusione Petri, 15. 16. 17. 18. 19. 20

ARTIC. V. Ex solus Christi verbis promissorijs primatus Petri sufficienter colligitur, etiam si ei exhibitus nusquam in Euangelio legeretur, n. 21. 22. 23.
24. 25

ARTIC. VI. Per hac verba, Pasce oves meas, Petro traditur potestas iurisdictionis in omnes Christi fideles, etiam Apostolos, n. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33

C A P V T . IV.

Promissa & data Euangelica de officio fundamenti, & Pastoris, & potestatem clavium, esse singularia vni Petro.

QVARTVM Fundamentum M. Antonij. Petrum in promissis & datis Euangelicis verè & propriè exui suā personā, & tantū esse figuram Pastorū Ecclesie. Eueritur per sequentia, ex ipsius dictis imprimis, & S. Augustino explicata.

ARTIC. I. Petrus in locis Euangelicis non exiuitur verè & propriè suā persona, n. 2. 3. 4. 5. 6

ARTIC. II. Quid sensu dicatur Petrus vel dici possit Ecclesia persona publica & figura, n. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13
14. *

INDEX CAPITVM

- ARTIC. III. Petrus iure diuino tanquam persona publica & Monarcha representabas totam Ecclesiam, nu. 15.16.17.18
- ARTIC. IV: Ob quod mysterium Augustinus faciat Petrum personam & figuram totius Ecclesiae, nu. 19. 20.21.22.23
- ARTIC. V. Qua fuerit Augustini sententia de Petri, Romaniq[ue] Pontificis primatu, n. 24.25.26 27.28 Ferocia Antonij circa Augustinum, n. 29.30.31
-

C A P V T V.

Patres, præsertim verò Cyprianus, cùm dicit vni Petro traditas esse claves, ob mysterium unitatis Ecclesiae, intelligunt eum fieri Ecclesiæ Monarcham.

QVINTVM Fundamentum M. Antonij. primatus Petri mysticus, propter unitatem mysticam designandam. n.1 2.3.4

Euertitur per sequentia, ex ipsius dictis imprimis, & B. Cypriano demonstrata.

ARTIC. I. Mysterium unitatis, quod Antonius ex Cypriano fingit, Cypriani textum destruit. falsa contra Euangelium assunxit, contra authorē pugnat, & Monarchiam Petri afferit, nu. 5.6.7.8.9.10

ARTIC. II. Verus sensus Cypriani traditur, qui Petri primatum Monarchicum præ ceteris Patribus gravissime afferit & illustrat, n.11.12.13

ARTIC. III. Tria Corollaria ex verbis Cypriani deducuntur, quibus mens illius clarior redditur, n.14. 15.16.17.18.19

ARTIC. IV. Ex doctrinâ explicatâ Cypriani, quedam loca Patrum pro Petri primatu, alioqui obscuriora, elucidantur, n.20.21.22.23.24.25

CA-

ET ARTICVLORVM.

C A P V T VI.

Explicatur quâ ratione vera paritas Apostolorum cum Petro, vero Petri supra ipsos Primatui non repugnet.

SEXTVM Fundamentum M. Antonij. Paritas Apostolorum cum Petro, n.1.2

Euertitur ab ipso Antonio, & ex ipsa rei natura, per membra sequentia.

ARTIC.I. Tam in S. Scriptura, quam in Patribus, Petri primatus potius, quam omnimoda Apostolorum paritas stabilitur, n.3.4.5.6.7.8.9.10.11

ARTIC.II. Vera paritas Apostolorum cum Petro, non pugnat cum vera huius superioritate super illos, sed facile cum ea conciliari potest, n.12.13.14.15.16.17.18.19

ARTIC.III. Inter Apostolos omnes, fuit absque illis essentiali differentia equalitas honoris & potestatis, & quidem in uniuersam Ecclesiam, n.20.21.22.23.24.25.26.27.28

ARTIC.IV. Antonius sic Apostolis tribuit paritatem potestatis cum Petro, quoad speciem, ut Petro tribuat in eadem specie potestatis Principatum, adeoq; eum Monarchiam facit, quemadmodum Catholici, quod deducitur ex quatuor ipsius testimonijis, n.29.30.31.32.33.34.35.36

ARTIC.V. Ex dictis tria Corollaria inferuntur pro Primatu Petri clarè afferendo, n.37.38.39

C A P V T VII.

Petrum primatum in Ecclesia primitiuæ exercuisse,

SEPTIMVM Fundamentum M. Anton. Monarchiam Petri per mille à Christo annos incognitam fuisse.

INDEX CAPITVM

Eueritur ab ipso in membris sequentibus.

ARTIC. I. Tredecim loca Patrum, quæ Antonius assert contra primatum Petri, partim cum dictis ipsius pugnant, partim primatum Petri potius probant, partim nihil omnino sunt ad rem, n. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10.

ARTIC. II. Petri verum primatum antiquæ & primitiæ Ecclesiæ cognitum fuisse, quatuor argumentis ex Antonii dictis ostenditur, n. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23.

ARTIC. III. Petrum in primitiâ Ecclesiæ Monarchicum principatum cessisse & exercuisse, per quatuor signa ex Actis Apostolorum, ab ipso Antonio stabilita, probatur, n. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32.

ARTIC. IV. Potestatem & autoritatem Pauli nullo modo primatui Petri obesse ostenditur, n. 33. 34. 35. 36. 37.

ARTIC. V. De blasphemis M. Antonij circa Petri lapsum infide, n. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46.

LIBER SECUNDVS.

De Monarchia Petri in Romano Pontifice perpetua successione continuata.

CAPUT I.

Distinctio inter potestatem ordinis & iurisdictionis, & utriusque natura explicatur.

PRIMUM M. Antonij fundamentum. Totam potestatem Ecclesiasticam sola ordinazione datur, atque adeo Episcopos, cum sint ordine patres, iurisdictione impares esse non posse, n. 1. 2.

Euxtitur in sequentibus ex ipsius finis dictis.

I. H. L.

ART.

ET ARTICVLORVM.

ARTIC. I. Potestas ordinis distinguitur à potestate jurisdictionis; bac absque illa, & illa absque hac consistere potest, n. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11.

ARTIC. II. De potestate ordinis, eius natura & proprietatibus, n. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22.

ARTIC. III. Ordo est verum & propriè dictum Sacramentum, n. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31.

Episcopatus est ordo sacer, simplici sacerdotio superior, nouumq, characterem imprimens, n. 32. 33. 34. 35. 36. 37.

ARTIC. IV. Quomodo Patrum dicta contra malos sacerdotes explicanda sint, n. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48.

C A P V T II.

Explicata natura successionis, & varijs M. Antonij ineptijs confutatis, declaratur vera successio, Episcoporum ab Apostolis in potestate iurisdictionis ad certam Diœcēsin restricta.

SECUNDVM M. Antonij fundamentum. Singulos & omnes Episcopas omnibus & singulis Apostolis, etiam in solidum succedere, n. 2.

Eueritur ab ipso M. Antonio in sequentibus, n. 3

ARTIC. I. Episcopi quo ad ordinem non propriè succedunt Apostolis, sed ab eis propagantur, n. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11.

ARTIC. II. Quid sit iurisdictio in genere, & quotuplex, cum quatuor Corollarys inde deductis, n. 12. 13. 14. 15. 16. 17.

Iurisdictio Episcopatum qualis, n. 18. 19.

Per dicta & principia Antonij euidenter probatur Episcopos non verè succedere Apostolis, eorumq, potestatem esse tantum institutum humanum, n. 20. 21. 22.

ART.

INDEX CAPITVM

ARTIC. III. Ex quatuor notissimis successionis proprietatibus, ostenditur figmentum esse, quod singuli Episcopi omnibus Apostolis in solidum propriè succedat, n. 23.
24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31.

ARTIC. IV. An & quomodo Episcopi succedant Apostolis propriè? n. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40

CAPUT III.

Romanum Episcopum Petro propriè succedere.

TERTIVM M. Antonij fundatum. Petrum nullius certæ Ecclesie, nedum Romanæ Episcopum fuisse vel esse potuisse, n. 21

ARTIC. I. Tempore Apostolorum Ecclesie particulares à singulis Episcopis regebuntur, n. 3. 4. 5. 6

ARTIC. II. Officium Apostolatus non impedit, quin Petrus potuerit certa sedis Episcopus esse, n. 7. 8

ARTIC. III. Potuit Petrus Roma manens totius Ecclesie supremam curam gerere, n. 9. 10. 11

ARTIC. IV. Romana Ecclesia primus fundator & Apostolus, non Paulus, sed Petrus fuit, n. 12. 13

ARTIC. V. Non pugnat cum sacra historia Petrum secundo Claudi anno Romanam venisse, Romanumq; Episcopum viginti septem annis extitisse, n. 14. 15.
16. 17

ARTIC. VI. Non est error in fide Romanum Episcopum Petri verum successorem facere, n. 18. 19. 20

ARTIC. VII. Romanus Pontifex Petro succedit in totius Ecclesie Monarchia, n. 21. 22. 23. 24. 25. 26

CAPUT IV.

Pontificem Romanum iure diuino succedere Apostolis in curâ omnium Ecclesiarum; reliquos Episcopos quoad Ecclesias particulares.

QUARTVM M. Antonij fundatum. Romanum Pontificis

ET ARTICVLORVM.

ficiis authoritatem non esse magis, quam ceterorum Episcoporum iure Diuino vniuersalem, n.2

ARTIC. I. Omnes & singuli Episcopi non succedunt Apostoli in potestate illa vniuersali, quam habuerunt in totam Ecclesiam, sed tantum in certa aliqua sede, n.3.4.5.6.7.8.9.10.

ARTIC. II. Pontifex Romanus totius Ecclesiae pastor est, cum plenitudine potestatis Episcopalis, idq; iure diuino, n.11.12.13.14.15.16

ARTIC. III. Certa sedis Episcopus potest etiam esse vniuersalis, seu totius Ecclesiae curam & episcopalem gerere, & quomodo, n.17.18.19

Romanus Pontifex est Episcopus vniuersalis iure diuino, & refutantur obiectiones ex S.Gregorio, n.20.21. 22.23.24

Explicatur mens Gracorum de Patriarchatu, & Canon sextus ex Concilio Niceno de Episcopo Alexandrino, n.25.26.27.28.29.30.31

C A P V T V.

Romanum Pontificem super Episcopos diuino iure esse, quorum potestas, quamvis diuinæ institutionis sit, à Romano Pontifice ad singulos deriuatur.

QVINTVM M. Antonij fundamentum. Episcoporum potestatem, nec à Romano Pontifice deriuari, nec ei subyci posse, n.1

Euertitur per sequentia.

ARTIC. I. Singuli Episcopi in sua diaecesi veri & absoluti principes sunt, non meri Pontificis ministri & vicarii, eamque potestatem habent ex iure Diuino, successione ad se deuolutam, n.2.3.4.5.6.7

Eminentia hac potestatu Episcopali non impedit, quin Epis-

INDEX CAPITVM

Episcopi Romano Pontifici subesse possint, n. 8. 9. 10.

11. 12. 13. 14. 15

Officium summi Pontificis eiusdem generis est cum officio Episcoporum eminentius tamen: atque hæc pars stare potest cum vera horum ad illum subiectio-
ne in regimine, n. 16. 17. 18. 19. 20

ARTIC. II. Electio Episcoporum ad solum Romanum Potti-
ficiem pertinet iure Diuino: modus autem eligendi est
ex iure Ecclesiastico, n. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28

Vacantium Ecclesiarum cura propria pertinet ad Ponti-
ficiem Romanum iure Diuino, n. 29. 30. 31

Omnis potestas Episcopalis derivatur à Romano Pontifi-
ce tanquam à fonte: qua derivatio cùm Diuina eius
institutione rectè consistit, n. 32. 33. 34. 35

ARTIC. III. Petrus instituit tres sedes Patriarchales,
Rome, Alexandria & Antiochie; & quare ibi potius,
quā alibi, n. 36. 37. 38. 39

Patriarchæ, primates & Metropolite non habent ex iu-
re Diuino certam & constantem iurisdictionem: &
Patriarcha subiunguntur Romano Pontifici ab eoque
potestatem accipiunt, n. 40. 41. 42

C A P V T VI.

Causas totius Ecclesiæ grauissimas à Patribus &
Concilijs ad Romanum Pontificem sem-
per relatas, & illius primatum
agnitum fuisse.

SEXTVM. M. Antonij fundementum: Romanos Pontifices
sibi supremam potestatem reserente semper Ecclesia
Catholica usurpare, n. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20

Exeretur per sequentia ab eodem.

ARTIC. I. Romani Pontifices semper se totius Ecclesia Mo-
narchas à Deo constitutos agnouerunt; eorumque
dicta

ET ARTICVLORVM.

dicta & facta hac in causa magna auctoritatis sunt,
n. 3.4.5.6.7.8.9

ARTIC. II. Catholica Concilia Ecclesiae etimia Romani
Pontificis auctoritatem agnouerunt, etiam prima &
antiquissima, n. 10.11.12.13.14.15.16.17.18.19.20

Concilia, quae hic obijcit M. Antonius, Constantinopolita-
num I, Chalcedonense, Antiochenum, Romani Pon-
tificis auctoritati supraemam non obliterunt, n. 21.22.
23.24.25.26.27.28.29.30.31.32.33.34

ARTIC. III. Patres Catholici Romani Pontificis supremam
potestatem factis suis semper agnouerunt: nullumq;
propter hanc ei restitisse probatur ex refutatione
exemplorum obiectorum, quae sunt de Polycrate,
Irenæo, Cypriano, Firmiliano, Patribus Africanis, &
Episcopis Ravennatis, n. 35.36.37.38.39.40.41.
42.43.44.45.46.47.48

ARTIC. IV. Catholici Patres, tam Græci quam Latini
omnes Romani Pontificis primatum dictis suis asse-
ruerunt, n. 49.50.51.52

Imprimis id ex eo confirmatur, quod ex quindecim locis
Patrum ab Antonio obiectis, octo planè sint inepta,
nec quicquam ad propositum, alia septem propri-
matu contra ipsum faciant, n. 53.54.55.56.57.58.
59.60.61.62

C A P V T VII.

In quo sit suprema potestas directiva, correctiva, &
electiva Summi Pontificis.

SEPTIMVM M. Antonij fundamento. Supremam potesta-
tem directivam, correctivam, & electivam Summi
Pontificis, à quibusdam Catholicis in Ecclesia uni-
uersali ponit, atque ita Monarchiam euerit, n. 1.2

ARTIC. I. M. Antoniu[m] multa inter se pugnantia, atque
adeo falsa Parvusibus attrituit circa potestatem
Papa[r] respectu yniuersali Ecclesie, n. 3.4.5

INDEX CAP. ET ARTIC.

Sententia Parisiensium potestatem Ecclesiasticam prius
in Ecclesia ponens, quam in Papa; non pugnat cum
Monarchia Ecclesiastica, n.6.7.8.9.10

ARTIC. II. De potestate summa Electio Papa, an sit in
ipso Papa, an in Ecclesia, an in Clero Romano, n.11.
12.13.14.15.16.17

ARTIC. III. Cardinalium nomen & officium honorificum
& per antiquum est in Ecclesia, n.18.19.20
Electio Summi Pontificis ad eos solos legi imè est reda-
cta, n.21.22.23

Summus Pontifex potuit, omisssis Concilijs Episcoporum
Italia, sibi Senatum Cardinalium adlegere, pro
regimine totius Ecclesie, n.24.25

Propter hec officia Cardinales Episcopis merito prefe-
runtur, quamvis etiam Episcopi aliquo respectu sint
superiores, n.26.27.28.29.30.31

Epilogus ad M. Antonium.



IN VTRVM.



IN VTRVMQUE LIBRVM DEMONSTRA- TIONIS,

PRO O E M I V M .

Hyocrisi Præfationis tuæ & scriptionis ineptia vniuersim detecta priori opusculo; ipsum opus tuum aggredimur, præstamusq; tibi aduersarium , qualem optas. In Antagonista, qui tibi responsum sit, duo postulas. Primò ut non Grammaticaster sit, non Rhetorculus, non Nouitius Theologus sed tibi par, si fieri potest, ex venerando Episcoporum Choro. Secundò, qui edificij tuū non fenestrās perfringat, non tegulas comminuat, sed ipsa concutiat fundamenta ; totamq; trabum incardinatarum compagēm dissoluere conetur. Aequum postulas; nec enim prudens quispiam

*Vel vitulumtauro vel equum committit onagro,
Vel fulicas confert cignis, vel aëdona parre.*

Igitur vtrumque tibi praestiti. In Catholica
Antagonistam tua opinione tibi parem non
facile

2.

facilè erat inuenire. Sanderus, quo vix ullum
tulit ætas nostra doctiorem, tibi *habes*, *obrufus*,
& etiam *sur more verbosus* est. Illustrissimus Bel-
larminus, qui purpuram suâ doctrinâ, vtrâq;
autem sæculum nostrum ornat, *modernus scio-*
lus est, loquitur audacter & imperite; nonnunquam et-
iam hominis frontem admiraris. Cardinalis Ba-
ronius antiquitatis Ecclesiasticæ præcō, poste-
ritatis futurus ipse præconium *garrulè obloqui-*
tur more fæminarum, Theologaster, sola Grammatica in-
structus. Sane nūnquam Antagonistam tua o-
pinione tibi comparandum præstare potuiss-
semus, nisi tu temet aduersarium tibi ipsi præ-
stistis. Igitur in hoc opere tecum ipse pugna-
bis, Antagonista tibi ipsi proculdubio par, qui
non operis tui fenestras perfringis, nō tegulas
commiuuis, non muros deijsis; sed ipsa fun-
damenta non modo concutis, sed argumentis
tuis penitus euertis. Opus tuum quatuorde-
cim continet dicta, quæ vnâ cùm suis proba-
tionibus sæpè repetis, vt tuum volumen non
aliud sit, quam horum dictorum millies re-
petitorum moles.

5. Ex his dictis septem pertinent ad institutio-
nem Monarchiæ in Petro; alia septem ad suc-
cessionem Pontificum in eadem. Priora septē
in priori libro examinantur; hæc autem sunt.
Primò; Christum Primatum verum in Eccle-
sia sua reprobasse, & Monarchiam illi pessimā
iudicasse: Secundo; totum Petri Primitum nō
ex Christi institutione, sed ex voluntaria dela-
tione

tione Apostolorū propter personales eius excellentias, sumendum esse: Tertiò; promissa & data Euangelica facta Petro pro Monarchico primatu non esse clara: Quartò; in his Locis Euangeliij Petrum verē & propriè exi personā propriā & indui personā omnium Pastorum: Quinto, vni Petro dari claves, ex mente Cypriani non verè tanquam Monarchę, sed mysticę, tanquam figurę unitatis Ecclesię & concordię, quæ esse debeat inter Episcopos: Sexto; Apostolos Petro pares fuisse; paritatem verò cum eminentia vnius Monarchica stare non posse: Septimo; Petri Monarchiam nulli Catholico Doctori (Romanis Pontificibus exceptis) nisi post mille annos vel venisse quidem in mente: Septem, quæ pertinēt ad successionem regiminiis à Christo instituti & in secundo libro discutiuntur, sunt ista. Primò iurisdictionem Ecclesiasticam sola ordinatione dari, & ideo Episcopos ordine pares iurisdictione impares esse non posse. Secundò Petrum nō habere proprium successorem; sed omnes Episcopos & singulos vnicuiq; & omnibus Apostolis in solidum æque succedere. Tertiò saltem Romanum Pontificem nō esse proprium & peculiarum Petri successorem. Quartò Pontificē Romanum à Concilio Niceno certae sedi alligari, & vniuersalem Episcopatum à Gregorio Magno proscribi. Quintò singulos Episcopos esse Christi Vicarios, potestatē diuini iuris habere; quæ propterea, nec à Romano Pontifice ad singu-

los deriuari, nec illius voluntati subjici potest.
Sexto: Primatui Romano antiquos Episcopos
restituisse, nec ab ullo agnatum esse, nisi a Ro-
manis Pontificibus, qui in causa sue potestatis
testes idonei non sunt. Septimò; Romanū Pon-
tificem etiam ex sentētia quorundam Monar-
chicorum Ecclesiæ toti subjici, atque adeò ab
ijs Monarchiam euerti.

Agnoscis opinor hæc esse operis tui funda-
mentalia dicta, & illud ex horum repetitione,
constare. Hæc si euertis, *compagm trabum tuarum in-
cardinatarum* totam dissoluis. Hæc autem omnia
ut à te uno loco dicuntur, ita & alio negantur:
non perfunctoriè, non leuiter, non in transitu;
sed fuscè, acriter, vehementer. Si tot exemplis,
quæ iam superius adduximus, necedum induci
potes ut mihi credas, te tanta in scribendo cæ-
citate laborare, clarioribus adhuc & multò
luculentioribus tecum agam. Iterum dico, ve-
ni & vide. Vincere nō à me sed à teipso, vel po-
tius à veritate, quæ vincit omnia. Memeto quā
Cassiodorus vére dixerit author grauissimus; *summam delicto-*
rum esse, noile agnoscere, quod ignorare non potes.
epist. 12.

MONAR.



MONARCHIAE ECCLESIA-
STICAE EX SCRIPTIS.

M. ANTONII
DE DOMINIS, EX-
ARCHIEPISCOPI SPALA.
TENSIS, STABI-
LITAE,

LIBER PRIMVS

*De Primatu Monarchico, per Christum instituto,
in Petro.*



ARITAS omnimoda Apostolorum omnium, fundamentum est totius operis tui, quam ubiq; repetis, & adeo te demonstrasse putas, vt l. 4.c.i.n.i.dicere audeas: Ego libro primo huius operis Primum Petri destruxi penitus, & in puluerem redigi. Et librum tuum primum concludens, Catholicam de Petri Primatu sententiam vocas, occata Ecclesia densissimas tenebras, quibus vi oppressa palpat in meridie.

A

meridie. Ita tu nobis tenebras imputas, tibi lumen arrogas. Hoc tamen mirum sit, quod in tantâ luce teipsum nunquam videas, nunquam quid dixeris vel sis dicturus intelligas: ut non immerito Petri Primatum in puluerem te redegisse dicas, cùm liber tuus, quo illum impugnas, non nisi pulueris acerius sit, quem tu dictorum tuorum inter se pugnatium ventis versas & agitas. Hoc iam videamus.

CAPUT PRIMUM.

DE FORMA REGIMINIS ECCLESIASTICI à Christo instituta.

 AEc quæstio de forma regiminis à Christo instituta, fueritne Democratica vel Aristocratica, an potius Monarchica, prima esse debuit; quam tamen, quâ methodo scribis, in ultima primi libri tui capita reijcis; de qua etiam absurdâ & inter se pugnantia scribis, ostendisque te Reipublicæ & regiminis primas notiones ignorare.

PRIMUM FUNDAMENTUM

M. ANTONI.

Christum esse totius Ecclesie Monarcham, nec aliam veram formam regiminis in eâ querendam.

IB.I.C.12.n.6.tuam de formâ regiminis Ecclesiastici sententiam his verbis declaras. Porro (inquis) in hac

in hac nostra Ecclesia militante querere & indagare veram aliquam formam Reipub. est actum agere. Semper enim procedimus ex falsa quadam suppositione, nempe Christum ab Ecclesia sue regimine absentem esse, & eo excluso querimus, que forma regiminis maneat in Ecclesia, cum tamen reuera Christus adhuc suam regat Ecclesiam, sitque actu ipso ipsis caput Rex & Dominus. Quid igitur murum, si ubi in facto est perfecta Monarchia excluso per solam cogitationem Rege, resultet quedam forma regiminis, qua neque sit propriè amplius Monarchica, neque Aristocratica, etiam quoad nomen descriptionemque valde imperfecta. Aristocratiam sanè quandam hactenus probauit inter Ecclesie Ministros à Christo relictam; sed Aristocratis hæc non habet in se formam veram Aristocraticam, in qua Optimates illi, qui Rempub. gubernant, omnes quidem aut plurimi in viuum coacti habent potestatem, singuli vero nihil possunt. Non sic in Ecclesia; qua ita quidem ab omnibus Apostolis post Christi ascensum regebatur ut tamen à singulis etiam ab inuicem separatis Ecclesiastica plenè exerceretur potestas. Itaque dum pono Aristocratiam, includo quidem Optimatum regimen; tum vt excludam plebem, tum etiam, vt excludam unius solius in tota Ecclesia Principatum. Cætera tamen Aristocraticæ proprietates vera si absint, hoc erit quia reuera regimen est Monarchicum sub CHRISTO: & in vera Monarchia querere aliam formam regiminis est importunum. Habet igitur Ecclesia inter suos Ministros, qui illam regunt in terris, Aristocratiam, ex ea tantum parte, qua & unius solius suprema potestas, & Optimates soli potissimum regunt, sed in solidum tam diuisim quam coniunctum; hoc est, illi qui ad ministerium sunt legitime deputati. Hæc tu omnia, & alijs locis eadem frequentissime repetis. Fundamentalis autem ratio, quæ te mouit, vt regimen verum ab Ecclesia, Ecclesiæq; rectoribus, Christo excepto, remoueas,

4 MONARCHIAE ECCLESIASTICAE,
moueas, hæc est; quod verum regimen includat veram iurisdictionem & veram subiectionem. Sed in Ecclesia non est vera iurisdictionis nisi in solo Christo, qui potest corpus & animam mittere in gehennam. Ergo verum regimen nullum in Ecclesia est à Christo relictum, sed veram potestatem secum abstulit. Minorem huius syllogismi millies inculcas: nihil autem affers, quo illam probes, nisi locum illum Lucæ 22. *Reges gentium dominantur eorum; vos autem non sic:* quibus verbis dicis ab Ecclesia submoueri Præfultatum cum vera iurisdictione, non tantum fastum & superbiam terreni Principatus.

Hoc tuum fundamentum quam vanum sit & ex crassis erroribus compositum, ex tuis dictis iam ostendam. Primo agam de forma tuæ Reipublicæ. Secundo de iurisdictione quam dicis in Ecclesia (Christo excluso) nullam esse. Tertio de dominatu, quem Christus prohibuit.

ARTICVLVS PRIMVS.

De formâ regiminis Ecclesiastici ab Antonio confitâ.

DE regimine Ecclesiastico, quod ponis à Christo institutum, quatuor dico ex tuis dictis probanda. Primo in eo instituendo te tibi ipsi non constare. Secundo regimen non esse, sed confusionem à sapientibus damnatam. Tertio esse impium & hereticum figmentum. Quartò esse monstrum ex rebus diuersis & inter se contrarijs conflatum.

Dico primo, in regimine Reip. tuæ Ecclesiasticæ tibi ipsi non constas. Nam Magnates & Principes huius Reipublicæ Episcopos, nunc facis Ecclesiae, id est, Concilio Episcoporum subiectos, nunc Dominos absolutos

solutos à solo Deo dependentes l. 1.c.12.n. 14. Multo melius (inquis) est , vt in Ecclesia nemo sit , qui non subdit & alicui pareat , vt ita à tyrannide sit ipsa immunis , quām si adesset Monarchia . Monarcha enim Ecclesia cum nemini subdit , nemini pareat , nemini teneatur in terris suarum actionum reddere rationem , neminem timeat ; ex hoc facile potest labi : quod non est in Ecclesiastica Aristocratia . Nam quicunq; in hac Republicā Dux , hoc est , quicunq; Episcopus , siue Primas , siue Patriarcha , si peccat in Rempub. Ecclesiastica , habet coercentes se & in officio continentates . Et l.3.c.7. n.1. Quid fiet (inquis) si Episcopus erret ? quid si ex pastore fit lupus ? quid si conculceret canones ? habet ille Ecclesiam iudicem simul & vindicem , Hæc tu ,

At l.2.c.5.n.5. Cyprianus (inquis) Episcoporum autoritatem adeo altam agnoscit ac fatetur , vt actionum Ecclesiasticarum Dominos absolutos , & independentes , nisi à solo Deo omnino faciat Episcopos . & paulò post : Si vero alijs , quam Domino soli esset Episcopus redditurus rationem sua Ecclesia administrationis , non haberet , quod assertit Cyprianus , liberum arbitrium sua voluntatis ad suam Ecclesiam , prout ipse solus rectum censuerit gubernandam . Et l.3.c.1. n.24. Optima est consequentia vt Episcopus ei soli subdatur & reddere rationem sui regiminis teneatur , à quo regimen accepit . Cumq; à solo Christo Episcopus Ecclesia proponatur , certè Christo soli reddit rationem , & à Christo solo erit iudicandus . Hæc tu omnia , quæ inter se pugnant apertissimè . Nam si quilibet Episcopus subest in Ecclesia , habeatque in terris iudicem & vindicem , à quo coercentur & in officio continetur , quem timeat , & cui rationem actionum suarum reddere teneatur ; quomodo verum , quod itidem dicis quemlibet Episcopum Dominum absolutum & independentem esse , soli Christo subdi , à solo Christo iudicari , soli Christo rationem reddere teneri ? An non satis aperte tecum ipse pugnas ?

3. Tamen aliud turpioris adhuc inconstantiae exemplum accipe circa hanc ipsam independentiam Episcopalem: l. 2. c. 5. acerrimè disputas de altitudine potestatis Episcopalis. Dicis n. 4. Episcopum totam suam potestatem divino iure habere, quam cum spiritualis sit ab hominibus donari aut concedi, minui aut ampliari impossibile esse. n. 5. solum Dominum Iesum habere potestatem Episcopum constituendi. Episcopos Dominos absolutos & independentes rerum Ecclesiasticarum esse. n. 21. si tollat Ecclesia ab Episcopo iurisdictionem sine iusta causâ, irritans depositionem esse, & depositum episcopum reuera totam suam potestatem tam ordinis quam iurisdictionis habere, & omnes actus, quos exercet, validos esse. n. 28. eos qui negant Episcopos esse veros & absolutos Principes contra apertissimam veritatem oculos claudere. deniq; n. 42. ita Episcopos alloqueris. Utimini potestate, quam à Deo habetis. & plenissima Ecclesias vestras authoritate gubernate, neq; vobis virgam è manibus à quoquam eripi patiamini. Hæc tu illo cap. 5. libri tui secundi.

At alio loco nempe l. 4. c. 11. n. 62. mirum quam contraria scribas, & quam abiectam Episcoporum conditionem facias. Sunt (inquis) Prelati & Ministri Ecclesiastici potius similes subordinato Magistratu, quem Rex aut Reg. pro suo libitu conducat, vel ex solo iussu constituat, & ad suorum populorum regimen adhibeat, quam Principi absoluto aut Regi iure sui obniteni. Episcopis enim Christus & Ecclesia tanquam meritis ministris & magistris manualibus & amabilibus viuitur. Quos etiam si sine causa (quod tamen fieri non debet, nec nisi maioris boni intuitu) transferat, inhibeat & amoneat ipsa Ecclesia, nihil illis auffert quod verè illis peculiare sit, & in quod tanquam proprijs dicatum vobis verum ius illi habent proprietatis & dominij. Gregem enim possident non ut suum, sed ut Christi, nec ut rei vobilis domini, sed ut rei depositæ fidei q; commissa curatores. Secus est in Principe laico

laico supremo. is enim verè & propriè subditorum dominus est in temporalibus. Ex his duo ibidem infers. Primo Episcopum sine causa depositum, non posse litem iniuriarum suis electoribus intentare. Secundo in omni dispositione Episcopi siue iusta siue iniusta sequi vacationem Ecclesia & alium loco illius ordinari posse & debere. Hæc tu. quæ si conferas cum illis , quæ iam supra ex te citauimus de suprema authoritate Episcoporum, ipse fortassis admiraberis scriptionem tuam in vna re tam variam & vagam & sibi ipsi contrariam.

Primo si solus Christus potestatem habet Episcopum constituendi , & si deliquerit amouendi ; quomodo ius Ecclesiæ constituitur & pro libitu illius amobilis est tanquam merus minister & Manualis Magistratus ? Secundo. Si sunt Episcopi Domini absoluti & independentes nisi à solo Deo ; quomodo similes subordinatis Magistratibus & meritis Reipub. ministris , non Principibus absolutis aut Regibus , qui ius absolutum regiminis habent soli Deo subordinatum. Tertio si potestatem habent, quam ab hominibus donari aut concedi , minui aut ampliari est impossibile ; quomodo potestas Episcopalis pro Ecclesiæ libitu transferri , inhiberi & amoueri potest ? Quarto si ius diuinum habeat Episcopus à Deo sibi concessum ; quomodo nihil proprium & peculiare Episcopo eripitur , quando illi Episcopatus eripitur ? cur litem iniuriarum intentare non potest illi à quō hoc sibi diuinitus concessò iure spoliatur ? Quinto si virgam habeat plenissimæ authoritatis , quam sibi à nemine eripi pati debet ; quomodo etiam sine causâ validè deponi Episcopus potest , tanquam merus conduictius Ecclesiæ Minister & Magistratus Manualis ? Denique si sine causa depositus Episcopus reuera coram Deo depositus non sit , sed plenissimam

8 MONARCHIAE ECCLESIASTICAE,

potestatem quoad omnes actus nō minus iurisdictio-
nis quām ordinis valide exercet ? quomodo verum
quod dicis in omni depositione, siue iustā, siue iniustā
Ecclesiam vacare , & alium in locum depositi substi-
tui posse & debere. Meritò igitur cum Hieronymo
exclamem ; *quanta in una re varietas mentiendi !* meritò
concludam nihil incertius regimine Reipub.tuꝝ, cu-
iūs magnates nunc soli Deo iudicados referuas, nunc
illorum iudicem & vindicem Ecclesiam facis , cui
subsint , pareant , rationem regiminis sui reddant,
quæque eos ne peccent coercent & in officio conti-
neant ; si peccent, puniat & ejciat. Ex his contrarijs in-
ter se dogmatibus, quorum vtrumq; tuum est, quod-
nam magis tuum sit prorsus nescio : tamen Episcopos
esse Dominos penitus absolutos , atque adeo tot esse
in Ecclesia Monarchs quot Episcopos, principijs tuis
conformius est. Nam dicis non aliam manere in Ec-
clesia potestatem secluso per cogitationem Christo,
quam remanet in regno perfectè monarchico per co-
gitationem seclusa potestate Regis. Sed in regno per-
fectè Monarchico seclusa potestate Regis , nulla re-
manet potestas quæ Principes veros & absolutos il-
lius à solo Rege dependentes & illi soli immediate
subditos, iudicare possit. Igitur in Ecclesia, seclusâ su-
premâ potestate propriâ solius Christi nulla manet
in Ecclesia potestas , quæ possit Episcopos coercere;
sed erunt in Ecclesia tot absoluti Domini , qui nul-
lum timeant in terris, nulli pareant, quos sunt Epis-
copi. Quod si verum sit quod dicis , uno Monarcha
ab soluto constituto, qui nullum timeat in terris, Ec-
clesiam pessundari, & tyrannide opprimi ; quam mi-
sera est & infelix tua Respublica, quæ Dominos ab-
solutos plurimos habet, qui nullum supra se iudicem
aut superiorem in terris agnoscant ?

5. Dico secundo , tale genus regiminis ponis à Chri-
sto in-

Hieron. I.
3. in Ruf-
fin.

sto institutum, quale damnant sapientes: atque adeo si tu verum dicis, regimen stultum in Ecclesia sua Christus instituit. Probatur hoc syllogismo ex tuis dictis confitio l.i.c.12.n.13. *testimonia (inquis) sapientum, qua contra Aristocratiam afferuntur multorum per se singulorun diuīsim regnare & imperitare volentium confusionem reprehendunt & damnant, non veram Aristocratiam optimatum, qui non singuli, sed simul omnes exercant gubernationem.* Hæc tu: iam subsumo. Sed (vt l.2.c.12.n.6. scribis expressis verbis, quæ initio citauimus; Christus reliquit Ecclesiæ suæ non veram Aristocratiam in qua Optimates simul omnes regunt, singuli per se nihil possunt; sed regimen in quo Optimates per se singuli regnant & imperant, & à singulis diuīsim sumptis ab inuicemque separatis Ecclesiastica plene exercetur potestas. Igitur regimen Aristocraticum, quale veut confusionem & tumultuum fontem sapientes dannant, Christus instituit: Vtrage propositio Maior & Minor in terminis tua est. Consequentia euidentia est, & tamen quod sequitur ingens blasphemia est. *Quid igitur quod toties iatas demonstrasti? ut mitissime dicam, insipientiam tuam.*

Secundo probatur ex tuis dictis, regimen Reipub. 6. tuæ confusionem esse. Nam proœmium libri tui tertij his verbis auspicaris: *Vbicunque est multitudo absque ordine, hoc est, absque subiectione & pralatione, ibi necesse est adesse confusionem, ac presentia inter homines ad certum aliquod munus post naturam corruptam coniunctos & deputatos.* Hæc tua sunt verba; quibus positis subsumo. Sed Apostoli & eorum successores Episcopi, multi homines sunt ad vnum certum munus post naturam corruptam deputati, vt per se constat; Christus autem eos in Ecclesia posuit sine villa inter ipsos subordinatione, id est, prælatione & subiectione; vt

I. i. ca. 12. nu. 9. scribis: *sub unico, inquis, vero Episcopo animarum nostrarum Christo Iesu absque villa alia subordinatione inter ipsos in Ecclesiastica potestate Ministri omnes in unicum redacti corpus Ecclesiam gubernant.* Igitur **C H R I S T V S** per te tale regimen Ecclesiæ suæ reliquit, ex quo necesse est oriri schismata & confusionem. Hæc autem quanta blasphemia est!

Tertiò quod stultum regimen confinxeris velut à **CHRISTO** institutum probatur ex alijs dictis tuis, ex quibus in vnum compactis coligitur Ecclesiam ne schismate periret prudenter subordinationem inter Ecclesiæ ministros ponere, quam **CHRISTVS** ponere noluit, imo prohibuit. I. i. ca. 12. num. 3. In Ecclesia (inquis) inter ministerio summi Regis verique Monarchie Christi Monarchie quantumcumque temperata locum dandum non esse Christus ipse censuit: eam enim in Ecclesia pessimam esse iudicauit. Et lib. 1. ca. 11. nu. 9. Aperte habemus Primum inter discipulos non modum nullum fuisse, sed etiam à **C H E I S T O** expresse prohibitum & reprobatum. Et lib. 2. cap. 5. numero 38. summ. i debet esse iure diuino inter Episcopos partas.

Ex aliâ parte li. 3. cap. 2. num. 1. dicis inter rectores Ecclesiæ ad confusionem vitam subordinationem esse ponendam. etiam nu. 5. Ecclesiam Primate & Metropolitas instituisse, quibus voluit Episcopos illius Provinciæ subesse. His autem à principibus laicis etiam datam iurisdictionem externam in suos suffraganeos. Occasio vero harum institutionum (inquis) fuit schismatum vitatio, ut per has subordinationes, per hanc hierarchiam Episcopi multi ad unitatem tantopere necessariam redigerentur. Hæc tu: Ex quibus primò sequitur Ecclesiam prudenter mutasse regimen, quod dicis à Christo institutum. Nam Chri-

Christus instituit, si tibi credimus, inter Episcopos summam paritatem, nec ullam voluit inter ipsos esse subordinationem, Ecclesia vero posuit Primate & subordinationes; atque adeo ut tu dicis inter Episcopos sustulit summam paritatem, quæ diuino iure esse debet. Summa enim paritas nullam patitur inter pares subordinationem, seu prælationem & subiectionem. Igitur plurium parium regimen sine ullâ inter eos subordinatione, quale C H R I S T V S instituit, Ecclesia sustulit, hocque prudenter ad confusionem vitandam & unitatem conservandam: atque adeo sapientior Christo Ecclesia fuit si tu vera dicis.

Secundo sequitur ex tuis dictis, Ecclesiam prudenter induxisse regimen, quod Christus pessimum iudicauit. Nam Christus, ut tu dicis, Monarchiam quantumcunque temperatam inter Ecclesiæ Ministros pessimam iudicauit, nec illi in Ecclesiâ suâ locum ullum esse voluit. Ecclesia vero monarchiæ locum dedit. Nam lib. I. cap. 12. num. 12. ita scribis. *Respondeo si quid habet incommodi Aristocracia cui Monarchia facilè posset obuiare, Ecclesiam spiritu Sancto instructam propterea & in singulis Ecclesijs voluisse Monarchiam & in se totâ Aristocratiam, ut altera alterius virtus corrigere. Hæc tu. Igitur Ecclesia à spiritu Sancto instructa in singulis Ecclesijs posuit Monarchiam, quam formam regiminis C H R I S T V S pessimam iudicauit, nec illi in Ecclesia locum ullum dandum censuit. Dices C H R I S T V M prohibuisse Monarchiam inter suos Ministros non autem super plebem Christianam: Monarchiam autem in singulis Ecclesijs non esse inter C H R I S T I summi Regis Ministros, quia in singulis Ecclesijs qui Monarchæ sunt non habent sub se Episcopos. Respondeo, falsum esse Monar-*

Monarcham in particularibus Ecclesijs non esse super Christi ministros. Nam l.2. ca.9. nu.1.5.& 90. dicis Presbyteros esse Christi Ministros immediate à Christo potestatem Ministerialem habentes , & in illa esse Episcopis penitus æquales. Libro autem l.c. 12. n. 20. presbyteros in vna Ecclesia vni episcopo subdi. Igitur Monarchiam saltem temperatam & modestam inter Christi Ministros Christi institutione penitus æquales , Ecclesia constituit , quam tam Christus prohibuit si tu verum dicis , & in Ecclesia pessimam iudicauit. Nimis vastè & inconsideratè scribis.

8. Dico tertio. Régimen tuum quod singulis à Christo institutum, hæreticum atque adeo impium esse. Probatur ex tuis verbis l.2.c. 5. n. 38. Non immerito dixit Gersonius hæreticum esse apertè si multiplex caput ex aequo in Ecclesia locaretur : tot enim profectò essent Ecclesia totales & per se plenè ab alijs diuisa , quot essent huiusmodi capita; ac proinde tot essent , quot sunt Episcopi , si quisq; haberet plenitudinem potestatis ut caput & Monarcha absolutus. Hæc tu. Ex quibus duplex conficitur argumentum , quo probetur régimen quod dicis à Christo institutum hæreticum apertum esse. Primo. Régimen quod locat in Ecclesia multiplex caput ex aequo, hæreticum apertè est. Sed régimen quod dicis à Christo institutum locat in Ecclesia multiplex caput ex aequo. Ergo hæreticum apertè est. Maior propositio tua est. Minor probatur ex tuis dictis. Nam l.i.c.12.n. 2. Ecclesia (inquis) caput visibile non fuit unicum à Christo institutum , sed integrum collegium Apostolorum & Episcoporum , qui omnes simul & in solidum regunt Ecclesiam. Igitur fuit à Christo institutum caput Ecclesie non unicum , sed multiplex secundum numerum Apostolorum & Episcoporum. Quod autem fuerint capita ex aequo singuli cum plenissima potestate dicitis a-

cis apertè l.i.c.ii.n.31. plures (inquis) Ecclesia præfecti ex aquo omnes Sancti Apostoli : Et l.2.c.7.n. 1. Apostoli singuli habuerunt plenam potestatem Episcopalem , quare plenissimè exercere poterant in omni loco totius mundi , in quo essent præsentes ; ita ut in actu primo erat eorum quisq; Episcopus totius mundi terreni. Hæc tu:ex quibus deducitur Christum constituisse in Ecclesia multiplex caput ex æquo. Nam constituere plures in Ecclesia Præfectos ex æquo, singulos cum plenissima potestate , est in Ecclesia constituere multiplex caput ex æquo. Sed Christus, vt tu fateris, constituit Apostolos duodecim præfectos ex æquo, singulos cum plenissima potestate , quam plenè exercere poterant , in quouis potestate mundi terreni, ybi essent præsentes. Igitur Christus instituit in Ecclesia multiplex caput ex æquo , quod tamen dicis aperte hæreticum esse.

Secundò , regimen quod tu Christo attribuis hæ- 9. reticum esse probatur , quia regimen quod posuit in Ecclesia plures Episcopos , quorum quilibet habet plenitudinem potestatis vt Monarcha absolutus, hæreticum est. Sed regimen , quod tu Christo tribuis, ponit in Ecclesia plures Episcopos , quorum quilibet habet plenitudinem potestatis, vt Monarcha absolutus. Igitur si tu vera dicis, hæreticum est. Maior propositio in terminis tua est. Minor vero ex tuis dictis euidentissimè colligitur. Nam l.2.c.12.n.78. sic alloqueris Episcopos ; *Quisque vestrum tantum habet in Ecclesiæ regimine ordinariam potestatem , quantum habuit quicunque etiam summus Apostolorum. A Deo accepisti eam plenissimam & Ordinis & iurisdictionis.* Et l.2.c.5. n.3. vnuquisq; Apostolus habuit plenam vniuersalem potestatem ; & quisq; plenè Episcopus erat independenter vnu ab alio. Et ib.n.5. *Episcoporum autoritatem (dicis) adeo esse altam , ut rerum Ecclesiæ sticarum Domini absoluti sint & inde-*

& independentes, nisi à solo Deo. Ex his colligitur quemlibet Apostolum habuisse plenitudinem potestatis ut Monarcham absolutum ; atque adeo tot fuisse à CHRISTO constitutos Ecclesiæ Monarchs, quod erant Apostoli. Nam qui habet potestatem plenissimam vniuersalem independenter ab omni alio, & ut dominus absolutus & independens nisi à solo Deo, habet plenitudinem potestatis ut Monarcha absolutus. Sed dicis singulos Apostolos accepisse à CHRISTO plenissimam potestatem vniuersalem, & ex illis quemlibet independenter ab alio, & ut Dominum absolutum & independentem quoad res Ecclesiasticas, nisi à solo Deo. Igitur per tua dicta cogeris fateri quolibet Apostolum accepisse à Christo potestatem plenissimam, seu plenitudinem potestatis, ut Monarcham absolutum: quam tamen formam regiminis, ut hæreticam proscribis.

10. Dico quarto regimen quod à Christo institutum communisceris monstrum est. Probatur dupli argumento ex tuis dictis. Primò mixtum ex rebus opolitis, seu medium inter extrema, quod magis distet ab utroque extremo, quam ipsamet distent inter se monstrum est, ut per se patet. Sed tuum regimen, quod l. i. c. 12. n. 6. dicis esse mixtum quoddam imperfectum ex Monarchiâ & Aristocratiâ magis distat ab utroque extremo, quam distent ipsamet inter se, nimirum magis ab Aristocratiâ quam Monarchia distat, & magis à Monarchiâ quam distet ipsamet Aristocracia. Igitur monstrum est. Minor probatur. Et in primis, quod tuum regimen magis distet ab Aristocracia, quam distet Monarchia patet ; quia Aristocracia regimen est plurium, qui non nisi vnitim regunt, à quo Monarchia in hoc differt, quod in Monarchia unus per se seorsim independenter à senatu Optimatum regit & gubernat. Sed in tuo regimine

mine non vnum tantum regit & gubernat independenter ab Optimatibus vnitim sumptis , sed multos ponis gubernatores , quorum per se seorsim singuli regant tanquam absoluti & independentes nisi à solo Deo. Igitur tuum regimen magis recedit ab Aristocracia , quam recedat Monarchia. Quod vero magis etiam distet à Monarchia quam distet Aristocracia probatur , quia Monarchia regimen est , in quo vnum per se regit & moderatur omnia , cui repugnat Aristocracia , quia in Aristocracia plures vnitim omnes gubernant ; cum plenissima potestate , per se autem singuli nihil possunt. Sed tuum regimen ponit multos Principes , qui non tantum vnitim omnes omnia possunt , sed etiam quorum singuli per se seorsim amplissima potestate prædicti sint , quam plenissime exercere possunt in quavis parte mundi , vbi cunque voluerint , & dependenter à solo Deo , si sola Christi institutio spectetur. Igitur tuum regimen magis recedit à Monarchia , quam recedat Aristocracia ; atque adeo cum sit mixtum & medium , magis distat ab extremis , quam ipsam extrema inter se : quod est monstrum esse.

Secundò , quia visibilis & externa Respublica , quæ II. nullam habeat formam regiminis visibilem & externalm informe monstrum est. Sed Ecclesia Respublica est visibilis & externa , nec tamen , prout à te describitur , habet ullam formam regiminis visibilem & externalm. Igitur monstrum est. Minor probatur. Nam forma regiminis tantum est triplex ; Democratica , Aristocratica , Monarchica. Cuius diuisionis ratio est , quia omnis ordinata societas hominum debet habere supremam potestatem decisiuam litium , quæ in ipsa oriri possent. Hæc autem potestas , necessario est vel in toto populo vniuersum sumpto , & tum regimen est Democraticum;

ticum ; vel in senatu nonnullorum optimatum , & tum regimen est Aristocraticum ; vel in uno summo Principe , & tum regimen est Monarchicum. Ecclesiam vero dicis nec habere formam regiminis Democratici , nec veram formam Aristocraticam : Monarchicam quidem formam dicis Ecclesiam habere , sed eius Monarcham statuis Christum , qui non appetet , nec se regimini Ecclesiae visibiliter immiscet , ut propterea haec Christi Monarchia inuisibilis & interna sit. Igitur Ecclesia , prout a te describitur , nullam habet visibilem formam regiminis : atque adeo informe monstrum est.

ARTICULUS II.

An sit a Christo institutus Primatus cum iurisdictione.

ERRORES tui (in Ecclesia , excluso Christo , veram formam regiminis nullam reperiri) causam hanc affers ; nimirum Ecclesiae gubernatores non habere ullam veram iurisdictionem , sed meros Christi ministros esse. Hoc falsum esse iam ostedo ex septem contradictionibus tuis ; ut simul videoas , quam turpiter ipse tecum , quoad ipsa principia doctrinæ tuæ , vbiq; pugnes.

PRIMA CONTRADICTIO.

32. L. I. c. 2. n. 7. explicans haec verba Apostolorum , quæ habentur in eorum Actis c. 7. *Nos orationi & ministerio verbi instantes erimus. Non (inquis) dicunt , nos legibus coacti ius condendis & tribunal vacabimus , non pro arbitrio precipiendo , puniendo , dominando occupabimus , sed orationi & ministerio verbi instantes erimus ; quia aliud officium*

officium sibi commissum non agnoscebant. Hic remoues ab Apostolis potestatem præcipiendi & puniendi pro arbitrio: nec aliud tribuis officium, quam præcepta, quæ Christus tradidit annunciandi. Sed c.3. n.1. statim initio alterius mentitus es. *Apostolus*, inquis, *commissam fuisse Ecclesiam nemo puto negabit; siquidem dictum est ipsis à Christo, sicut misit me viuens pater & ego mitto vos.* Senserunt hoc Patres; *Augustinus enim modum à fidelibus in sumenda Eucharistia seruandum, ait fuisse ab Apostoli prescribendum, & ideo (inquit) non præcipit Christus, quo deinceps ordine sumeretur, ut Apostolus, per quos erat dispositurus Ecclesiam seruaret hunc locum.* Et Hieronymus Apostolos ait à Christo constitutos Principes Ecclesiarum, quo passim titulo insigniuntur in nostris Ecclesiis. Hæc tu. vbi aperte fateris Apostolos non fuisse tantum ministros Christi, qui eius præcepta Ecclesiæ denunciarent, sed etiam Principes Ecclesiæ, cum potestate, præter præcepta Christi sua etiam populis Christianis imponendi. Vnde formo primum argumentum pro vero Primatu Ecclesiastico per Christum instituto. Qui non solum annunciat leges & præcepta alterius, sed etiam à seipso leges communitati præscribit, quas ipsa tenetur admittere, non est in illa communitate merus minister alterius, sed verus communitatis Princeps, pro qua leges condit, quamque suis legibus disponit & ordinat. Sed Apostoli ius habuerunt non tantum Christi leges & præcepta populis annunciandi; sed etiam ius Ecclesiam legibus, quas Christus ipse non tulerat, ipsi tamen ferendas iudicabant, ordinandi & disponendi. Igitur non meri ministri Christi & annunciantores voluntatis illius fuerunt; sed etiam veri Principes habentes potestatem præcipiendi & suis præceptis Christianam Rempub. constituendi.

Ep.118.

Hieron.
in Is.c.1.

SECUNDA CONTRADICTIO.

13. L.2.c.5.n.16. Non est (inquis) villa vera & propria ex-
terna iurisdictionis in Ecclesia. & l.2.c.7.n.6. Sicut Parisi-
enses de iure divino veram iurisdictionem in Ecclesia nullam
esse sed T.O.T.A.M. charitate regi, regulis voluntariis ac
documentis, suasione horribus, increpationibus & observationibus.
Hec ibi. sed l.2.c.7.n.3. contrarium formalissimum sibi.
Apostolus (inquis) erat actualis Episcopus cum potestate &
iurisdictione ibi dimitur at ubi munus suum Apostolicum ex-
ercebat: sed in reliqua loca longè distata nullam habebat actas
iurisdictionem seu habitu. Loqueruntur autem de VERAM IURIS-
DICTIONE EXTERNA POTESTATIVA: nam de
Charitatiuâ instructione, admonitione & directione non
loquor: hanc enim exercuerunt Apostoli perpetuo erga re-
motiores Episcopos, ut patet in Paulo monente & instruente
Titum & Timotheum & Corinthios per Epistolam. Hacten
nec video, quis potuisse formalius, expressius & ma-
gis in terminis tecum ipse pugnare, si studiosè hoc fa-
cere laborasses. Ante dixeras nullam veram exter-
nam iurisdictionem in Ecclesia reperiiri, totam Cha-
ritate regi & regulis voluntariis: nunc dupliceem di-
stinguis in Ecclesia iurisdictionem: unam Potestati-
uam veram exterham, quam Apostoli exercuerunt
in locis & viis erant; alteram charitaciam, quae
consistit in admonitione & instructione, quae se et-
iam ad loca remotissima extendebat. Quomodo igit-
tur nulla iurisdictionis vera externa, sed tantum chari-
tiuia in Ecclesiis.

TERTIA CONTRADICTIO.

14. L.2.c.5.n.25. dicis Baronium errore intolerabili-
Baron an. scribere Christum suam quam habebat ut homo po-
34.n.197. testatem in Apostolos transmisso. Non enim (inquis)
eandem quam habuit, quam habuit, Christus potestatem in
Apostolos transmisso, ea nudum ministerium. In Christo e-

nim potestas capitis & Regis tota & precipua est; in Apostolis vero non nisi ministerialis. Hæc ibi. Sed l. i. c. 8. n. 4. quid scribis? è diametro contraria. Christus (inquis) cum dixit Apostolis, sicut misit me pater & ego mittio vos, totum suum officium & TOTAM POTESTATEM, quæ hominibus mortalibus communicari poterat, generalissime tribuit & communicat. Et ibidem. Christus cum dixit omnibus pariter Apostolis; euntes docete omnes gentes, præmisit illa verba; data est mihi omnis potestas in celo & in terra; Ioan. 20.
Matth. 28. ut significaret se eos cum EADEM POTES TATE, intelligo quatenus communicabilis esset, omnes aque instructos ad habendam ouium curam mittere. Hic in primis tibi ipsi turpissime contrarius es. Dicis esse errorum intolerabilem Baronij, quod dixerit Christum eandem potestatem, quam ut homo habuit Apostolis communicasse. Sed tu non modo dicis eandem communicasse, sed etiam totam eandem potestatem sine ylla limitatione, quatenus mortali creaturæ Christi potestas communicabilis est. Deinde hinc probatur, quod vera potestas capitis & Principis Ecclesiastici data fuerit Apostolis. Nam Apostoli eandem potestatem, quam Christus habebat quatenus communicabilis mortali erat, totam à Christo acceperunt. Sed tota potestas Christi est potestas capitis & Principis, qui potest hominibus imperare, leges condere, ad easque seruandas homines obligare. Nec dubium esse potest, quin Christus huius potestatis mortales facere particeps poterat: si voluisse (inquis l. 3. in proœmio) Christus, certè poterat unum Ecclœsia sua Monarcham instituere & suis operarijs praesicere: quia dubitat? Igitur cum Christus totam suam potestatem mortalibus communicabilem Apostolis communicauerit; præfulatus autem cum vera iurisdictione in Christo fuerit; & mortali communicabilis sit: cœcus est qui non videt ex his

20 MONARCHIAE ECCLESIASTICAE,
dictis tuis consequens esse Apostolos præfusatum
cum verâ iurisdictione potestatiâ externâ acce-
pisse.

QUARTA CONTRADICTIO.

15. Lib. I.c.2.n.13. *præesse* (inquis) & *præcipere cum po-*
testate in Ecclesia est solius Christi : Apostoli vero omnes
ministri tantum sunt, & cooperarij. Hic dicens Aposto-
los non potuisse cum potestate præcipere. Sed I.I.C.7.
n.12. dum sententiam impugnas, quam falsò tribuit
Bellarmino, potestatem præceptiuam soli Petro ex
Apostolis datam esse sic scribis. Effectus ipsi sunt nobis
firmare regula & documentum. Quis plura dat præcepta toti
Ecclesia, Petrus, an Paulus, an Iacobus? Paulus tradit Sata-
na & minatur se in virga venturum. solusne igitur Petrus
habuit potestatem præcipiendi & excommunicandi & po-
nas infligendi? Hæc tu, in Bellarminum ut ineptè pu-
tas, reuera autem in te ipsum. Nunquam enim som-
niauit Bellarminus, nedum dixit potestatem præce-
ptiuam, vel virgam seu potestatem puniendi datam
soli ex Apostolis Petro: tu verò sæpe asseris potes-
tatem præceptiuam seu præcipere cum potestate, nulli
Apostolorum conuenisse, cum tamen modo contem-
nas quemlibet Apostolum potuisse cum potestate
præcipere, & ad populos Christianos refractarios in
virgâ venire, hoc est, cum potestate (ut interpretaris)
pœnas infligendi. Imo I.2.c.6.n.3.adfers & probas di-
ctum Episcoporum Galliæ, qui Ludouicum Pium
depositerunt, qui dicunt Episcopos à Christo imme-
diatè habere potestatem Reges è solijs ad publicam
pœnitentiam deprimendi. An hoc nudum ministe-
rium & mera Sacramentorum & verbi administra-
tio? Deniq; I.I.C.7.n. 21. notas Hieronymum dixi-
se, Petrum reliquis Apostolis præferri, non præfici-
nam præfici (inquis) iurisdictionis est, præterri au-
tem

apud Ba-
ron. tom. 9.
an. 833. n.
10.

tem comparationis; sicut cum dicitur aurum præfer-
rur argento. lib. autem 2.c.n.1. Episcopi (inquis) cum
tot a plenitudine potestatis Apostolica Ecclesiæ ab Apostolis
præficerantur. Ergo cum iurisdictione præerant, &
multò magis Apostoli, à quibus iurisdictionalem
præfecturam acceperant. Quare l.i.c.ii. nu.4. repu-
gnantiam inuoluit tua ista sententia. *Christus agnus om-
nes Apostolos Ecclesie sua præficerat, & præfecturam hanc
Ecclesiasticam nolebat in se formam habere vera iurisdi-
ctionis humana.* Nam si præfici iurisdictionis sit, certè
repugnat Apostolos Ecclesiæ à Christo verè præfici,
& tamen eorum præfecturam ne formam quidem vlt.
jam veræ iurisdictionis habere.

QVINTA CONTRADICTIO.

L.i.c. ii. n. 5. dicis *Christum prohibuisse Apostoli do-* 16.
minatum, id est præsulatum cum propriè dicta iurisdictione,
*separatq; eos & plurimum vult differre à Regibus in re-
gimine.* Sed l.z.c.i.n.4. duplicem distinguis in Apo-
stolis potestatem mittendi; vnam ordinatiuam, quâ
ministros crearent & authoritate munirent; alteram
dispositiuam, quâ ministros constitutos per Ecclesiæ
vbique distribuerent. Et l. z.c.3.n.30. dicis in primis
ministris Euangelij tantum fuisse ferorem, vt se in-
uicem potius præuenirent, quâ mandata & iussa
inferiores à superioribus exspectarent. Hic planè
supponis superiores Ecclesiæ primitiæ, i.e. Aposto-
los habuisse potestatem, quâ mandando & iubendo
mitterent ministros, quamvis illi ex suo ferore tale
missuum imperium non exspectarent. Vnde for-
matur aliud pro vera iurisdictione Ecclesiastica ar-
gumentum. Mittere ministros & operarios in om-
nem terram de ijsq; ad libitum pro bono Ecclesiæ
disponere est imperium exercere in Ecclesia, quale
exercet Rex in subditos, Imperator in milites, qui
dicit



dicit vni vade & vadit, alteri veni, & venit. Sed Apostoli habebant potestatem mittendi ministros Evangelij per totum mundum, & missi tenebantur ire, & reuocati redire. Igitur Apostoli veram iurisdictionem, similem iurisdictioni & imperio humano exercabant. Confirmatur hoc argumentum ex eo quod scribis l.i.c.ii.n.11. *Vera missio esse non potest, sine autoritate in mittente & superioritate super missum: rogare enim & consulere reuera non est mittere.* Sed Christus Apostolis dedit veram potestatem mittendi ministros & operarios. Nam eandem potestatem mittendi quam ipse habuit, Apollolis, si tibi credimus, totam dedit, quatenus communicari mortali poterat. Quis autem tam impudens, vt dicat Christum potestatem mittendi verè imperiale non habuisse, aut tam stupidus, vt potestatem mandandi & iubandi, cum vera iurisdictione & autoritate mortali tribui non posse existimet?

SEXTA CONTRADICTIO.

17. L.I.C.2.n.20. *Habemus* (inquis) *Apostoli nihil aliud datum, nihil communissimum nisi nudum ministerium.* At l.2.c. 3.n. 9. dicens expressè Christum non solum ministerium in Ecclesia, sed etiam regimen instituisse: in uniuscunque Apostolis quædam munera ministerialia, quædam propria Ecclesiastica iurisdictionis: omnia officia ministerialia potuisse Apostolos Presbyteris communicare; munera vero iurisdictionalia sibi & Episcopis reseruare debuisse. Hæc tu. si non modo ministerium, sed etiam regimen Christus instituit, quomodo dedit Apostolis nudum ministerium? si sit in Ecclesia à Christo instituta propria iurisdictione, quomodo in Ecclesia nulla vera iurisdictione? Et ibid. l.2. c. 3. n. 19. sic scribis: *De iurisdictione autem in Ecclesia regenda, qua propter spectat ad Episcopos sive in potestate clauium & excom-*

muni-

municationis siue in dogmatibus fidei examinandis & definiendis siue in canonum promulgatione & dispensatione , siue in iudicis Ecclesiastici pertractandis siue in bonis exterius administrandis siue in beneficiis conferendis postea agam fuisse , in quibus luce pomeridiana clarius apparebit , primum regimen Ecclesiasticum pene Episcopos resedisse quos semper Ecclesia est venerata tanquam veros & proprios Apostolorum successores . Ex his verbis tuis sic arguo . Potestas quae c inuenit Episcopis , quatenus Apostolorum successores sunt , conuenit ipsis iure diuino , eamque Apostoli immediate à Christo acceperunt . Sed vera potestas iurisdictionis in regenda Ecclesia conuenit Episcopis quatenus Apostolis succedunt , nimisrum potestas excommunicandi & poenas infligendi , dogmata fidei controversa examinandi & definiendi , iudicia Ecclesiastica pertractandi , bona ex erna administrandi beneficia conferendi , leges promulgandi in iisque dispensandi . Quis igitur sanæ mentis hæc omnia mera minister a prædicâdi Euangelium & Sacra- menta ministrandi dicat ? tu præsertim , qui proprium regimen à ministerio distinctum appellitas ? Quid? quod Episcopis potestatem dispensandi in votis , quæ diuino iure vincunt voventem tribuas ? scribis enim l.2.c.ii n.15. Virgines sacras olim nupsisse , cum dispen- satione (inquis) procul dubio in voto & professione casta- tur . Quam dispensationem ex legitimis causis , Sancti Epis- copi absque Romani Pontificis aut Penitentiaria rescriptis ab ipsorum pendere potestate non dubitarunt . Dispen- sationem autem in votis quis nydum ministerium verbi sine vlla vera potestate soluendi aut ligandi appellat ? nemo prorsus , nemo qui sanæ mentis est .

Ex his , luce , non pomeridiana , vt tu post prandium loqueris , sed meridiana clarius constat , te tui operis fundamenta demoliri , qui veram iurisdictionem da-

tam Apostolis s^epe affiras, nec minus s^epe negas.

SEPTIMA CONTRADICTIO.

18. Cap.i. libri tui primi prima sententia hæc est. *Qui de repub. Ecclesiastica sicut de purè humanis philosophantur, non parum à recto tramite aberrare mibi videntur quia requirunt in ea veram iurisdictionem, hoc est, vim coactuam externam, vbi tamen omnia gloria eius ab intus & præcipuum Ecclesia proprium regimen fide, spe, charitate, alijsq; internis spiritus Sancti donis pene totum absolvitur.* Hæc tu initio libri tui, quæ tibi postmodum è memoria exciderunt. Nam l.3.c.1.n.24.contrarium doces; vbi disputans de dicto Cypriani ; Episcopum à solo Deo iudicari refellensq; Bellarminum, qui explicat hoc intelligi in rebus internis & occultis, ita scribis. *Quod ait Bellarminus de occultu non est ad rem; sermo enim Cypriani est de regimine Ecclesie tam in doctrina quam in disciplina, quod regimen totum est publicum & patens, & potissimum includit potestatem iurisdictionis & clavium.* Quàm perfecte & in terminis contra teipsum scribis ? Prius dixeras regimen Ecclesiæ potissimum in rebus internis & penè totum absolui, & propterea iurisdictionem excludere : nunc dicis res occultas & internas ad Ecclesiæ regimen non pertinere ; regimen Ecclesiæ totum publicum & patens esse, & ideo iurisdictionem & claves potissimum include-re. Quàm plena & perfecta contradic^tio ? Ex his autem duobus dictis tuis inter se cōtrarijs hoc ultimum verum est , de regimine Reip. Christianæ externo; internum verò cum Reipublice seu societatis humanae notione pugnat. Nam respub (vt ipsum nomen indicat, & tu in proximo libri tui primi n.1 definis) est multitudo hominum in unum coalescens vitæq; communione colligata. Sed merè internis virtutum actibus

actibus homines quidem coniunguntur Deo, cui noti sunt, non autem inter se. Neque enim actus merit interni, si boni sunt, bona publica sunt; neque si mali, mala publica sunt. Igitur ex horum actuum merita internorum communione respublica seu societas humana coalescere non potest. Cum ergo actus merita interni non sint reipublicae seu societatis humanae vincula, certe regimen Ecclesiae circa illos per se non versatur, sed per se circa actus externos quos videre, dirigere & punire potest. atque adeo regimen hoc veram iurisdictionem includit.

ARTICVLVS III.

*An Christus Luc.22. reprobauerit in Ecclesiâ
Primum.*

IA M tertium restat examinandum, quid Christus ^{19.} prohibuerit Apostolis Luc.22. cum dixit illis; *Reges gentium dominantur, vos autem non sic.* Afferis & centies repetis prohibuisse veram superioritatem, reprobasse primatum; nunquam autem hoc probas.

Dico igitur, Christum, quum prohibet Apostolis dominatum, non verum Principatum remouere ab Ecclesia, sed tantum fastum & superbiam terreni Principatus. Probatur quinque argumentis: Primo quia Christus per verba (*Reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic*) non magis remouet verum Principatum ab Ecclesia vniuersali, quam ab Ecclesijs particularibus. prohibet enim omnibus Apostolis respectu omnium locorum & personarum dominationem. Sed in Ecclesijs particularibus non prohibuit Monarchiam neque verum Principatum, sed instituit & præcepit, ut tul.2.c.3.n.12. afferis. Erant in-

quis, tempore Apostolorum Episcopi singuli in singulis Ecclesiis ab Apostolis constituti & sine cum vera superioritate & praemonitione supra Presbyteros. Igitur cum Christus prohibet dominationem non veram superioritatem in Ecclesia, neque verum Principatum, sed tantum fastum & arrogantiam in gubernando prohibet.

Secundò probatur quia Christus cum dixit, Reges gentium dominantur, vos autem non sic non aliud prohibuit Petro respectu Apostolorum, quam Petrus prohibuit Episcopis respectu Presbyterorum, cum dixit

I. Petri c. 3. non dominantur in clericis, sed in formis facti gregu ex animo. Y. 14.

Sed Petrus per hæc verba non prohibuit Episcopis exercere veram superioritatem, vel monarchicum regimen supra Presbyteros. Nam I. c. 12. n. 7. dicit singulas Ecclesiis ab uno Episcopo monarchice gubernari. & n. 12. Ecclesiam Christi, spiritu Christi instructam in singulis Ecclesiis Monarchiam voluisse. Non igitur Christus his verbis Reges gentium dominantur, vos autem non sic Petrus prohibuit veram superioritatem & principatum supra reliquos Apostolos exercere.

Tertio probatur, quia Christus cum dixisset Reges gentium dominantur, vos autem non sic statim subdit, Nam & ego in medio vestrum sum, sicut qui ministrat, ex quibus verbis sic arguo. Christus cum dixit Reges gentium dominantur, vos autem non sic, non aliud remouit ab Apostolis & exclusit, quam quod ab ipsis absuit quem proponit ipsis imitandum, Sed à Christo absuit fastus & superbiam, quæ solet Principibus inesse, non vera potestas & officium Principis respectu Apostolorum, quibus multa præcipere, iubere & imperare solebat, quos cum delinquerent corripere, denique varijs itineribus hinc inde mittere. Igitur Christus non Apostolis officium, sed fastum prohibuit Principatus, superbiam non potestatem Principis ab Ecclesia remouit. Quare magna est temeritas tua, qui l.

I.C.

A.C. II. n. 6. sic Christum loquentem inducis. *Ego qui sum vester & totius Ecclesia Dominus & caput, ad hoc natus & missus, à Patre totus occupor non in imperando sed in ministrando.* Vbi enim hoc Christus vñquam dixit? vel hoc dicere quomodo verè potuit, cum multa Apostolis imperauerit, multa Ecclesiæ suæ præcepta dederit. Temere tam apertè falsa in os æternæ veritatis, quasi illius pronunciata per vim ingeris.

Quarto probatur quia Christus post verba Reges 20.

geniū dominantur vos autem non sic, statim subdit, sed qui maior est in vobis fiat sicut minor, & qui præcessor est, sicut minister. Quæ verba supponunt inter Apostolos vnum futurum maiorem, quem quia reliquorum superior & præcessor seu Princeps futurus erat, ne more Regum Gentium dominetur Christus hortatur, ut Bellarminus & alij Catholici arguunt. Respondet I. c. II. n. 5. *bunc sensum esse detortum:* Idem enim (inquis) significant ista verba, qui maior est in vobis fiat sicut minor, quod illa alia, si quis vult primus esse, erit omnium nouissimus, & illa, qui minor est, imber vos hic maior est, quibus verbis Christus nullum ponit aut supponit realē primatum, sed potius omnem aufert. Itatu; qui quō charissimæ veritati tenebras offundas, textum Euāgelij corrumpere non dubitas, & ex illo loco producere, quæ non existant. Vbi enim in toto Euāgeliō reperitur hæc sententia, quam tanquam Euāgelicam citas; *qui minor est inter vos omnes, hic maior est.* vel ista; *qui vult primus esse, erit omnium nouissimus* vbi; inquam, hæc verba, quæ velut Euāgelicā citas, in Euāgeliō exarata inuenis? Nusquam; ut merito quis posset tuis aduersum te verbis exclamare; *Dens bone;* itane sacris ad voluntatem; (ne I. c. 4. n. 8; dicam ad libidinem) abutis scripturis! Dicit quidē Christus Matth. 20. v. 26. *quicunque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister.* & Marc. 10. v. 44. *qui voluerit in yo-*

I. i. de Rom.
Pont. c. 9.
Sand. l. 6.
vis. Mon.
c. 1.

in vobis primus esse. erit seruus omnium , tanquam prædicens titulum serui seruorum Dei, quo Princeps seu maior Ecclesiæ insigniendus esset. Hac autem in sententia, sicut & in ista , *Qui maior est in vobis fiat sicut minor,* semper Christus maiorem aliquem seu superiorem inter Apostolos vnum futurum supponit. Nam si nullus inter ipsos maior esset , frustra maiorem inter ipsos ad humilitatem hortaretur, vt sit non minor (vt tu fingis,) sed tanquam minor ; hoc est, humilitate tanquam minimum & nouissimum se gerat, quamvis officio & potestate omnium primus & maximus sit. Quare non officium Maioris & veri Superioris in Ecclesia prohibet, sed modestiam Maioribus & Principibus Ecclesiæ imitandam proponit.

ex. Quintò probatur , quia eam Christus dominatiōnem Apostolis prohibuit de qua tunc temporis Apostoli inter se litigabant. Apostoli verò de dominatione temporali, de fastu & superbia Principum huius mundi disputabant , quando quærebant inter se *quis eorum futurus effet maior :* & à Christo , *quis maior est in regno cœlorum ?* vt tu l.i.c.12.n. 1. fateris clarissimè. Apostoli (inquis) qui Messiam dominatione temporali in mundo regnaturum ex scripturis male intellexerunt cum Hebrews existimabant , magnas sibi apud Christum , quem Messiam agnouerant , dignitates pollicebantur , & inter ipsos vnum primum locum habiturum varijs conjecturis autemabant. Hoc illud est quod à Christo curiosius inquirebant , cum accesserunt ad eum dicentes. *Quis putas maior est in regno cœlorum ?* Hæc tu : Quare, non possum non mirari inconstantiam tuam, qui alio loco l.i.c.9.n.6. Apostoli , inquis , tunc cùm dicerent , *qui putas maior est in regno cœlorum , de temporali Principatu huius mundi ne cogitabant quidem : sed per regnum cœlorum intelligent præsens regnum spirituale Ecclesiasticum.* Vide quam pugnant inter se hæc duo dicta (quorum utrumque tuum

tuum est,) Apostoli cum dicerent, qui putas maior est in regno cœlorum de dominatione temporali in regno Christi cogitabant: & Apostoli cum id interrogarent, de regno temporali & dominatione ne cogitarunt quidem. Qui vero fieri poterat ut de regno temporali ne cogitarent quidem, cum de regno Messiae cogitarent & quærerent, si (quod tu fateris) regnum Messia terrenum & temporale futurum existimabant? Igitur cum Christus ad Apostolorum cogitationes responderet, eis dominationem temporalem, fastum, superbiam, tyrannidem prohibuit, non regimen spiritale, humile, modestum, paternum.

Ex dictis hoc capite, duo Corollaria colliguntur.

Primum, quod Christus Ecclesiæ Monarcha sit, 22.
 hoc non obstat quin Respublica Ecclesiastica veram formam regiminis à Christo institutam habere possit: vt tu ipse l.i.in proœmio n. 3. afferis, ubi dicis hanc quæstionem, quod genus regiminis Christus reliquerit Ecclesia per mortales ministros exercendum esse factum taxat. Nam potuit Rex Christus (inquis) non destruto regno suo Monarchico eam formam regiminis spiritualis instituere, que ipsi magis placuerit, aut Monarchicam, aut Aristocraticam, aut Democraticam, aut ex his mixtam: quam verò instituerit harilandum non est, sed ex ipso facto inquirendum. Ita tu: Quod non cohæret cum illo quod iam te toties affirmantem audiuiimus; quod posita Christi Monarchiâ quærere aliam formam regiminis per mortales eius ministros exercendam, sit importunum & actum agere, & disputantes supponere falsum; Christum scilicet non esse actu Ecclesiæ militantis caput & monarcham. Hæc (inquam) non sibi consonant. Nam si posito regno Christi monarchico aliam formam regiminis per mortales in Ecclesiâ exercendam quærere sit importunum, sit actum agere, sit disputare ex falsa suppositione quod Christus

stus non sit actualis Ecclesiæ militantis monarcha: quomodo verū est quod dicas Christum potuisse retento sibi & non destrō regno suo Monarchico quamcunq; for man regiminis, siue Monarchicam siue Aristocraticam siue Democraticam siue ex his tribus mistam instituere per mortales eius ministros exercendam. Nam si vera forma regiminis Ecclesiastici inter mortales exercendi con sūttere potest cum regno Christi Monarchico, prosc̄cto quæstio de forma regiminis à Christo Ecclesiæ relicta non supponit falsum, Christum non esse auctur totius Ecclesiæ monarchiam tecumque ipse pugnasq; qui Monarchiam & omnem veram formam regiminis ab Ecclesia reiecis, tanquam Christi supremi Reginis Principatui repugnantem.

Secundum corollarium hoc est; ex dictis posseq; concludi monarchicum Petri Primatum: quia Christus Ecclesiæ reliquit verum & perfectum regimen. Non reliquit autem regimen Democraticum, ut tanquam certum supponis; nec Aristocraticum verumq; & proprium, ut aperte fateris; nec Aristocraticum mixtum, quale tu singis, ut iam satis ex tuis dictis evi cimus. Restat igitur reliquerit Ecclesiæ Monarcham, non aliud sane quam Petrum, quod iam in sequenti bus probandum assumimus.

CAPVT SECUNDVM.

*Primatus Petri verus & monarchicus probatur ex relectione primatus conficti, nimirum Voluntaria delationis Apostolorum ob Personalia Petri
Privilégia.*

PETRI primatum Scripturis, Patribus, Conci lijs testatissimum verbo negare non es ausus, titulo retento, quo rudioribus imponeres, rem ipsam futili explicatione sustulisti.

SECUND-

SECUNDVM FUNDAMENTVM

ANTONIUM

PRIMATVS PETRI PERSONALIS

FATERIS & plurima **Scriptura** & **Patrum testimonia** **l.i.c.5.**
Feeiri primatum concinere, **b.** quem qui pertinaciter **n.19.**
negat, **hæreticus** sit: **seruum ad inferna demergat**: sed hunc **b.l.i.c.10.**
dicis non esse nisi personalem, quod Petrum perso-
nalibus priuilegijs insignem reliqui Apostoli sua
sponte coluerint eiq; **primas semper detulerint**. **Inue-**
nio ego (inquis. l.i.c.5.n.7.) **Petrum Primatum aliquem**,
circa tamen Primum potestatum & iurisdictionem
esse consecutum, ex etate, ordine vocationis, charitate &
proprijs virtutibus: **vnde factum est ut aliquo modo primas**
inter Apostulos obtineret. **Etc. 9. n.2.** **In hoc quod Petrus**
etate, vocatione & seruore alios superauerit, **& proinde in**
familiaritatem singularem à Christo assumptus, **eisque pro-**
pterea à ceteris magnus honor habitus fuerit, **T.O.T.V.M.** **Petri**
primirum ponimus & agnoscimus: **Hoc singulis pagi-**
nis & prope paragraphis repetitis tanquam totius ope-
ris tuti fundamentum: **imo in primis quinquaginta**
solijs b. p. c. q. a. m. in dicitur hoc à te nullies repetitum.
Quare hoc fundamento euerlo totum adificium
tuum corruat necesse est.

CAPUT SECUNDUM

Eueritur hoc fundamentum per ipsummet

M. ANTONIVM.

IGIT V R pro potestatio Petri seu Monarchico
Primatu ex tuis dictis hoc formo argumentum.

Aliquis Petri primatus vel personalis vel potesta-
tius de fide est, quem qui negat (vt tu fateris) hæreti-
cus est. Sed personalis Primatus non est de fide. Re-
linquitur igitur vt potestatus Petri Primatus de fi-
de sit.

de sit. Minor propositio probatur, quia te concedente totus personalis Petri primatus consistit in quinque Petri priuilegijs ætatis, vocationis, sanctitatis, familiaritatis cum Christo, & voluntarie delationis Apostolorum. Sed nullum ex his quinque priuilegijs de fide est, nedum omnia; sed singula vel aperte falsa, vel incertiſſima sunt, vt iam ex tuis dictis euincam.

ARTICVLVS PRIMVS.

De Primatu etatis PETRI.

3. PETRVM fuisse prorsus omnibus Apostolis seniorem adeo fidei dogma non est, vt vel falso vel incertiſſimum sit. Probatur argumento, quo rebellis Epiphanium, qui Petrum iuniorem facit Andrea l.l.c.5.n. 8. Cur, inquis, mihi non licet alijs potius credere, quam Epiphanio? Quis enim diem nativitatis horum Apostolorum notatum vidit? quis interrogavit eorum parentes? ita tu. Ego vero vicisim à te quaro, cur nobis non licet potius Epiphanio credere, quam tibi, qui Petrum dicas seniorem fuisse non tantum Andrea fratre, sed reliquis etiam Apostolis vniuersis; hocq; esse certum, tanquam ex tripode, pronunciast. Vnde enim hoc tibi constat? tune parentes singulorum interrogasti? vel dics eorum nativitatis notatos vidisti? vel praesens aderas, cum singulos in hanc lucem mater effudit? Non aderas, sat scio; aberas vero, quam Epiphanius multò magis: tamen tibi credi vis Epiphanio credi non vis: quæ de vnius Apostoli natiuitate sine libro dixit Epiphanius, yana, ridenda, somnia sunt: quæ tu non inspecto codicillo natalium omnium Apostolorum natiuitatis ordine effutis, certa, credenda, oracula sunt. Nimium tibi arrogas.
4. Secundo ex authoritate Epiphanij, qui te fatente Andream seniorem fuisse Petro clarissimis verbis in villa

ne villa dubitatione affirmat. Sanctus autem Epiphanius non solum ob antiquitatem, doctrinam, sanctimoniam inter præcipuos Ecclesiæ Patres numeratur; sed etiâ fuit ortu Apostolorū ferè concuius, in regionibus ijsdē educatus, ut hæc abdita scire vel ille potuerit, vel nullus potuerit ex his, quos tu Epiphanio opponis. *Baron.* (inquis l.i.c.5.n. 18.) *affirmat, quod alij oppositum tradiderunt.* Non est ita. Non enim dicit Baronius *tradiderunt*, quasi traditione aliquâ Petri supra Andreâ senioritas accepta sit; dicit post *Epiphanium ali-*
quos contrarium sensisse: posteriores igitur Epiphanio, nec dignos, quos nominaret, Baronius existimauit. tu dignos putas quibus fidé adhibeas Epiphanij autho-
ritatē contemptā. Qui sint nosti, vel non nosti? si nosti cur non nominas? cur eorum titulis librum tuum non illustras, ut sciamus quæ lumina Ecclesiæ Epiphanio anteponas? Si nec eos quidem de nomine no-
sti, vide quam cæco regaris impetu voluntatis, qui Epiphanio, hac præsertim in re; tanto ac tam idoneo testi, authores præfers obscuros, de quibus atri sint an albi, docti an indocti, moderni an antiqui prorsus ignoras.

Chrysostomum aduerseris, vbi supra. qui di-
*drachma pro Petro solutum asserit, quia & ipse erat si-
 cut & Christus primogenitus. Si primogenitus (inquis) ergo hom. 59. in
 senior fratre Andrea. Sed hæc consequentia nulla est a-
 pud Chrysostomum; si tu vera de Chrysost. narras.
 Nam l.i.c.9.n.6.scribis Chrysost. sensisse ex duobus
 fratribus vtrumque primogenitum esse posse, quod-
 que Iacobus & Ioannes fratres ambo primogeniti
 fuerint; *quod (inquis) quâ ratione fieri potuerit non intelligo.* Nec ego sanè Antoni. Enim uero si credidit Chrysost. duos fratres Iacobum & Ioannem ambos primo-
 genitos fuisse, cur non idem sensisse creditur de Pe-
 tro & Andrea? Hoc autem si sensit non minus Chrysost.*

sostomo primogenitus erit Petrus, quam Andreas, neque ex primogenitura Petri illius supra fratrem senioritas colligitur. Mihi verò loqui de spirituali Petri primogenitura Chrysostomus videtur, quā non natus senior Andrea Petrus est, sed constitutus à Christo est Princeps fratum suorum Apostolorum, ratione cuius *primum* (inquit) *omnium Apostolorum esse videbatur*, eumque solum de tributo exactores compellarunt: quam Petri dignitatem in suæ primogenituræ consortium assumptam Christus eiusdem tributi solutione illustravit. Rectè autem arguit Chrysost. non carnalem in Petro primogenitutam suisse à Christo honoratam, quia tunc etiam honorasset primogenitutam Iacobi & Ioannis; quorum, inquit, *Dates* Θ. *Apostolorum* Θ. *iv*. alter primogenitus erat, non vterque, vt tu male interpretaris, quo Chrysostomū risui exponas, illi infensus, quod occasione tributi, quo Domino Petrus fuerat comparatus, valde illius supra ceteros dignitatem exaggeret.

6. Tertio Apostolos Petro primatum non detulisse propter ætatem probatur ex eo, quod Hieronymus reliquos Apostolos à Ioanne qui penè puer electus est, vocet *proiecta etatis viros*, quo dicto magis adhuc ambiguus redditur ætatis Petri primatus. Nam, qui merito ætatis reverentiam sui reliquis indicit, eos non paucorum mensium aut annorum numero, sed longo ætatis interuallo debet excellere. Pueri viros, iuvenes senes venerantur, quos ante se longe politos vident: pueri pueros, viros viros obseruare non solent, ob ynius aut alterius anni discrimen. Fuerit Petrus ceteris Apostolis aliquanto senior, hoc senserit Celsianus, qui dicit *Petrum antecessisse etate* (quamvis non dicat omnes antecessisse), non dicat antecessisse Andream; qui probas, vel qui probari potest, quod Petrus tanta fuerit super ceteros maietas ætatis, quā ve-

lib. i. ad-
uerius Io-
uin.

de incar-
nat. l. 3.

nera-

enerationem sui, primumque locum à socijs Apostolis
perpetuo extorsérit? Dicis tu quidem l.i. c. 5. n. 9. Pe-
trum dignum fuisse, quem propter ingrauescentem iam et a-
tem reliqui suspicerent; sed hoc dicis tantum nec verbo
probas, cum tamen neq; credibile videatur, Petrum
si iam deuexā ētate peruenit ad Christum, postea tan-
tis tot annorum laboribus suffecisse; neque satis E-
uangelio consonat Petrum, cum vocatus fuit grauem
annis facere, cum Christus post suam resurrectionem
ipsi dixerit, *cum autem senueris alius cinget te*, quo loco *Ioan. 21.*
colligit Chrysost. Petrum tunc temporis senem non
fuisse. Addo hinc colligi probabiliter Petru iuuenem
tum fuisse, cum dicat ei Christus, *cum essem junior cim-
gebas te, cum autem senueris alius cinget*. Hic Christus si-
gnificat duplēm præcinctiōē Petri, unam que
iam contigerat Petro iuueni, alteram, quæ postea Pe-
tro contingeret seni. Sed præcinctio, quæ Petro con-
tigit iuueni, fuit illa, quæ hæc Christi verba inme-
diatè præcessit, cum scilicet Petrus tunica se præcinxit
& misit in mare ad Christumque nando peruenit.
hæc enim Petri præcinctio ex summo Petri in Chri-
stum amore & simul iuuenili audacia procedit, eaque
Christus delectatus illum Ecclesię Pastorem conti-
tuit, mortemque crucis sub metaphora præcinctiōis
illi prædixit. Igitur præcinctio illa quæ Petro iuueni
contigit immediae ante hæc Christi sermone præces-
sit, atq; adeo cū post Christi resurrectione contigerit,
sequitur Petrum post Christi resurrectione iuuenem
fuisse. Nec obstat quod Christus dicat in præterito,
cum essem junior cimgebas te, significat enim Petri iuuen-
tutem præterita fuisse respectu temporis, quo secun-
da præcinctio contigit, simulq; præcinctione iuuen-
tutis Petri, non ipsa iuuentutē præterisse. Ex his constat
Petri supra cunctos Apostolos priuilegiū ætatis valde
intertū esse, indignumq; quod à temiliis repetatur,

ARTICVLVS SECUNDVS.

De primatu vocationis Petri.

7. **D**E ordine vocationis (inquis l.i. c.5.n.10.) neminem
iam habemus, qui se nobis opponat. omnes enim facile
concedunt ad Apostolatum primum omnium Petrum fuisse a
Christo vocatum & admissum. Quamuis enim Andreas
primus cœperit Christum libenter audire, isque Petro fratre
Christi sequelā persuaserit; nihilominus ubi de perfecta ad
hæfione ad latus Christi agi cœptum est, prior Petrus Christo
adhæsit, imo omnium primus. Hæc tu. Sed Triumphum
canis ante victoriam, nec intelligis hac in contentio
ne, quam potentes aduersarios habiturus sis, S. Au
gustinum, Ioannem Euangelistam, & denique (quem
maximi aestimas) te ipsum.

Dico primo, Petrus, non fuit *omnium* qui Christo
adhæserunt *primus*, nec *primus discipulus*, *primus voca
tus*, *primus obediens*, quibus eum tu titulis insignis.
Probatur ex tuis verbis l.2.c.3.n.2. ubi quod hic alle
ritis euertis. *Christum* (inquis) *discipulos*, *prinsquam Pe
trum & Andream* vocasset habuisse, certum est; quos apud
se detinebat ut discerent, & testes oculati esse possent vita
& actionum eius, eosque ad baptizandum interdum adhi
bebat, mox ad Euangelizandum tanquam magistros emis
situs: horum discipulorum numerus indies crecebatur, & tam
men necdum vocati fuerant ad plenam Christi sequelam
Petrus & Andreas. Hæc tu. Si Christus discipulos ma
gno numero habuit, qui illi adhærerent, quos apud se
detinebat antequam Petrus vocaretur; quis non vi
det fundamentum tuum corruere, quod toties repe
tit, Petrum dici Principem discipulorum Christi,
quia primus vocatus & obediens tempore fuit, primus
que omnium Christo adhælit?

Dico

Dico secundo: de quinque Apostolis Iacobo Al- 8.
 phai, Thoma, Bartholomeo, Thadæo, Iudæ Iscariotæ, an priores Petro Christo adhæserint incertum est, tamen multò probabilius priores Petro fuisse. Quod res incerta sit colligitur ex eo quod vbi supra l. 2. c. 5. n. 3. scribis de vocatione hōrum Apostolorum nihil haberi in Scriptura, sed necesse est (inquis) hos multititudini illi discipulorū, vel sponte, vel vocatos, fuisse aggregatos; ex quā multitudine postea duodecim sunt separati. Hæc tu: vbi obiter obseruo te hoc loco dubitare an omnes Apostoli vocati fuerint, & insinuas aliquos non vocatos sua sponte ad Christum accessisse: At eodem l. 2. c. 2. n. 5. omnes Apostolos (inquis) immediatè fuisse à Christo vocatos & nemo sane mentis dubitat. Quomodo igitur tu sanæ mentis, qui dubitas, & sub dubio rem relinquens dicas ad Christum vel vocatos vel sponte accessisse? Deinde cum S. riptura, te fatente, nihil dicat de tempore adhesionis ad Christum istorum Apostolorum, vnde tu colligis certum esse eos post Petrum Christo adhæsse? præsertim cum dubitet Augustinus. Nam de consensu Euangelistarum l. 2. c. 17. in illa verba Euangelijs descendit Jesus Capharnaum ipse & fratres eius, *Ioan. i.* & discipuli eius, querit Aug. qui fuerint illi discipuli, qui iam Christo adhæserant priusquam descenderet Capharnaum? Respondet esse incertum, an in illis fuerint Petrus & Andreas, quia Matth. c. 4. prius narrat. Dominum venisse Capharnaum, & postea Petrum & Andream de naui pilantes vocasse. An igitur Matthæus, quod pretermiserat recapitulavit, an potius alij discipuli ante Petrum & Andream Christum sequebantur. Quocum ordinę vocati sint omnes Apostoli in Euangelistarum narrationibus non appetet; quandoquidem non tantum ordo vocationis, sed nec vocationis commemorata est omnium. Vides S. Augustinum existimare non posse ex Euangelijs colligi hos quinque Apostolos post Petrum

Petrus post nuptias in Cana, quæ multis mensibus,
fortassis integro anno post Christi baptismum con- Vide Suar.
tigerunt, vocatus est. igitur valde probabile est ali- tom. 2. in
quos de discipulis, qui statim post eius baptismum 3. P.
Christo se magno numero coniunxerunt Apostolos
fuisse.

Dico tertio, certum est Philippum Apostolum ^{10.}
priorem Petro Christo adhæsse; quod etiam fa-
teri oportet de Nathanaele, quem tu vnum ex duo-
decim facis. Primam partem conclusionis de Phi-
lippo tradit expresse Augustinus loco citato, qui
vocationes Apostolorum ad Christi sequelam tra-
ditas in Euangelio ordine recensens primo loco nu-
merat vocationem Philippi. Non, inquit, *vocatio com- memorata est omnium sed tantum Philippi & Petri & An- drea & Iacobi & Ioannis & Matthai.* Imo conceptis
verbis asserit antequam Petrus & Andreas Christi de conf.
vestigijs inhærerent, iam sequebatur *eum Philip us,* Euang. l. i.
quem sic vocarat, ut diceret ei sequere me: Quod Augu-
stini argumentum conuincit Philippum tunc Chri-
sto adhæsse. Non enim dixit illi dominus ut dixerat
Andreas *enī & vide,* quæ fuit in uitatio tantum ad
domum & vnius noctis hospitium, *sed sequere me;*
sequelam proponens absolutam nec loco defini-
tam nec tempore, qualem postea Petro & Andreæ
proposuit dicens, *Venite post me, faciam vos fieri pis- catores hominum,* & Mattho verbis totidem & iisdem,
quibus Philippum vocauerat *sequere me.* Quare in ap-
pendice libri tui, vbi ponis à te omissa pag. 39. vbi di-
xeras Petrum primum vocatum & primum om-
nium Christo adhæsse addis hæc verba. *Philip-*
pum sanè ego primum voce Domini vocatum inuenio Ioan.
1. Sed fortassis ne ille quidem tunc perfecte adhæsit. Hæc
tu: Iamque dubitas de prima Petri vocatione quam
dixeras certam apud omnes esse & in libro tuo

millies tanquam certissimam repetis. quanquā quod dubites de Philippi adhæsione ad latus Christi impie facis. Nam cum Philippus tunc vocatus à Christo sit ad sequelam absolutam & perfectam, sequere me; si Christo non adhæsit, vocantem Christum impie spreuit; si Christo adhæsit, sed postea discessit, vocationemque deseruit Apostata fuit. Igitur cum Philippus perfectè à Christo vocatus non potuerit Christum sine graui peccato deserere, cur de Philippi pietate sine causâ dubitas; fortassis tunc perfectè non adhæsit? præsertim cum l.2.c.3.n.2. contrarium ut certum supponas. Dicis enim quinque discipulos ad Christum primos accessisse, Andream, alium cuius nomen non exprimitur, & Simonem Petrum, Philipum & Nathanaelem, sed priores tres (inquis) non tunc penitus Christo adhæserunt, sed ad proprias domos redierunt, & postea Petrus & Andreas vocati sunt. Hic supponis Philippum & Nathanaelem cum Christo mansisse, non ut Petrus & Andreas ad propria Christo cognito rediisse; & ibidem n. 3. loquens de vocatione Apostolorum, quā Christum spretis omnibus fecuti sunt; nubi, inquis, videtur ferme certum Simonem Zeiloten fuisse ipsum Nathanaelem cuius vocatio specialis in Euangelio est celebris. Duo asseris. Primo. Nathanaelem Apostolum fuisse, secundo eius vocationem ad Christi sequelam celebrem in Euangelio existere Ioan. i. quæ prior Petri vocatione fuit. Habemus igitur duos Apostolos, de quibus certum est ex Euangelio Christo adhæsse, priusquam Petrus vocaretur.

- II. Dico quarto. Petrum non priorem Andrea vocatum sed simul utrumque vocatum, & simul Christo adhæsse. Patet ex Euangelio Matthæi, c. 4. qui simul utrumque vocatum narrat. *Vidit duos fratres Petrum & Andream nūtentes retia in mare & dixit eis; Venite*

nite post me, faciam vos fieri pescatores hominum. Video tamen huic argumento responderi posse Petrum & Andream separatâ vocatione vtrumq; ad Christum adductum esse, prius Petrum, deinde Andream; Euangeliastam vero breuitati studentem vtramque vocationem copulasse, quasi vnica fuisse. Quod confirmari potest ex Euangelio Luç. c. 5. qui refert Dominum Petro singulariter dixisse. *Ex hoc iam eris homines capiens;* que videtur Petri vocatio fuisse, nam subditur *relictis omnibus secutus est eum.* Hanc responsonem viri docti sequuntur, quâ nobis ex hoc reti, in quod te stringimus posses elabi, nisi tam crassus esles, vt alibi l. i. c. 9. n. 7. assertionis tuæ de Petro primum vocato immemor, planè contrarium scriberes. **Petro & Andrea** (inquis) *s i m v l Dominus dixit, venite post me. Si simul dixii vtrique, venite post me, non prius vnum vocauit, quam alterum, sed simul vtrumque.* Si dicas simul vtrumq; vocatum; Petrum tamen feruore quodâ animi prius sequi cœpisse, repugnas Euangelistæ, qui de vtrisque scribit, *continuo relictu retribus secuti sunt eum.* Si continuò nullâq; interpositâ morâ vterque sequelæ se accinxit, certè simul vterq; ad Christum accessit, simul Christo adhæsit.

Ex his constat Rempub. tuam Ecclesiasticam, futilem & inanissimam esse; cum tota innitur huic principio, Petrum etate & vocatione Principem inter Apostolos fuisse. Nam Petri senioritatem incertissimam esse confat: de vocatione vero ipsius primâ, quam temerè ut certam asserueras, iam ipse subdubitas. Et vt corstet te non in petra, Patrumque doctrinâ, sed in arenâ capitis tui hanc tuam Rempublicam fundasle, mirabili oscitantiâ Bellarmino obijcenti Epiphanium, qui dicit Petrum à Christo electū ut esset dux discipulorum, respondes l. i. c. 10. n. 4. Epiphanium hoc dicens co quod Petrus senior fuit &

C 5 pri-

primus discipolorum ordine vocationis, cum tamen hic fatearis Epiphanium facere Petrum iuniorem Andrea. Nec minus inconsideratè l.i.c.7.n. 21. dicitur Augustinum cum toties repetit Petrum *primatum in discipulis habuisse*, loqui de *primatu vocationis*, cum tamen Augustinus expresse vocatione Philippum præferat Petro: priusquam Petrus vocaretur, sequebatur, inquit, iam Christum Philippus. Unde satis ostendisti tibi curæ non esse veram Patrum mentem exponere, sed tuam Euangelio repugnantem, Patribus inuitis imponere.

ARTICULUS III.

De primatu charitatis & virtutum Petri.

13. **T**ERTIVM priuilegium pertinens ad personalem Petri primatum, quem de fide statuimus, est Petri supra cæteros charitas & sanctitas. Omissa autem temeritate, qui de re mortalibus occultissimam nec dubitaris quidem affirmas, nec vereris censuram Theologorum Principis cuius hæc verba sunt. *Diquidare quod Petrus fuerit simpliciter melior Iohanne, Christique amantior presumptuosum est, cum solus Deus Spiritualium ponderator sit.*

i.p. q. 20.
n. 4.

14. Dico primo. Primatum sanctitatis seu charitatis quam tribuis hoc loco Petro, cum alijs dictis tuis apertissime pugnare. quod sic ostendo. Si Petrus virtutibus, præfertim charitate, ceteris Apostolis excellentior fuit: hanc excellentiam habuit vel à Christo vel à spiritu Sancto. Sed per tua dicta à neutro habere potuit. Non à Christo: nam l.i.c.3.num.3. dicitur *Christum omnes agisse formasse & perfecisse, non magis unum,*

num; quam alterum ad munus Apostolicum. virtutes autem Christianæ, præsertim charitas, hominem formant & perficiunt ad munus Apostolicum. non igitur Christus Petrum præ cæteris formauit virtutibus multo minus charitate, quæ virtus maximè Apostolica est, & Christianarum forma virtutum. Nec etiam habuit (si tu vera dicas) Petrus maiorem perfectionem & seruorem charitatis, quam cæteri Apostoli à Spiritu Sancto; quia dicas ubi supra, omnes Apostolos ~~aequem~~ ^{robatos, doctos & inflammatos} à Spiritu Sancto. Igitur vnde maiorem Petrus habuerit, quam cæteri charitatem; cum à Christo & Spiritu sancto per te non habuerit. Non facile inuenies nisi cum Pelagio recurras ad naturam, quod impium est. Deinde si Petrus habuit præ cæteris primatum charitatis, inde primatum potestatis illius confirmare meritò possumus. Nam si tu ex paritate perfectionis in virtutibus arguis Apostolos potestate pares & aequaliter inter se fuisse, cur mihi non liceat ex primatu charitatis Petri, potestatis ipsius colligere supra cæteros principatum? Cur Petrum Christus præcipua charitate inter Apostolos instruxit, nisi quia oculum, quas pretio sanguinis sui emerat, curam praincipiavam Petro delegare statutum iam apud se habebat?

Dico secundo. Te non modo non tribuere Petro 15.

primatum sanctitatis inter Apostolos; sed etiam Petri sanctitatem infra cæteros, non sine blasphemis in Petrum deprimere. Primo quia Petro a uersus firmam & solidam fidem, sine qua vera Sanctitas non potest confestere. De Petri enim fide, pro qua, ne desiceret, Christus oravit, quam velut immobilem Patres laudant, hæc tulscribis l. i. ca. 6. num. 35. Petrus non antecelluit cæteris vnde cæci neque in externa fidei confessione, neque in diuinâ revelatione, neque in interna fidei

fidei cognitione , neq; in fidei firmitate , quia Petrus fermè statim ab illa fide decidit ; neq; semel , sed sèpnu dubitauit etiam post Christi Ascensionem & Spiritus Sancti illapsum . Hæc tu : quæ vera si sint , primatus sanctitatis Petri concidit . Nam qui potuit in Christi charitate , Christianaque perfectione cæteris esse præstantior , si fuit in fide cæteris infirmior ? Quomodo solus Petrus reliquis Apostolis sanctior , si solus ex omnibus post Spiritus Sancti illapsum caruit fide firmâ , quæ totius est fundamentum sanctitatis ? Quâ in re mirabilis est inconstantia tua . Hoc enim loco Petri charitatem dum prædicas , laudas Petri factum Christum à passione reuocantis , absit hoc à te Domine :

Hieron. I. quod dicas cum Hieronymo ardenter fides fuisse ,
2. in Matt. Petrumque non affectu errasse , sed sensu . Alio autem
c. 14. loco , dum Petri fidem , ne sit Ecclesiæ fundamentum ; amoliri conaris I. i. c. 6. n. 36. dicas in hoc factu Petrum grauiissimè peccasse , lapsusque esse in fide . Nam (inquis) aut non credebat Christo affirmans se moriturum , aut si credebat resurrectum non sperabat , & consequenter neque Deum agnoscebat , sed de eo velut ordinatio homine sentiebat . Neutrū horum , Antonii ; sed aliud ; nempe , Petrus quid Christus diceret non intelligebat . Mysticè Christum loqui arbitratus corporalis crucis opprobrium velut Deo indignum , necdum de mysterio crucis satis eruditus , exhorruit . Itaque non fidei Petrus incertæ , sed tu mentis , qui Petrum in quo facto fidei ardenter fides prædicas , in eodem abnegatæ fidei & Christi divinitatis insinulas . Hæc eniū non cohærent inter se , neque tu medium tenere nosti ; vbi que nimis siue dum Petri supra cæteros sanctitatem , velut rem fide certam temerariè laudas , siue dum proprium Petri patrimonium fidem quam Christus illi tanquam testamento legauit , iniqua insectatione dilapidas : Neque vero ,

vero, (qua oscitania es) intelligis euersa Petri fide, simili exorti ipsius sanctitatem, cuius tamen primatum illi tribuere nonnunquam cupis; non quod Petri laudibus faueas, sed ut Patrum dicta de Petro Principe Ecclesiae à primatu potestatis ad principatum sanctitatis dolo lectore detorqueas.

Tertio sanctitatis Petri primatum multo adhuc acrius demoliris, dum Petrum etiam post aduentum spiritus Sancti grauissimis sceleribus & erroribus obnoxium facis. Dicis fuisse Petrum iudaismo aduictissimum, vix potuisse in Gentium vocationem & diuina electionis gratiam inclinari: Propterea à Christo fuisse visione quadam redargutum, & quia fortassis refractorius reluctabatur, ter illa visio, vel saltem Petri redargutio repetita est. Dicis etiam Petrum sensisse, circumcisione & legalium obseruationem gentibus Christianis necesariam, Petrum in seditione illa infami contra Paulum & Barnabam excitata de qua Act. 15. sine dubio fuisse, in illa inquam seditione, de qua Apostoli in Concilio Hierosolymitano, Exierunt quidam ex nobis, Ad. 15. quibus non mandauimus, euertentes animas vestras. Quo nomine Petrus tibi audit inductor scandali, dissensio- nis innovator, auctor schismatis, de diuinis reuelatio- nibus dubius, Pauli Apostolatum deprimens, ipsum Paulum mendacem faciens, deniq; (quod horreō scribere) rui- nosum Ecclesia fundamentum, qui (si credimus Paulo) non edificabat sed destruebat Ecclesiam. De quibus (inquis) Petri lapsibus os meum impurum aperire non audeo, sed SS. Patres differentes profero; omnia autem ad maiorem Petri gloriam redundant. Hæc tu. De Patribus alias, quamq; sint hæc falsa disputabo: nunc pudeat te leuitatis & inconstantiae tuae: Nam primò quem laudas velut diuina præ cæteris Apostolis charitate flagrante, qua foris mutat timorem, eum etiam iam confirmatum à spiritu Sancto singis leuisimo timore correptum & Coapo-

46 MONARCHIAE ECCLESIASTICAE,

Coapostolos suos & Christum & fidem & sacra omnia violasse. Secundo quem Christianæ sanctitatis perpetuum exemplarà Christo in Ecclesia constitutum facis, in quem (inquis) non tantum Apostoli, sed etiam

¶.c.9.n.8.

fideles omnes erant semper plurimum inspecturi, eundem publicis, tamque fœdis peccatis oblinis ut fidelibus horrore esse potuerit, tuque eorum commémoratione, ne os tuum impurum sit non immerito metuas. peccasseque mihi videor, qui tot aduersus sanctissimum Apostolum convicia tua lentoſ audierim. Deniq; I.
2.c.2.n.1. scribis Petrum vna cum cæteris Apostolis, quando missus est ad Euangelizandum (in die scilicet Pentecostes) accepisse singulares gratias, copiam spiritus, in doctrina infallibilitatem, confirmationem in gratia, plenitudinem scientiae; iam verò eum his omnibus priuilegijs spolias. Nam quomodo copiam spiritus habuit, si leui metu perculsus grauitime peccauit? quomodo plenus scientia, si contra fidem tenuit? quomodo in doctrina infallibilis, si falsum dogma stabilire contra Paulum contentiosè voluit? deniq; qui confirmatus in gratia; si post illapsum spiritus scelus mortiferum admisit, gratiaq; excidit, adeo ut (sic enim scribis) nisi eum penitus esset damnatus ad inferos fuisset? quam turpis inconstantia, cum quantâ impietate coniuncta! Recole, Antoni, quæ te mōnui in synopsi mea, videbisq; iusto Dei iudicio crimina in Petri à te falso conjecta velut in celum iaculatos lapides in tuum caput recidere, scandalum, schisma, contentionem, de divisionis reuelationibus dubitationem, Ecclesiæ impugnationem, quorum pondere demersus in profundam voraginem es, è qua vereor ne nunquam emersurus sis.

17. Dico tertio certius esse Petrum non habuisse primatum familiaritatis Christi, quem Petro dum toties tribuis miror tibi nunquam venisse in metem disci-

discipulum, quem diligebat Iesus, quē pectori Christi incubantem haud facilē à primatu familiaritatis submquebis. Sed vt video te conscientum scelerum tuorum potestatis Petri supra cæteros Apostolos, quam successori tradat in Episcopum Spalatinum panicus quidam terror inuasit. Hoc potestatiuo primatu Petrus si cedat quid non facies? cuiusuis rei personalem primatum liberali manu concedes; quæ statueras, euertes; quæ nosti incerta esse, certa dices, nec pensi tibi erit, si quæ Petro priuilegia tribuiscum Euangelio puguent. Non enim Petri odisti personam, sed potestatem, tq; pulcherrime iampridem descripsit Cyprianus, quem tuum esse magistrum iactas. *Qui dignatur ferre præpositum, recalcitrat, rebellat de zelo superbus, de annulatione peruersus animositate & iniuria non*

Cyprian.
ser. de zelo
& liuore.

HOMINIS sed HONORIS inimicus.

ARTICVLVS IV.

De primatu voluntaria delationis Apostolorum.

QVIN T. V. M Petri priuilegium personale est voluntaria delatio Apostolorum, quos dicas sponte Petro primas detulisse, eumq; liberis suffragijs elegisse; vt esset eorum procurator, & plenus representator, quali Decanus Cardinalium, & primogenitus inter fratres. Sed alibi è diametro cōtraria scribis.

Dico igitur Apostolos propter Christi institutio- 18. nem necessario detulisse Petro primatum, quem non poterant illi sine peccato negare. *Hoc aperte l. i. c. 7. n. 21. Apostoli (inquis) ne schisma facerent, Petrus caput & preses eorum constituitur à Christo.* Et iterum ibidem. *Petrus præfertur, dum prateritis alijs ipse à Christo unus ex duodecim assumitur, qui primū locum inter ipsos obtineret, & preses caputq; dignitate esset in Collegio cæterorū, ac veluti fratri primogenitu. Similia plurima habes, quæ sunt omnino*

omnino repugnantia cum his, quæ in hoc capite s. n.
 17. scribis Petri primatum ex voluntaria delatione Apo-
 stolorum TOTVM petendum esse? Apostoli enim præ-
 fidi ac Primi suu, quem Christus illis dederat ne-
 cessario deferébant, nec poterant sine grandi scelere
 eum non agnoscere. Sed Christus te teste dedit Apo-
 stolis præsidem, caput & primatem Petrum. Igitur
 Apostoli Petro Primatum nécessaire deferébant, nec
 Petri Primatus Apostolorum voluntaria delatio, sed
 Christi constitutio fuit.

Secundo si totus primatus inter Apostolos mera
 voluntaria delatio fuit propter personalia priuilegia,
 Andreas potius quam Petrus fuisset electus. Primo,
 quia fuit (si credimus Epiphaniu) Petro senior. Se-
 cundò, quia fuit, ut diximus, Petro in Christi seque-
 la non legior. Tertio, quia in Christi hotitia, quæ
 summum priuilegium est, Petro prior fuit, nec prior
 tantum tempore, sed etiam (ut aiunt) causalitate,
 quia Petrum fratrem ad Christum exemplo & sua-
 fione perduxit. Hanc ob causam primas Andreæ de-
 ferre Petrus debuit; secilsetq; profecto, nisi eum An-
 dreæ & cæteris Christi institutio prætulisset. Præter-
 ea si personalia priuilegia spectemus, mihi Petro &
 Andreæ & omnibus præferendus videtur Natha-
 nael quem fuisse ex Apostolis concedis. Primo, quia
 si non senior Petro, certè prouectus aetate fuit, nec
 Petro impar censeri potest. Secundo, quia fuit Petro
 longe peritior in lege, legis doctor, ut ait Augusti-
 nus. Tertio, quia Prior Petro Christo ad latus adhæsis-
 tis. Quarto, summa fuit in eo vita innocentia Christi
 testimoniò verus Israëlitæ in quo dolus nō est. Quin-
 to, Primus omnium Apostolorum nobilis Nam co-
 fessionem de Christo edidit. Tu es filius Dei, tu es rex
 Isræl, quæ fuit (si tibi credimus) veræ Christi diuini-
 tatis confessio, sensu non minus insignis, quam illa
 Petri

Petri Tu es Christus filius Dei viui; propter quam Petrus, vt ait Augustinus, Beatus & Petra dictus est; *imo probabile est* (inquis) *Petrum hanc confessionem Nathanaelis audiuisse*, & insinuas fuisse, quodammodo à Nathanaele institutum vt Christi diuinitatem agnosceret. *Quis non videt Nathanaelem personalibus prærogatiis Petro longe illustriorem, futurumq; fuisse potius quam Petrum Apostolorum Primatem, nisi Petrus, personali dignitate inferior Christi suffragio fuisse cunctis prælatus.*

Tertio adeo Apostoli Petrum non ipsi instituerunt Primatem vt à Christo institutum vel designatum agrè tulerint, vt patet ex varijs contentionibus inter ipsos, quis eorum videretur esse maior, adçò vt Chrysostom. 51. in Matth. dicat Apostolos gauisos fuisse, quod Petrus ambulans super mare mergi cœpisset. *Nondum enim* (inquit) *Spiritus gratiâ roborati facile mouebantur; gratiâ verò accepta non tales nempe fuerunt, sed ubiq; Primum Petro prabent, & in concionibus cum anteponunt, quamvis ceteri ruditior videretur.* Non potuit apertius tribuere Petro verum primatum, non ex voluntaria delatione, sed ex Christi institutione. Quæro enim à te, de quo Prima loquatur Chrysostom, cum dicit Apostolos eum Petro prius inuidisse postea tribuisse: de Personalis, an de Potestatiuo? Si de Personalis tibi contrarius es, qui c. 5. n. 7. dicis Apostolos semper etiam ante aduentum spiritus huc Primum Petro libenter detulisse, & num. 17. propter personales prærogatiwas Petro libenter, nec immerito detulerunt; & c. 7. num. 21. Petrum à Christo assumi, vt præses eorum esset Apostoli ceteri non agrè tulerunt, ille enim etate & vocatione omnibus anteibat. Sin autem de potestatiuo Prima loqui concedas Chrysostomum, cum dicit Apostolos nondum inductos spiritu Sancto Primum agrè tulisse in Petro, sequitur eos post acceptam

D

Spiritus

Spiritus gratiam, Potestatiuum Primatum libenter Petro detulisse. Nam Primatum, quem Petro prius inuiderant, Petro libenter post Spiritus illapsum detulerunt. Sed prius, te satente, non inuiderunt Petro primatum Personalem, sed tantum Potestatiuum. Igitur, post acceptum Spiritum Sanctum Petro Primatum Potestatiuum à Christo institutum libenter detulerunt. Hoc autem est, quod (quem c. 5. n. 17. citas) Anacletus afferit *Apostolos Petrum primatem suum esse voluisse.* quo testimonio cōcludis ex voluntaria delatione Apostolorum totum Petri Primatum peti oportere. Sed falleris. Loquitur enim Anacletus, non de voluntate institutiū Primatus, seu voluntariā delatione Apostolorum; sed de voluntate approbatiū Primatus à Christo instituti, quā Christi institutioni libenter paruerunt. *A Domino (inquit) concessum est Petro, & Apostoli inter se id ipsum voluerunt, ut reliquis omnibus praeasset Apostolus, & Cephas, id est, caput & principium teneret Apostolatus.*

Anacl. ep.
2. habetur
c. in nouo
diss. 21.

Anacl. ep.
3. tom. I. p. I

21. Ex his concluditur Apostolos Petro reuerentiam & obedientiam vt vero superiori detulisse. Probatur, quod honorario iure ratione etatis & vocationis Apostoli Petro voluntariē deferebant, hoc ipsum Petro propter institutionem Christi diuino iure necessario deferebant. Sed propter honorarium ius etatis & vocationis Petro reuerentiam & obedientiam voluntariē deferebant, vt tu afferis l. I. c. 10. n 17. *Aequum, honestum & valde decens erat, vt qui iuniores erant, & in Apostolatu posteriores Petro seniori & primo obsequerentur, ipsiusque documenta, & monita, & consilia amplectentur.* Igitur propter institutionem Christi diuino iure necessarium erat vt reliqui Apostoli Petro obsequerentur, ipsiusque documenta & monita & consilia amplectentur, quod est Petrum verum eorum superiorem iure diuino existuisse.

C A P V T

CAPVT TERTIVM.

*Monarchicus Petri Primatus ex Euangelio probatur,
varis Antonij tergiversationibus re-
iectis.*

SVPERIORE capite Monarchicum Petri prima-
tum indirecte reiectione aliorum primatum, qui tribui ipsi possunt demonstrauimus. Nunc idem probabimus ex locis Euangelicis in quibus regimen Ecclesiae singulariter illi vel promittitur vel exhibetur; tuasq; cauillationes, quibus clarissime veritati te-
nebras offundere conaris, excludemus.

TERTIVM ANTONII FVNDAMENTVM,

*Loca Euangelica pro Petri Primatu non esse clara, sed
varias interpretationes circa Primatum
admittere.*

TERTIVM fundamentum, quod etiam ad nau-
seam usq; repetis hoc est; Petri Primatum ex E-
uangelio euidenter non probari; eo quod textus, qui
solent adduci varias habeant expositiones, atq; adeo
ad fidei dogma solide probandum allegibiles non
sint. Igitur l.i.c.6.n.3.dicis locum Euangelicum, quo
probetur Petri Primatus maximè illustrem esse il-
lum Matthæi 16. *Tu es Petrus & super hanc petram adifi-
cabo Ecclesiam meam.* Ex hoc tamen loco Primatum
non posse euidenter probari. Primo quia non con-
stat Petrum hoc loco dici hanc Petram. Caluinus
enim excluso Petro Christum facit hanc Petram;
Lutherus fidem: vterque probabiliter, quia cum
ipsis Patres sanctissimi & doctissimi sentiunt. Se-
cundo, esto Petrus hoc loco dicatur Petra su-
per quam ædificatur Ecclesia, non tamen inde

concluditur potestatiuus Primatus, quia fundamen-
tum Ecclesiæ esse eamque sustentare non est officium
iurisdictionis, sed meri ministerij, nimirum Euange-
lium prædicare & infideles ad Christum conueren-
do Ecclesiam ædificare & fundare. Tertio quia quid
sit Petrum esse Ecclesiæ fundamentum non explica-
runt Monarchici ; nam quod Bellarminus dicit in
metaphora fundamenti Petro committi regimen Ec-
clesiæ circa fidem propter fidei eius indetectibilita-
tem verum non est , cùm Petrus maximè omnium
Apostolorum lapsus sit circa fidem. Quartò , quia
verba Christi super hanc petram adiuvabo: Et promissoria
duntaxat sunt , nec oportet in illis quasi capita præda exulta-
re, sed ostendere ubi & quando effectum habuerint. Quinto dici non potest Primatum Petro traditum Ioan.21.
cum Christus illi dixit pasce oves meas ; quia pasceré
officium ministeriale est, nimirum docere & prædi-
care : Oves autem Petro specialiter commendatae in-
telliguntur probabilissimè soli Iudei, qui erant speciali-
ter oves Christi. Sine dubio autem in ouibus Petro
commisis non numerantur Apostoli , quia pastorali
Petri curâ non egebant ; nec oves erant, sed, non mi-
nus quam Petrus, Pastores. Igitur potestas Petro per
hæc verba tradita non se extendebat ad omnes , qui
erant in Ecclesia ; atq; adeo Monarcha non fuit. Hæc
tu multis & fusè variaſque ineptias admiscens , quas
refutare si vellem, ingens volumen conficiendum ef-
fet. Sed ego nonniſi in operis tui fundamentis subij-
ciendis operam me positurum promisi.

Tertium suum fundamentum euertit

ANTONIVS.

2. **T**E fundamentum hoc tuum penitus euertisse ap-
parebit, si sex conclusiones ex tuis dictis demon-
strauero.

strauero. Prima est; in promissione Tu es Petrus &c. Petru nec aliud excluso Petro dici Ecclesiæ petram. Secunda; expositionem quæ Christum facit Ecclesiæ Petram, personā Petri non excludere. Tertia; officium fundamenti non esse meri ministerij, sed iurisdictionis & regiminis. Quarta; fidem poni à Patribus Ecclesiæ fundamentum sine exclusione Petri. Quinta, ex verbis Christi promissorijs duntaxat Primatum Petri solidum probari posse, etiamsi exhibitus nullibi legeretur. Sexta, per verba pasce oves meas Petro tribui iurisdictionem in omnes fideles, etiam in Apostolos.

ARTICVLVS PRIMVS.

An certum sit Petrum à Christo promitti futurum Ecclesiæ Petram.

IN hac promissione Euangelica, Tu es Petrus & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, nefas est aliquid excluso Petro ponere Ecclesiæ Petram; atque adeo certum est hoc loco Petram Ecclesiæ esse personam Simonis Petri. Hoc probatur ex tuis dictis dupli argumento. Primum est, quia l.i.c.6.n.3. dicis **nefas** & monstrum esse **hanc promissionem à Persona Petri diuellere;** quo posito sic arguo. Expositio quæ promissionem de Ecclesiæ ædificatione super Petram à Petri persona diuellit monstrum est. Sed expositio, quæ Petrum excludit ne sit hoc loco Ecclesiæ fundamentum, promissionem ædificationis Ecclesiæ super Petram à Petri persona diuellit. Nam futuræ Ecclesiæ ædificatio intelligi potest ad Petrum spectare tantum dupli respectu; vel tanquam ad Architectum, qui illam ædificaturus supra Petram sit, vel tanquam ad Petram quæ ædificationem illius sit in se suscepta eamq; sustentatura. Sed ædificatio Ecclesiæ, vi pro-

missionis huius, non spectat ad Petrum tanquam ad architectum; hoc enim munus hoc loco sibi Christus assumit. *Ego ædificabo.* Igitur ædificatio Ecclesiæ promittitur hoc loco Petro tanquam Petræ, quæ ædificationem illius in se sit suscepura. Hocque certum est; cum contraria expositio promissionem à Petro diuellat, quod te fatente nefas est.

3. Secundò. Illa expositio sacræ scripturæ certa & Catholica est, quam Patres antiqui tradunt, præsertim vñanimi consensu, vt tu fateris l.i.c.7. n.17. **Hæbemus** (inquis) Ecclesiæm, quæ columnæ & firmamentum veritatis, à Spiritu sancto illuminatam & per sanctissimos Doctores instruitam, eam sequamur. & ex fontibus illis fidnam doctrinam & sacræ scripturæ interpretationem bibamus, qui limpidissimè fluentes Ecclesiam lepidissime irrigarunt. Hæc tu: ex quibus sequitur expositionem sacræ scripturæ à Patribus traditam esse certam & infallibilenn; quia Ecclesia, quæ sequitur expositionem Patrum columnæ veritatis est & firmamentum, nec errare potest. Sed si expositio sacræ scripturæ tradita à Patribus certa semper & infallibilis non esset, Ecclesia, quæ Patribus innititur, non esset columnæ veritatis, sed errare posset. Igitur expositio Patrum certa semper & infallibilis est, præsertim si tradatur ab illis vñanimi consensu. Sed tradunt, vñanimi consensu Petrum in hac promissione, super hanc Petram ædificabo Ecclesiæm meam promitti futurum Ecclesiæ Petram. Hoc tu asseris, & fusè probas l.i.c. 6.n.23. **Catholica nostrā sententiā** his verbis explicans. **Quarta sententia** (inquis) *Petræ nomine ipsum habet Petrum intelligit, & ad ipsius personā vt publica erat, refert verba Christi, super hanc Petram ædificabo Ecclesiæm meam.* Nam nomen Cephas à Christo Domino impositum, ita proprium Simonis erat, vt nulli alteri conuenieret, sed denominaret singularem eius personam. Cephas autem Syriacè idem est quod Petra. *Dum igitur dicit Simoni Christus, tu es Cephas,* &

super hanc Cepham adificabo Ecclesiam meam, idem est ac si
diceret, tu es Petra & super hanc Petram adificabo Ecclesiā
meā. Ex quo patet Petrā esse ipsum Simonē. Hunc sensum se-
quuntur Patres à Monarchicis allati & per me ampliati. Ter-
tullianus, Cyprianus Origenes, Hilarius, Athanasius, Basilus,
Nazianzenus, Epiphanius, Hieronymus, Chrysostomus, Cyril
lus Ambrosius, Leo, Theodoreactus, Euthymius, Augustinus, Co-
ciliū Chalcedonense, Psellus Imperator Anastasius, Orientales
Clerici & Abbates ad Imperatorem quibus assentior & ipse li-
benter iussim. Hæc tu. Igitur cū te fatente, Petru hoc loco
dici Petrā Ecclesię Patres cōmuni cōnēsu tradār: expo-
sitio autē sacræ scripturæ à Patribus tradita certissima
fit, imo cō ūia veritatis & firmamētū, prosector. si tibi
cōstare vis, sēcūtia, quæ Petru hoc loco dicit Ecclesię
Petrā, tibi (vt reuera est) certa & Catholica esse debet.

Hinc sequitur mirabilē esse tuam in scribendo in-
considerantiā & temeritatē, qui cum fatearis, expoli-
tionē de Petro Ecclesię Petra esse pene omniū Patrū;
quibus ipse libenter assentiris, postea tamē hoc l.i.c.ii.
n.24. cū dixisses Petru quando Paulus eū reprehēdit, Marcum,
graui ter errasse in fide, non veteris in hæc verba cōclu-
dere. Decipiebat nos iugur illi, qui ad Petri personā nos do-
cebant illa Christi verba spectare super hanc Petrā adifi-
cabo Ecclesiā meā, & portas inferi aduersus hanc Petrā,
qua sit Petrus nō præualituras. Quā temerē hęc scribis, i-
pse fortassis iā monitus sentis. Patres enim omnes vel
pene omnes deceptores sine vllis ambagibus appel-
las. Nā si nō illi decipiāt, qui nos docēt ad Petri perso-
nā hæc Christi verba spectare super hanc Petrā adifica-
bo Ecclesiam meam, cū Patres omnes, te fatente, quorū
nomina singillatim edis & verba recitas, nos doceant
ad Petri personā illa verba spectare, & ipsum Petrum
esse illā Petram, super quā Christus adificaturus erat
Ecclesiam, aduersus, quā portæ inferi nō præualerēt,

certè sequitur ex tuis dictis in vnum cōpactis Patres omnes Ecclesiam decepisse, atq; adeo deceptos fuisse.

Secundo non minus temerè sententiam , quæ fidem vel Christum facit Ecclesiæ Petram in sensu Caluini & Lutheri Catholicam appellas. Caluinus vero & Lutherus Christum eiusque fidem faciunt Ecclesiæ fundamentum , ita ut Petrum penitus excluant , blasphemumque putent Petrum vna cum Christo statuere Ecclesiæ fundamentum. In Petro (inquit Caluinus) apista volunt Ecclesiam fundari; non nulli ex Patribus ita exposuerunt : sed cum reclamet tota scriptura quid eorum aduersus Deum authoritas pretenditur? Ab Augustino (inquis l.i. c.6 , n. 6.) didicit Caluinus Catholicam sententiam . & n. 12. Hanc interpretationem Patres sanctissimi & doctissimi pene omnes secuti sunt. & iterum , faciat Bellarminus Caluinum authorem huius interpretationis , certè Caluinianam doctrinam habuit Augustinus , Cyrillus , Hieronymus & alij singularia Ecclesiæ Catholicæ lumina. Næ tu lumine tum fidei tum mentis cares , qui de Patribus , quos revereri videri cupis , hæc tam iniuriosa scribis. Nam si sententia Caluinii Catholicæ sit , qui Petrum excludit ne sit Ecclesiæ fundamentum , sequitur expositionem Patrum Caluinianæ è diametro oppositam , quæ Petrum statuit Ecclesiæ fundamentum hæreticam esse. Secundo si Patres omnes , vel pene omnes Christum vel fidem faciunt Ecclesiæ fundamentum in sensu Lutheri & Caluinii penitus excluso Petro , sequitur Patres omnes secum pugnare , & quod vno loco dixerunt , alio euertere , quod l.i. c. 12. n. 12. dicis neminem facere posse nisi delirus sit. Quanta in Patres contumelia!

Caluinianam , inquis , doctrinam habuerunt Cyrillus , Augustinus & alij singularia Ecclesiæ lumina. Nimirum Petrum dicere Ecclesiæ fundamentum blasphemum & scripturæ repugnans cum Caluino putauit Cyrillus , qui

qui scribit, in Petro, tanquam in Petra lapideque firmissimo adificatam Ecclesiam fuisse. Putauit Cyprianus, qui Petrum describit primum quem dominus elegit & super adificauit Ecclesiam. putauit Hieronymus, qui Petrum vocat Apostolum, super quem Dominus fundauit Ecclesiam. putauit Hilarius, qui exclamat: O in nuncupatio-^{ne noui nominis felix Ecclesia fundamentum, dignaque adi-}
 ficatione illius Petra, quæ inferni leges & Tartari portas & omnia mortis claustra dissolueret. putauit Chrysostomus qui Dominum sic Petrum alloqui facit Tu es Petrus & super te adificabo Ecclesiam meam. putauit Concilium Chalcedonense, quod Petrum appellat Petram & crepidinem Ecclesia Catholica & fidei fundamentum. Quid Augustinus? Nonne tu l.i.c.6.n.14. producis eum ita scribentem? Petrum fundamentum Ecclesia Dominus nominavit & ideo dignè fundamentum hoc Ecclesia colit, super quod Ecclesiastici adificij altitudo consurgit. quam clarè! & idem scribit in psal. 158. Petrus confessus est filium Dei viui, ideo Beatus, ideo Petra serm. 28. de sanctis. Dignus certè qui adificandis in domo Dei populis lapis esset ad fundamentum, columna ad sustentaculum, clavis ad regnum. Denique psal: aduersus partem Donati: numerate Sacerdotes ab ipsa sede Petri: hæc est Petra quam non vincent superba inferiorum portæ. Hæc ille. Quid nunc de Augustino sentis Antoni? num tibi Caluinizat? num Petrum dicere Ecclesia fundamentum scripturæ repugnare putat? non hoc putare potest, nisi secum ipse pugnet, hoc est te censore, delirus sit.

Sed obijcis August. qui tract. 124. in Ioan. & serm. 6. 15. de verbis Domini Petra, inquit, principale nomen est, & ideo Petrus à Petra, non Petra à Petro; sicut non Christus à Christiano, sed Christianus à Christo vocatur. Ideo quippe ait Dominus super hanc Petram adificabo Ecclesiam meam, id est super meipsum filium Dei viui. Super me adificabo te, non me super te. Petra enim erat Christus

epist. ad Iubasanā.

epist. 54. ad Marcell.

in caput. 16. Matth.

homil. 55. in Matth.

Act. 3.

super quod & ipse edificatus est Petrus: fundamentum quippe aliud ponere nemo potest , prater id quod positum est, quod est Christus Iesus. Hęc Augustinus. vbi dicis eum aperte negare Petrum esse hoc loco Ecclesia Petram.

ARTICULUS II.

An Christus in sententia Augustini sit Ecclesia fundamentum cum exclusione Petri.

HOc testimonium Augustini contra Petri Primatum à nullo hæreticorum non affertur: hocq; tu pene vnicum habes ut probes Petri Primatum non esse de fide. In quo quam vanus sis demonstrabo. Dico quinq;. Primum est Augustinū, qui Petrum vocat Ecclesia Petram & fundamentum sæpe & aperte ut vidimus; nunquā negare Ecclesiam fundari super Petrum: imo nec in Augustino, nec in vlo Patrum vspia illa tua negatiua habetur. Tria dicit Augustinus; Primo Petram esse principale nomen, non Petru. Secundo: inde infert Christum non fundari super Petrum, sed Petrum super Christum: Tertio dicit ecclesiam fundari super Christum , non autem negat fundari super Petrum. Christum singit Petro dicere super te non ædificabo me; non dicit Christus Petro super te non ædificabo Ecclesiam meam , sed non ædificabo meipsum : ex eo autem quod Christus non fundetur in Petro, sed Petrus in Christo, sequitur quidem Petrum non esse principale fundamentum , à quo Christus ipse pendeat. Quis autem Petrum tale esse fundamentum vñquam somniauit? Non sequitur autem non esse secundarium fundamentum subordinatum Christo; imo cum dicat Petrum deriuari à Petra sicut Christianus deriuatur à Christo, significat , ipsum esse Ecclesia fundamentum. Hoc ita probō. In sententia Augustini, sicut se habet vox Petrus ad vocem
Petra

Petra quoad significationem: ita persona quæ est Petrus ad personam quæ est Petra quoad virtutem sustentandi Ecclesiam; sed vox Petrus habet ad se deriuatam significationem vocis Petra : igitur persona quæ est Petrus habet ad se deriuatam virtutem sustentandi Ecclesiam à Persona quæ est Petra ; hoc est à Christo; quod est esse secundario & participatiuè Ecclesiæ fundamentum.

Dico secundo: Augustinus Christum statuens hoc loco Euangelico Petram Ecclesiæ , non intelligit Christum absolutè , sed Christum cum relatione ad Petrum, quatenus nimirum primaria sua virtute Petrum roborat ut Ecclesiam sustentare possit: Hoc tu apertè doces l.i.c.6.n.22. vbi explicans locum Euangelicum secundum sententiam Augustini. *Sensus (inquis) est. Tu es Petrus à me Petra ita dictus, & super hanc petram à qua tu diceris Petrus, edificabo Ecclesiam meam.* Ecce apertè fateris Petram , super quam ædificatur Ecclesia hoc loco non esse Christum' absolutè , sed cum relatione ad Petrum: Fundatur, inquis, Ecclesia super Christum Petram, à qua dicitur Petrus; non in anidictione, sed efficaci, quæ facit, quod dicit. Quid est autem Christus quatenus Simonem dicit & facit Petrum ; id est, firmum & immobilem in fide , nisi Christus consideratus cum relatione deriuantis virtutem, seu (vt ita dicam) Petritatem suam in personā Petri ? Impossibile quippe est intelligere aliquid dici Petram sine relatione ad Petrum in hac locutione, *Tu es Petrus & super hanc petram &c. & ratio euidentis est;* quia vox Petra sequens immediate post Petrum, & notata pronomine relatio *haec* necessario alludit ad Petrum eumq; refert , nec declarari potest quæ sit sine referentiâ ad Petrum ut etiam hanc Petram explicare tu cogaris & distinguere ab alijs per referentiam ad Petrum. *Petra, inquis, haec à qua dicitur Petrus.*

Dico

8. Dico tertio licet vox, Petrus, non significaret Petram, sed petrinum, esletq; deriuata à Petra; tamen euidenter sequi in Christi promissione Petrum fieri Ecclesiae Petram. Hæc veritas magis apparebit hoc exemplo; si ponamus Christum imposuisse Petro nomen Lucij, quod est deriuatum à luce, eiq; confitenti filium Dei viui dixisse, Simon Bariona &c. ego dico tibi, quia tu es Lucius & hac luce illustrabo Ecclesiam meam. Hoc casu quis mentis compos diceret, officium illustrandi Ecclesiam Petro non committi? vel non promitti Ecclesiam fore illustrandam luce relatâ ad personam Simonis Lucij, relatione nimirum causæ formalis, qua lucidus ipse fit. Christus quidem lux vera est, qui suam Ecclesiam illustrat; nihilominus suppositam promissionem suam factam Simoni, Tu es Lucius & hac luce illustrabo Ecclesiam meam; non impleret illustrando Ecclesiam absolutè, nisi etiam deriuaret lucem suam in Simonem, & per eum Lucidum factum Ecclesiam illuminaret. Hoc exemplum de luce & Lucio, illustrat id, quod diximus de Petra & Petro. Sit Petrus quoniam Augustinus ita vult, nomen deriuatum à Petra, significet non Petram vel firmitatem, sed petrinum vel firmū, solus Christus dicatur Petra seu ipsa firmitas; tamen cum Christus dicat Simoni, tu es Petrus, id est, firmus, & super hanc Petram id est firmitatem ædificabo Ecclesiam meam, quis sanæ mentis dicat Ecclesiam hac promissione ædificari super firmitatem absolutam Christi; nec pertinentem ad personam Petri? Quis non videt Petro tribui officium stabiliendi Ecclesiam firmitate quidem Christi, sed ad ipsum deriuata? Igitur Augustini opinio, quod Petrus non sit Petra, non impedit quin Petrus hoc loco sit is, qui sustentat Ecclesiam. Nam Petrus, esto nomine Petra non fuerit, officio tamen Petra esse potuit, sicut reliqui

qui Apostoli fuerunt officio Ecclesiæ Petræ, quāuis nomen Petræ nō habuerint sibi indictum à Christo.

Dico quarto Augustinum, cum Christum indicta 9. promissione facit Ecclesiæ fundamentum, à reliquis Patribus, qui Petrum faciunt Ecclesiæ fundamētum, non dissentire quoad sensum huius loci. Quia Augustinus ædificat Ecclesianū super Christum cum relatione ad Petrum, quatenus scilicet sua virtute Petrum roborat ut Ecclesiam sustentet; reliqui Patres super Petrum cum relatione ad Christum: super Petrum, inquam, quatenus roboratus & confirmatus à Christo Ecclesiæ sustentandæ idoneus est. Sed Christum, quatenus Petrum roborat, sustentare Ecclesiam non aliud est quam Petrum à Christo roboratum sustentare Ecclesiam: sicut solem quatenus speculum illustrat, illuminare domum, non est aliud, quām speculum à Sole illustratum illuminare domum. Igitur Augustinus & reliqui Patres in sensu non differunt, & fundamentum, quod ponitur ab Augustino Christus roborans Petrum, non distert à fundamento reliquorum Patrum, qui est Petrus roboratus à Christo, sed idem utrique dicunt diuersis verbis. Iam vero cum de re continet, non videtur operæ pretium de modo loquendi quis probabilior & textui conformior sit contendere, cum ipse Augustinus vtramque expositionem lectoris arbitrio permittat. Quamuis dubitare vix quispiam posse quin Patrum modus loquendi verior sit, qui Petrum faciunt Petram tam nomine, quām officio, ut rectè dixit Ambroſius. *Con-*
fortium meretur nominis, qui confortum meretur & ope-
ris. A quo modo loquendi discelsit Augustinus ex ignoratione linguae Syriacæ, si credimus reliquis Patribus & Hieronymo lingue Syriacæ peritiſſimo. *Hieron. in*
Non aliud, inquit, significat Petrus, aliud Cephas; sed cap. 3. ad
quod nos Latine & Græce Petram vocamus, hoc He-
braic

brai & Syri ob lingue inter se viciniam Cepham nominant.

Dico quinto, te valde ineptè l.i.c.6.n.10. contendere reliquos Patres Petrum facere deriuatiuum à Petra, non minus quam Augustinum. Petrum, inquis, à Petra hoc est à Christo fortum esse vocabulum, dictum est ferè commune patrum; in primis Hieronymi, Tu es Petrus & super hanc Petram, quod vocabulum, inquit, à nomine Domini deriuauit. Item non solum Christus Petra, sed & Apostolo Petro donauit ut vocaretur Petra. Hæc & similia conglobas, & inde acerbe perstringis Baronium, quem vocas *sola Grammatica instructum*, quia dicit (ut tu singis) Augustinum, quia putat Petrum non significare Petram, ex ignorantia linguae Syriacæ insigniter nec sine amentia deceptum esse. Nolo, tuo more, verbosus esse. Sed paucis dico, me tria in te hoc loco, fidem, Grammaticam, modestiam requirere. Fidem duplii de causa: primo, quia calumniam Baronio struis, quasi Augustinum, eo quod nomen Petri deriuatiuum Petrae dixerit, amentiae accuset. Non facit hoc Baronius, cuius verba, quæ fugillas hæc sunt. Nouatores, inquit, eo amentiae proiecti sunt, ut dicere non erubescant hanc Christi sententiam, super hanc Petram adificabo Ecclesiam meam, non esse intelligendam de Petro, sed de Christo, ut non magus Petri, quam aliorum Christianorum hominum velint habitam esse rationem. Hæc Baronius; quibus non sententiam Augustini, quod Petrus sit nomen deriuatiuum, amentiae accusat, sed Nouatorum, qui Christum sic faciunt Ecclesiæ fundamentum ut Petrum penitus excludant. Huius vero sententiae Augustin. non est, qui tam sèpe Petrum appellat Ecclesiæ fundamentum nimirum officio deriuataque virtute à Christo. Secundo fidem in te cogor desiderare, dum testimonium Hieronymi producis, ut probes Petrum deriuari à Petra. Hieronymus,

Baron. To.

2. An. Do.

33.n. 21.

mis, inquis, in cap. 62. *Isaiae*, *Tu es Petrus*, & super
hanc Petram, &c. Quod vocabulum, inquit, à no-
 mine Domini deriuauit. Hic istis nec reliqua reci-
 tas, quæ sequuntur, quibus apertè declarat Hiero-
 nymus se non de Petro, nec de nomine vlo Petri, sed
 de Ecclesia & eius nomine loqui. Explicans enim
 illud Isaiae ad Ecclesiam dictum *vocabitur tibi no-
 men nouum*, *quod os Domini nominauit*, Hoc nomen
 Ecclesiæ nouum dicit Hieronymus esse Domini-
 cum : Ecclesia enim olim apud Latinos Domini-
 cum audiebat, apud Græcos vero Κυριακόν. Inte-
 græ Hieronymi sententia hæc est, *Quod vocabulum
 à nomine Domini deriuauit*, ut dicatur *Dominicum*, &
*populus eius non iam amplius veteri nomine appelletur
 Israel*, sed *nouo id est Christianus*. Idem prorsus cum
 Hieronymo pene totidem verbis dixit Eusebius
 in oratione de laudibus Constantini. *Templa*, in-
 quæ *Deo consecrata sunt Domini nomen obtinue-
 runt*, *quod nomen non ex hominibus*; *sed ex ipso omnium
 Domino fuit illius impositum*, & ideo *Dominia sunt ap-
 pellata*. Eusebius Hieronymo consentit : sed hæc
 causam tuam quid iuant Antonii? Dominicum est
 nomen nouum Ecclesiæ ab Isaia prædictum. Sit ita
 sanè. Dominicum nomen est à nomine Domini
 deriuatum. *Quis* hoc puerulus ignorat? An inde
 probabis nomen Petri deriuatum esse à Petra? nu-
 gæ. Iam quod Grammaticæ prima rudimenta non
 calleas, dupli argumento clarissimè ostendo. Pri-
 mo quia probaturus, quod nomen Petrus sit deri-
 uatiuum Petræ aduersi testimonia Patrum, qui di-
 cunt Petrum à Christo dictum Petram, nomen
 que Petræ tam Petro quam Christo esse commu-
 ne. Quæ prorsus contrarium probant, vt pue-
 ri Rudimentarij norunt. Nam cum Petra dicta
 de C H R I S T O & de Petro ipsissima vox sit,
 qui

qui fieri potest, ut in Christo primitiu, in Petro sit deriuatiua, cum deriuatiuum nomen sit illud, quod ab alio nomine nonnulla eiusdem variatione formatur? Secundo, Grammaticæ te rudem probas, quando arguis nomen Petræ esse deriuatiuum in Petro, quia à Christo fuit illi impositum, hoc est à Christo in illum deriuatum. Quam inepte! Aliud enim est nomen ab una persona in aliam impositione deriuari, aliud esse deriuatiuum, seu à nomine alterius nonnulla inflexione formari. Vis hoc tibi exemplis commonstrem? plurima suppetunt. Apostoli dicti sunt lux à Christo luce, sal à Christo sale; nomina salis & lucis à Christo in Apostolos deriuata sunt; num propterea sal & lux dicta de Petro deriuatiua sunt, dicta de Christo primitiu? nemo hoc senserit, cui modicum vel lucis vel salis insit. Quid! illi qui suscipiunt infantes de sacro fonte, & sua sæpen numero nomina in eos deriuant; ut infans vel Petrus, vel Iacobus vel Antonius à Susceptore vel Petro vel Iacobo vel Antonio nominetur? an hæc nomina in susceptoribus primitiu in susceptis infantibus deriuatiua sunt? hoc si dixeris, tuam infantiam pueri fugillabunt. Denique est cur in te modestiam iure desiderem, qui Baronium tantum virum, longâ, eruditâ, accurataq; scriptio celeberrimum vocare non vereris sola Grammaticâ instructum. Nimirum putas Grammaticæ peritiam Theologum dedecere: teque nostræi Theologum futurum speras, quia Grammaticæ ita ignarus es, vt nomen deriuatiuum à primituo distinguere nescias. Sanè præclarè tecum & feliciter suisset actum si nihil supra modicum, quod tibi est Grammaticæ sapuisses, nec Theologica delibasses destitutus non minus ingenio quo tam recondita capias, quam modestia qua doctioribus credas.

Igitur

Igitur cum (ut ex dictis constat) Petrus promissione Christi totius Ecclesiae Petra sit, Patribus omnibus afferentibus, ut hoc negare nefas sit, etiam te liberenter Patribus assentiente, sed tuo more inconstanter. Restat inquirere:

ARTICVLVS III.

Quod & quantum officium Petro promittatur sub metaphora fundamenti.

In hac quastione duas statuo Conclusiones.

PRIMA est. Officium fundamenti Ecclesiae non ita esse meti ministerij, sed iurisdictionis & regiminis, seu officium Principis & rectoris.

Conclusio per se patet. Nam Principes regna sua sustinete & ferre, & magnum illis onus incumbere vulgo dici solet; cumque sunt Magistratus prouincia dicitur illis imponi. & haec apud omnes nationes, quam declaretur Principis officium vulgarissima metaphora est. Quare cum Christus Petri humeris sustinendam Eccleiam imponat, ut tanquam saxum immobile (verbis ytor Ambrolij) totius operis Christiani mollem compaginem, contineat, quis dubitabit totius Ecclesiae regimen & gubernationem sub metaphora fundamenti Petro esse commissam. Ne que haec veritas a copiam negaretur, nisi praefractos aduersarios haberet; ex quibus tu es, quem propterea ex tuis dictis conuincam. Nam duo dicis, unde officium fundamenti non esse officium ministerij, sed regiminis evidenter conficitur. Primo dicis quoad ministerium prædicationis nullum esse esse entiale discrimen inter simplices Presbyteros & Episcopos seu Apostolos, sed tantum in potestate regiminis & iurisdictionis

Ecclesiasticæ. Ita l. 2. c. 3. n. 9. Presbyteri maximam partem muneric & ministerij Apostolici non minus quam Episcopi, hoc est plenam potestatem euangelizandi, & Sacra-menta ministrandi habent; nec est illa essentialis distinctio inter Presbyteros & Episcopos respectu ministerij, sed respectu fundationis & regiminis Ecclesie. Apostolis enim, non alijs, Christus Ecclesia fundationem & regimen commisit, ita tamen ut ipsi possent munera omnia ministerialia quibusdam inferioris ordinis ministris committere; regiminis tamen Ecclesiastica seu Ecclesiastica propria iurisdictionis potestatem in ordinandis ipsis ministris, & Ecclesijs disponendis sibi & successoribus Episcopis reseruarent. Secundo dicis Presbyteros, in ministerio verbi & potestate Euangelizandi Apostolis penitus pares defectu potestatis gubernatiæ & iurisdictionis, fundare Ecclesias, vel esse illarum fundamenta non potuisse. *Philippus*, inquis ibid. num. 10. discipulus & Presbyter simul etiam Diaconus auctor fuit vt Samaria recuperet verbum Dei; tamen quia neque Apostolus, neque Episcopus qui posset ibi Ecclesias fundare & instituere, necesse fuit vt Apostoli eo legarent Petrum & Joannem, vt Ecclesias constituerent. & num. II. Cum Antiochia prædicatione Presbyterorum credidisset in Dominum Iesum. Apostoli eo miserunt Barnabam profecto tanquam Episcopum, vt ipse tanquam Episcopus illius fundationi vacaret cui fundanda & instituenda primi illi prædicatores, profecto Presbyteri, non erant idonei, quia Episcopi non erant. Hæc tu. ubi illud obseruo, te cursui, quem semel instituisti, vt nunquam tibi constes, constanter insistere. Nam citatis verbis te aperte asserentem audiuimus, ad fundationem Ecclesiæ potestatem Episcopalem Presbyterali maiorem necessariam esse; tamen illo eodem lib. 2. eodem cap. 3. num. 21. contrarium in terminis habes, nimisum Episcopalia munera propria & Pres-

byte-

byteralibus superiora Ecclesie necessaria esse, NON
(inquis) AD IPSIVS FUNDATIONEM
sed ad decorum & conseruationem. Sed hoc omisso
ex tuis dictis duo infero.

Primum est, quod fundare Ecclesiam proprie non sit populos ad fidem conuertere : quia Presbyteri habebant potestatein plenam euangelizandi & populos ad fidem convertendi non minus quam vel Apostoli vel Episcopi, si tibi credimus; nec tamen poterant Presbyteri in regionibus a se conuersis Ecclesias fundare, nec ipsi ut tu asseris erant illarum Ecclesiaturum vel fundatores vel fundamenta, quamvis conversionis eorum autores fuissent. Igitur Ecclesiam fundare non est populos ad fidem conuertere, nec quicunque praeceptor Euangeli, quamvis populos ad Christum plurimos conuertat dici potest propterea Ecclesiæ fundamentum.

Secundum est, quod Ecclesiam sustentare tamquam fundamentum sit eam regere & gubernare, & exercitium non ministerij, sed regiminis & iurisdictionis. Probatur, quia Episcopi & Apostoli sunt Ecclesiæ fundamenta per illam potestatem quam superant Presbyteros & cuius defectu Presbyteri non possunt esse Ecclesiæ fundamenta. Sed potestas quam superant Episcopi Presbyteros & cuius defectu non possunt Presbyteri fundare Ecclesiam, nec esse illius fundamenta, non est potestas Euangelizandi, quam eos plenam non minus quam Apostolos habere asseris; nec est illa potestas ministerialis, quia ratione huius (te doctore) nulla est essentialis differentia inter Apostolum & Presbyterum, sed tantum potestas regiminis & iurisdictionis Ecclesiasticæ. Igitur potestas fundamentalis Ecclesiæ, ratione cuius PETRVS dicitur Ecclesiæ sustentator & fundamentum, non est potestas prædi-

candi vel Sacraenta ministrandi , sed potestas regiminis & iurisdictionis. Nam Apostoli , sicut eâ solâ Presbyteros excellunt , ita eâ solâ Ecclesiam fundant & sustentant. Hinc Presbyteri cum non possint per se regere Ecclesiam , non sunt illius fundamenta ; cum non possint regioniâ se conuersæ Pastorem & Episcopum dare , non sunt Ecclesiæ fundatores : Apostoli vero , quia regionibus & ciuitatibus à se vel ab alijs ad fidem conuersis rectores & Episcopos dabant , erant Ecclesiæ fundatores ; quia Ecclesiam vniuersalem potestate à Christo accepta gubernabant , erant illius fundamenta : præci-
pue verò Petrus cui Christus singulariter præ ceteris promisit hoc officium fundamenti , imo soli ex Apostolis regimen commisit in metaphora fundamenti . Mirum vero est te negare velle officium fundamen-
ti esse officium Principis , qui Cyprianum Magi-
strum tuum & instructorem optimum vocas ; fateris autem l.i.c.6.n.46. Cyprianum in metaphora fun-
damenti intelligere regimen Ecclesiae , seu rectorem ,
per quem omnis Ecclesia , cuius est fundamentum , *actus
gubernetur*. Quid vero hoc aliud est , quam Petrum to-
tius Ecclesiae fundamentum , esse totius Ecclesiae ab-
solutum gubernatorem & monarcham . Nihilominus ut adhuc hæc veritas & officium fundamenti ,
melius explicetur ,

13. Dico secundo : In metaphora fundamenti Petrus tribui regimen Ecclesiae , præsertim circa quæstiones fidei ; ut domum Christi dissensionibus circa fidem concuslam stabiliat , controuersias fidei authoritatius definiendo . Probatur primo ex ipso nomine Pe-
tri . Petrus in metaphora fundamenti (cuius est , do-
mum continere & stabilire , ne lapidibus eius à se inuicem resilientibus ruat) accepit officium con-
firmandi Ecclesiam , in ea præsentim re , cuius fir-
mitu-

mitudinem & soliditatem immobilem nomine suo Petri præferebat. Nam Christus hoc illi nomen dedit, vt eius officium in Ecclesia per illud declaretur. Sed, vt tu l.i.c.6.n.22.fateris, in Petri nomine firmitudo & soliditas fidei significatur, qui Hieronymi dictum approbas, *Petrus ex fidei firmitate non accepit;* & dictum Chrysostomi *dictus est Petrus ob immobilem & immutabilem fidem.* Igitur officium Petro commissum sub metaphora Petri, propriè est regimen Ecclesiæ circa fidem; vt cum ventis hæresum in ipsam incumbentibus concutitur, ipse sua immobili fide eam stabiliat: quod fit controversias definiendo, & ei doctrinam, cui certò inniti possit, & debeat, ostendendo.

Secundo probatur ex circumstantijs historiæ Euangelicæ, ratione cuius Petro promittitur officium fundamenti Ecclesiæ; vnde hoc conficio argumentū, Christus sine dubio illud officium Petro promisit, & in Petro Ecclesiæ, cuius usum in Petro illud exercente tunc ostendebat. Sed in historia Euangelicâ, ubi Petro promittitur officium fundamenti, officium definitoris controversiarū fidei in Petro unam cōtraversiam fidei definitiē perfectissimè adumbratur, & huius potestatis definitiue & necessitas & usus, & vnde habeat ut sit infallibilis, clarissime ostenditur. Igitur sine dubio officium supremi iudicis controversiarū fidei in Petro tunc Christus instituit. Probatur minor. Nam primo erant inter populum Christo credentem variae & erroneæ opiniones de Christo; cum quidam Hieremiam, alij Eliam, nonnulli Ioannem Baptistam vel unum ex Prophetis pro suo quisq; sensu dicebat. en varia & erronea circa fidem dogmata in populo Christiano, quorum tollendorū causâ potestas definitiva Ecclesiæ necessaria est. Secundo hæc fidei controversia cum peruenisset ad notitiam Apo-

Hieron. in
epis. ad
Tit. c.r.
Chrysost.
homil. 7.
in ep. ad
Galat.

storum, Christus eam ab Apostolis examinari, dis-
Mattb. 16. *cuti & demum definiri voluit. Quem dicitis homines*
esse filium hominis? Vos autem quem me esse dicitis? ecce
disquisitio & examinatio doctrinæ tam damnandæ,
quam probandæ, quæ definitionem fidei debet præ-
A.D. 16. *cedere, qualis in Concilio Hierosolymitano ab Apostolis*
celebrato facta est. Tertio disquisitione facta Petrus
princeps post Christum Apostolicæ familie Spiritu
sancto afflatus controuersiam definit, & decretum fi-
dei inuiolabile sanxit. Tu es Christus filius Dei viu-
quam Petri definitionem reliqui Apostoli, ut debe-
bant, approbarunt. Ecce modus quo controuersiæ fi-
dei finiri debent, & semper ab Ecclesiæ definitæ fue-
runt; Petro vel Petri successore sententiam ferente,
*quam reliqui Prælides Ecclesiæ approbent. Q*uarto
Christus declarat Petri definitionem non ex carne &
sanguine, sed ex afflatu cœlesti ortam, qui Petrum de-
finitionem ita dirigebat, ut errare non posset. Beatus
es Simon Bariona quia caro & sanguis non reuelauit
tibi, sed Pater mens, qui in cœlis est. Ecce spiritus
Sancti assistentia, quæ Petrum, id est principem Ec-
clesiæ, dum definit, sic gubernat, ut à veritate non
erret. Et ego dico tibi quia tu es Petrus firmamen-
tum immobile fidei, cui tutæ inniti Ecclesia mea po-
test. Igitur post Petri in fide definiendâ firmitatem
experimento comprobata, post declaratam firmi-
tudinis Petri in fide causam Sancti spiritus assisten-
tiam, post Petram controuersijs fidei definiends &
Ecclesiæ stabiliendæ idoneam quasi digito ostensam
quia tu es Petrus, cum Christus statim inferat & super
hanc Petram adiutorio Ecclesiam meam, & portæ inferi non
præualebunt aduersus eam; quis dubitare potest officium
immobiliter stabiliendi Ecclesiam in fide, cum dubia
triuntur ea dubia definiendo, Petro & in Petro Ec-
clesiæ esse promissum? Denique quia facta contro-
uersia-

ueriarum fidei definitione sententia anathematis in refractarios ferri solet , hinc Christus post traditam Petro potestatem res fidei definiendi , tradit claves regni cœlorum , quibus fidei definitionibus rebelles cœlo excludat. Hæc autem Petri fulmina ne quis contemneret , Petri iudicia in terris , in cœlis etiam futura rata sine vlla exceptione pronunciat. quodcumque solueris super terram erit solutum & in cœlis; & quodcumq; ligaueris super terram erit ligatum & in cœlis.

ARTICVLVS IV.

*Quo sensu fides sit Ecclesia fundamentum non excluso
Petro.*

EX dictis colligitur quo sensu fides à Patribus dicatur Ecclesiæ fundamentum ; quorum sententiā tu multis sed ineptè explicas. l.i.c.6.n.21. *Patres*, inquis , ponunt fidem , non in concauo Luna vel alibi à suo subiecto separatam & nudam per se , tanquam accidens sine subiecto , sed fidem diuinitatis Christi in hominibus existentem , & ab hominibus amplectendam & confitendam fundare & fundasuram Ecclesiam. *lapi des enim illi viui ratione fidei* , quæ sit in illis , non in Petro , constant adificium Ecclesia , similitudo vero seu metaphora adificij in eo constituit , ut sicut fundamento herent reliqui lapides , & ab eo sustentantur in illa vnione & coherentia ; ita Ecclesia hoc est fideles in fide ynâ & eadem innixi , inter se retinent coherentiam & vnionem. Hæc tu , quæ non indigent confutatione , nec enim ea tu intelligis : & intelligenti statim ridicula apparent. Non enim vnionem , quâ fideles inter se immediatè coniunguntur , distinguis à fundamento & radice huius vnionis & coherentie inter se . Nam sicut in edificijs duplex est vnio; vna

proxima, quâ lapides coalescunt inter se immediate, quæ calce vel cémento perficitur, & formalis dicitur, quia in ea consistit forma & figura domus; altera remota, quâ conueniunt inter se lapides in uno communī fundamento, cuius vi constanter inter se cohærent, quoque sublato vniōnem inter se amplius retinere haud possunt: ita in Ecclesiâ fideles inter se immediate & proximè coniunguntur per eādem fidēm, seu pōtius per professionem vnius eiusdemque fidei, quæ est velut cémentum, quo fideles in vnum corpus & ædificium Ecclesiæ compaginantur. Sed præter hanc vniōnem proximam & formalem necesse est reperiri vnum commune fundamentum vniōnis & cohærentiæ, cuius adminiculo fideles in professione vnius eiusdemq; fidei stabiles & firmi contineantur. Cum autem dicis hoc fundamentum esse fidēm, & probas quia fideles in vna & eadem fide innixi retinent inter se cohærentiam, perinde est ac si diceres cémentum esse domus fundamentum, & lapides uno eodemque cémento innixos retinere inter se cohærentiam. quo quid ineptius? Ut igitur mens Patrum intelligatur: Notandum est fidēm (vt alias huius vocabuli significationes nunc omittam) dupliciter sumi: primo pro fidei virtute, quâ Deo regnanti credimus; de qua Apostolus ad Hebr. c. II. *fide credimus aptata esse secula verbo Dei.* Secundo sumitur pro fidei doctrina seu Dei verbo Apocalyp. 2. *non negasti fidēm meam*, id est, doctrinam fidei à me traditam. Hoc posito

16. Dico primo: fidei virtus hominibus inexistentis est fundamentum iustificationis, quia prima Christianarum virtutum, quibus iustificamur apud Deum, à quâ cæteræ pendent, nec sine ea possunt consistere; nihilominus Ecclesiæ fundamentum dici nō potest. Ratio est quia vnius domus vnicum numero debet esse

esse fundamentum. Nam fundamenta, si plura sint, non minus quam lapides egebunt communi fundamento; quo inter se vñita conseruentur. Sed fidei virtus non est vna numero in Ecclesiâ, sed multiplex, prout fideles, quibus inexsistit plures numerantur. Igitur virtus fidei singulis inexistentis non est fundamentum Ecclesiæ, sed ipsâ pro numero fidelium multiplex eget fundamento, quo vna & eadem in tot capitibus conseruetur.

Dico secundo, fides prout significat fidei doctrinam seu Dei verbum, à Patribus dicitur, vereq; est Ecclesiæ fundamentum, præsertim illa doctrina reuelata, quam confessus est Petrus de Christo, filio Dei viui. Ratio est, quia Ecclesia, cum sit congregatio fidelium seu plurium profidentium eandem Christi fidem, fundamentum fidei & Ecclesiæ vnum & idem est; sed fundamentum fidei Ecclesiasticæ est doctrina reuelata seu Dei verbum. Nihil enim credit Ecclesia, quod non sit à Deo reuelatum. Igitur doctrina fidei seu Dei verbum rectè dicitur Ecclesiæ fundamentum.

Dico tertio, fides seu Dei verbum non est per se sufficiens Ecclesiæ fundamentum, sine relatione ad Pastores & rectores Ecclesiæ, qui illud ex cathedra & cum potestate explicant. Ratio est quia Dei verbum, præsertim scriptum, multis in locis obscurum est, varias sæpe expositiones admitrit, & ab hereticis ad suos errores magnâ nonnunquam specie probabilitatis trahitur; atque adeo nisi sit aliquis Iudex, qui Dei verbum explicet, controversias componat, hereses damnet, varia inter Christianos circa sensum verbi Dei schismata orientur, ut experientiâ constat. Vnde Apostolus ad Ephes. 4. scribit Christum ascendentem in cœlum ad ædificationem corporis sui, quod est Ecclesia reliquise post se non solum Dei

verbum, tanquam huius ædificij fundamentum, sed etiam Apostolos, Prophetas, Euangelistas, Doctores, Pastores, qui verbum Dei explicarent, ut non circumferamur omni vento doctrina in nequitia hominum in circuventionem erroris.

19. Dico quarto. In promissione hac, Tu es Petrus & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, fides seu fidei doctrina ponitur Ecclesiæ fundamentum cum relatione ad Petrum, quatenus à Petro firmiter & infallibiliter declaratur. Hoc patet ex tua explicazione huius promissionis l.i.c.6.n. 22. *Si fides, inquis, ponatur Ecclesiæ fundamentum, sic est explicanda promissio, Tu es Petrus à fide & confessione de me facta; que est Petra, ita denominatus, & super hanc fidem, id est Petram, à qua te Petrum vocamus, ædificabo Ecclesiam meam. Nam, ut inquit Hieronymus, Petrus ex fidei firmitate nomen accepit.* Hæc tu: vbi clarissime asseris, non fidem absolute, sed fidem à qua Simon denominatur Petrus, seu fidem in cuius confessione Simon firmus est, & immobilis, hoc loco dici Ecclesiæ fundamentum. Vnde sic argumentor, fidei firmitas, à qua dicitur Petrus, est hoc loco te fatente Ecclesiæ fundamentum. Sed firmitas fidei à qua Simon dicitur Petrus, non est quid commune cuius fideli (non enim omnes fideles Petri sunt & in fidei confessione firmi & inerrabiles,) sed singulare Priuilegium vnius Petri. Igitur fides seu fidei doctrina relata, non indefinite ad quemuis fidem, sed singulariter ad vnum Petrum, hoc loco ponitur Ecclesiæ fundamentum.

20. Hinc sequitur rectè dixisse Chrysost. quem tu nobis obijcis Ecclesiam non super hominem fundari, sed super fidem id est super confessionem & sermones pietatis: cum Chrysost. hominem opponat fidei & sermonibus pietatis, certe intelligit hominem nudum per se sumptum

Chrysost.
ser. de pen-
tecoste.
tom. 3.

primum, sine fide & fidei doctrina, & super istiusmodi
 negat fundatam Ecclesiam. Ambrosium etiam nobis
 obijcis ita loquentem; *fides, inquit, est Ecclesia funda-*
mentum; non enim de carne Petri sed de fide dictum est,
quia porta mortis non ei praeualebunt. Hoc dictum Am-
 brosij fusè per plures paginas vrges l. i. c 6. n. 26. &
 27. & consutatis varijs responsionibus quæ possent
 adferri, triumphum canis: *Vides (inquis) Lector hic ex-*
presso negare Ambrosium vetram referri ad personam Petri.
 Respondeo in hoc dicto Ambrosij nihil esse difficultatis. carnem Petri opponit fidei Petri, per carnem Petri intelligit Petrum in carne viuentem. per fidem Petri intelligit doctrinam diuinitatis Christi, quam confessus est Petrus. Tria dicit. Primo Petrum in carne viuentem fuisse constitutum à Christo Ecclesiæ fundamentum; hoc tu omittis, quia contra te facit. *Petrus, inquit, respondet præceteru imo pro ceteru; & ideo*
fundamentum dicuntur, quia nouit non solum proprium; sed
etiam commune seruare. Vbi non solum dicit Ambrosius Petrum fuisse Ecclesiæ fundamentum, sed etiam explicat quod sit officium fundamenti Ecclesiæ nisi rum commune seruare, id est, communia totius Ecclesiæ negotia tractare, curam Reipub. Ecclesiasticæ gerere, esse illius Principem & rectorem. Secundo dicit Petrum in carne viuentem nunc non esse Ecclesiæ fundamentum, quia porta mortis prævaluerunt aduersus carnem eius, mortuus est secundum carnem, & Ecclesiæ gubernaculæ successori reliquit. Tertio dicit fidem Petri de Christi diuinitate non solum fuisse, sed & adhuc esse Ecclesiæ fundamentum, quia porta mortis aduersus hanc fidem non prævaluerunt; sed mortuo Petro in Petri successoribus vituit & Ecclesiam sustentat. Vnde non dixit Ambros. non fuisse dictum de carne Petri super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, non dixit

Ambr. de
incarn. c. 5.

ceps, non per illa tu es Petrus. Viderat Eckium qui dicit, omnes hoc admittimus, neque vñquam legi aliter aliquem determinasse. Ita Eckius. determinarunt tamen postea Baronius & Bellarminus. Quod si adficare Ecclesiam super Petrum sit ei tradere curam pastoralem, frustra laborabit vnuisquisq; in probando Petri primatu per verba illa adfiscabo super Petrum Ecclesiam meam, siquidem probatio tota reducenda est ad illa verba; pasce oves meas, de quibus seorsim disputabimus. & n. 42. cur inquis Lectores angitis tam prolixis disputationibus super hæc verba, super hanc Petram adfiscabo Ecclesiam meam: si nihil aliud continetur in illis, nisi id quod in alijs pasce oves meas? at qui procul dubio aliud significatur metaphoræ fundamenti & adfiscij; aliud metaphoræ ouium & pastoris. Hæc tu omnia, qui certè ut dixi, non intelligis quid scribas: imo credi vix potest quantum stultitiae & absurditatis in hæc pauca verba contuleris.

Primo si quod dicis intelligas, planè blasphemus es cum scribis ex Christi verbis super hanc Petram adfiscabo Ecclesiam meam, Petri primatum non stabiliri, quia promissoria duntaxat sunt; restare inquirendum vbinam effectum habuerint. Quam aperte non de sensu promissionis Christi dubitas, sed de effectu, non inquiris an Primatum Christus Petro promisebit sed an promissum exhibuerit? Quanta blasphemia! Quero enim à te per verba hæc, super hanc Petram adfiscabo Ecclesiam meam, Christus Petro primatum promisit vel non promisit? Si non promisit, non est quod de primatu tanquam effectu promissionis Christi sollicitus sis, nec dicere debes primatum per illa verba non stabiliri, quia promissoria duntaxat sunt, sed quia Primatus promissoria nullo modo sunt: imo ratio tua blasphemiam quandam insinuat, quasi verbis Christi Primatus promissorijs duntaxat fides adhibenda non esset. Si vero primatum Petro per hæc verba

Eckius l. 1.
de Prim.
Petri. c. 19.

60 MONARCHIAE ECCLESIASTICAE,

verba Christus promisit, cur nō in illis Baronius quasi capta prædā; hoc est stabilito Petri primatu exultet? Verba, inquis, promissoria duntaxat sunt. ita est. Sed illius promissio sunt, cuius verba non transient, quamvis cælum & terra transitura sint; nec iota vnum

a Quod pol-
licius erat restat, inquis, adhuc inquirere, vbinam effectum promissio
dicens, Tu es Christi habuerit. Quorū si constet de sensu, quid du-
bitas de promissionis Christi effectu? Si constet Chri-
stum promisisse se Petrum post se relicturum Eccle-
się Primatem, quid inquiris vbinam legas hoc execu-
tioni mandatum? Si Christianus sis, Christum quod
promisit implesse credas, etiam si hoc nullibi in fa-
cra scriptura legas.

Secundo calumniator es Baronij & Bellarmino, quibus errorem, de quo ne somniarunt quidem, im-
pingis, quod determinauerint Petrum per hæc verba
Christi, super hanc Petram edificabo Ecclesiam meā,
factum esse Principē Ecclesiæ, & illa non esse promis-
soria duntaxat, sed etiam exhibitoria Primatus. Vbi
nam hoc determinat duo doctissimi Cardinales? nu-
quam. inspice eorum scripta, a nisi prorsus excors sis, vi-
debis ab ipsis plane contrariū asserti. Sed video vnde
tibi hic error obrepserit. dicit Baronius Petri Prima-
tum per verba Christi promissoria stabiliri, hoc est
firme argumento demonstrari; tu, qua latini sermonis
peritiā es, Primatū Petri per verba Christi promis-
soria stabiliri idem putas esse, quod conferri. Videntur
tibi Baronius & Bellarminus Theologicè non proce-
dere, quia Latinè loquentes tu Grammaticæ ignarus
non satis intelligas Baroniumq; nunc agnoscis bonum
Iuris consultum, quem non ita pridem vocaueras sola
Grammatica instructum.

34. Tertio dum Baronium stulte persequeris, &
illius assertionem, quod Petri Primatus per ver-
batan-

ba tantum promissoria stabiliatur liberam & absolutam & parum modestam appellas, in sanctos Patres temere incurris. Esto enim dixerit Baron. Petrum per verba promissoria duntaxat factum esse Ecclesiæ Principem; efficacem promissionem Principatus, pro ipsa exhibitione acceperit; an non SS. Patres eodem modo de Petro loquuntur? Vide quid de SS. Patribus l. i. c. 7. n. 14. tu scribas. Patres, inquis, qui interdum dixeris Petrum primum claves accepisse, promissionem Christi efficacem pro ipsa executione acceperunt; ac supposuerunt tum Petro traditas esse claves, quando dictum est ei tibi dabo claves regni celorum. Ita tu. Si Patres efficacem Christi promissionem pro ipsa executione acceperunt; si claves traditas fuissent Petro dicant, cum solum promissæ fuerunt, cur libera & absoluta & parum modesta Baronij assertio si more Sanctorum Patrum Christi promissionem efficacem pro ipsa exhibitione accepit, Petrumq; dixit factum Ecclesiæ Principem & fundamentū, quando ei hoc officium promissum fuit? An non tu potius scriptor & liber & dissolutus & parum modestus, qui dum Catholicos oppugnas, perpetuo tecum ipse pugnas, in Baronioque damnas, quod in Patribus approbas.

Quarto solempne tuum seruas, ut tibi contrarius 25.
sis, hic enim sentis proculdubio aliud significari metaphorā fundamenti & adificij, aliud metaphorā ouium & pastoris: alibi tamen dicis & fusè probas vnum & idem officium vtrâque metaphorâ designari, nimisrum officium Euangelium prædicandi & populos ad fidem Christi conuertendi l. i. c. 6. n. 43. Petrus, inquis, intelligitur fore fundamentum, quatenus conuersus erat ad fidem credentium multitudinem, & dicitur constitui pastor futura Ecclesia, quia designatur præparator Euangeli, & sane primus & præcipuus, sed non solus. Hic aperte dicis officium fundamenti

in Pe-

in Petro prorsus idem esse , quod officium pastoris . nimirum Euangelium prædicare & populos ad fidem conuertere , & idem sæpiissime repetis ; tamen nunc dicis proculdubio aliud esse officium fundamenti , a liud pastoris . Piget in te confutando bonas horas ponere , qui quicquid in buccam venerit effutis , nec an cohæreant inter se , quæ scribis , pensi habes .

26. Quinto mihi Theologiæ , ne dicam sanæ mentis expers videris , cum argumenta ex promissorijs Scripturæ verbis sumpta contemnis , prolixas disputationes appellas , solamque probationem ad verba promissionis exhibitoria reducendam definis . Nolo in hoc impio paradoxo confutando immorari , quam sis blasphemus & ineptus uno aut altero exemplo ostendam . Hæc verba *Ecce Virgo concipiet & pariet filium* Virginei partus promissoria tantum sunt ; in illa tamen SS. Patres prolixas disputationes & expositiones ediderunt , illoque testimonio confodere se putant hæreticos , qui negant virginem peperisse . Quæro à te an hæretici sapient , si tecum respondissent illa verba promissoria duntaxat esse , inquirendum esse virginam effectum habuerint ? Item Christi verba Io . 6 . panis quem ego dabo caro mea est pro facili vita , promissoria duntaxat sunt veri Christi corporis , nobis in Sacramento exhibendi : SS. Patres Augustinus , Hilarius Cyrius & alij de his verbis fusè disputarunt , argumentatiue sunt Christum veram carnem habuisse , nobisque in Cæna reliquisse . Quæro an his Patribus quis iure dicat , cur Lectores prolixus disputationibus angitis in hæc verba panis quem ego dabo caro mea est pro sæculi vita , cum nihil aliud promittatur in illis , quam quod exhibetur in istis : Hoc est corpus meum , ad hæcque verba tota probatio reducenda de vera carnis Christi in Sacramento præsentia ? Si nullus , qui vel modice sapit Patres arguat , qui ex verbis Christi promis-

promissorijs dumtaxat veram corporis Christi in Sacramento presentiam consumirant, certe tu non sapis, qui Catholicos reprehēdis, eo quod ex Christi verbis regimen Ecclesiæ sub metaphorā fundamenti singulariter Petro promittentibus Petrum præ ceteris singularēm totius Ecclesiæ rectorem constitutum à Christo fuisse argumentantur. Igitur Christi promissionem, se Petrum post se relieturum totius Ecclesiæ Principem, non dubitaremus effectum habuisse, et iam in Euāngelio hunc principatum Petro exhibitum nusquam legeremus.

ARTICVLVS VI.

*Quod officium & quam amplum Petro tradatur per verba
Pasce oves meas.*

PER hæc verba, *pasce oves meas*, Petro traditur po-

testas Iurisdictionis in omnes Christi fideles, etiam Apostolos; atque ita regimen Petro in metaphora fundamenti promissum in metaphorā pastoris exhibetur. Continet hæc concullio tres partes. Prima est quod officium pastoris Petro commissum, sit iurisdictionale, & pascere oves Christi sit eas regere & gubernare; & ut dixit Ambrosius, *pasce, id est gubernana oves meas*. Hæc pars probatur ex tuo dicto qui I. i. c. 8. n. 1. dicis, quod Petro promissum fuit per verba *Tibi dabo claves*, exhiberi per verba *pasce oves meas*. & c. 7. Petrus, inquis, nomine totius Ecclesiæ accipit claves, id est curam pastoralē. Igitur cura pastoralis idem est, quod claves regni cœlorum: sed claves regni cœlorum non significant officium ministerij, sed iurisdictionis & regiminis, ut tu fateris lib. i. c. 7. num. 26. *admissimus* (inquis) & *admittimus* per claves summam in Ecclesia ligandi & solvendi intelligi potestatem. igitur cum Petro

vna cum officio pastoris tribuantur claves , sequitur potestatem summam iurisdictionis & ius amplissimum ligandi & soluendi tribui Petro, cum dicitur ei à Christo, *pascere oves meas.*

27. Secunda pars conclusionis est, Petri regimen se extendere ad omnes Christi fideles. Patet , quia Petro tradūtur oves Christi indefinite sine vlla exceptione, nec vllus dedignari potest esse se subditum Petro, qui non simul dedignetur esse se ouem Christi. Hoc tu l.i.c.6.n.9. concedis. Quemadmodum , inquis , *non pugno , si verbo PASCENDI tota potestas Ecclesiastica claudatur, ita facile cōsentio sub verbo OVES fideles omnes indefinite totius mundi intelligi.* Quid amplius Antoni vel nos cupiamus vel tu concedas, quām Petrum habuisse plenam & supremam potestatem Ecclesiasticam in omnes oves Christi totius mundi indefinite, id est, sine vlla limitatione? Nam in ouibus Christi indefinite sumptis , id est, sine vlla exceptione etiam Apostoli comprehenduntur & Episcopi. Igitur Petrus, te non repugnāte, supremam potestatem in omnes fideles etiam Episcopos & Apostolos accepit. Hinc sequitur oves Christi Petro traditas non solum Israelitas , quod tu cum probabilitatem iudicas , à regula quam tradis sacræ Scripturæ explicandæ recessis. Nam. l.i. c. 7.n.17. dicis expositionem sacræ scripturæ debere hauriri *non ex riuulis , id est, ex recentioribus interpretibus , qui ut plurimum impuri fluunt, sed ex antiquis Patribus, qui veluti fontes limpidissime fluentes Ecclesiam lepidissime irrigarunt.* Sed expositionē, quæ Christi oves Petro traditas restringit ad solos Israelitas, hausisti ex recentioribus Interpretibus, Luther & Centuriatoribus, qui nobis lacunæ sunt, tibi ad summum nonnisi riuuli esse possunt, quos plerunque fateris impuros fluere : Patres vero , quos fontes limpidissimos vocas, per oves Christi Petro commissas in-

*ses intelligunt a fideles omnes, b ouile Dominicum, c Dominicum gregem, d orbem terrarum, e Ecclesiastim Christi, f totam Ecclesiam, nec ullum ex antiquis nominas vel nominare potes, qui Petrum pastorem tantum Israelitarum constitutum afferit, cum dixit ei Christus, *pasce oves meas*. Igitur desertis fontibus limpidissimis, lacunas vel saltem riuulos plenumq; impuros consectoris, cum Christi oves Petro traditas ad solos Israelitas restringis.*

Tertia pars conclusionis, in ouibus Petro commis-
sis Apostolos contineri; probatur duplī argumen-
to.

Primum argumentum sumitur ex autoritate Petri. Omissis autem alijs; tantum Chrysostomum virgeo, vt videas quam temerè l.i.c.ii n.29. dicas Primatum Petri non agnouisse Chrysost. quin imò illi notitiam Primatus Petri tribuere impium & penè blasphemum esse, siquidem in orationibus de Paulo nunquam illius meminit. Igitur Chrysost. hom.4.in Ioan. dicit Christum Petro curam fratrum suorum tradidisse, cum dixit ei *pasce oves meas*, quis aut̄ nescit Apostolos propriissime Petri fratres dictos, reliquos vero fideles nō tā fratres Petri fuisse, quā filios. Hic tu frontem perficias, & dicis l.i. c.8. n. 6. *loquitur Chrysost. de fidelibus, qui fratres erant Petri, non de Apostolis, quidquid dicat Bellarminus.* certè si res vocibus & clamoribus peragenda sit, Bellarminum tu vinces, si rationibus, mutus eris, qui rationē huius dicti tui nullā affers. Ego autē tribus rationibus cōficio Chrysostomū per fratres Petro cōmissos intelligere p̄cipue Apostolos. Prima est, quia Chrysost. cū dicit in expositione Euangeliū *fratrum curā* Petro cōmitti cēseri debet secūdū phrasim Euāgelij loqui, p̄fertim illius capititis Euangeliij, in quo explicādo versātū: sed secūdū phrasim Euangeliij Apostoli dicuntur fratres,

a Matt. 23.**b Matt. 26.****Luc. 22.****Ioan. 21.**

a omnes vos fratres estis, **b** dicite fratribus meis & Petro,
b confirma fratres tuos. imo Ioan. 21. in cuius capituli ex-
 plicatione dicit Chrysost. curam fratrum Petro com-
 mitti, Apostoli nominantur fratres, exiit sermo inter
 fratres, quis igitur dubitet in fratribus, quos Petro
 commissos dicit Chrysostomus præcipue Apostolos
 designari?

29. Secundo quia Chrysostomus dum dicit per verba Christi, *pasce oves meas* fratrum suorum curam com-
 mitti, alludit ad locum Luc. 22. vbi dicit Christus Pe-
 tro, *tu conuersus confirma fratres tuos*; hoc enim testi-
 monio vti solet Chrysostom. vt probet Petrum fuisse
 totius Ecclesiæ Monarcham, vt hom. prima in Acta
 Apost. Petrus, inquit, *omnes habebat in manu*: *ad hunc*
enim dixit Christus confirma fratres tuos. Sed fratres
 quos confirmare iubetur Petrus Luc. 22. erant Apo-
 stoli, vt patet ex ipso verborum contextu. Illi enim
 fratres Petro traduntur confirmandi, quos dicit
 Christus vnâ cum Petro tentandos; sed fratres Petri
 cum Petro tentandi erant ipsi Apostoli: *ecce Satanus*
expetiuit vos vt cribraret sicut tritum; *ego autem rogaui*
pro te Petre, vt non deficiat fides tua, & *tu conuersus confir-*
ma fratres tuos, nimirum quos Satanus expetiuit vt te-
 cū cribraret. Igitur fratres quos confirmare, oves quas
 regere Petrus iubetur, Apostoli erant. Tu quidem l.
 1.c.6.n.39. etiam hic dicis audacter fratres Petri non
 intelligi eius Coapostolos; pro quo dicto tuo affers
 argumentum, sed adeo ineptum vt plane contrarium
 probet. *Fratres*, inquis, *Petri quos confirmare iubetur*,
non erant Apostoli, *sed fideles de quibus Paulus*: Deinde vi-
 sus est plusquam quingentis fratribus, & Periculum in falsis
 fratribus. & Surgens Petrus in medio fratrum, erat autem
 turba hominum sere centum viginti, dixit; *viri fratres*.
 Hæc tu: quæ plane probant Petro commissos Apo-
 stolos fuisse. Nam in quingentis fratribus, quibus
 Chri-

Christus apparuit, erant Apostoli; inter fratres in quorum medio Petrus surrexit & dixit viri fratres, erant Apostoli; denique in multitudine fratrum, qui diuidebantur in veros & falsos, Apostoli erant, nimis inter fratres veros & fideles: hos autem fratres fateris Petro regendos & confirmandos traditos a Christo esse. Igitur in fratribus Petri, in ouibus Christi Petri curæ commissis Apostoli erant.

Tertia ratio, quæ probet Chrysost. per *fratres* Pe- 30. tri intelligere Apostolos sumitur ex eo, quod illo ipso loco dicat, Petrum ex *tradita sibi fratrum suorum curâ* autum esse interrogare de Ioanne; hic autem quid? tanquam de oue ad eius curam iam pertinente: quo dicto planè significat, fratres Petro commissos Ioannem & reliquos Apostolos suisle. Hic nihil habes, quod respondeas, nisi Chrysostomum *hoc transcursiue dixisse in decursu exundantis orationis.* ita l.r. c.8.n.6. Scilicet Chrys. dum sacram scripturam exponit, *transcursiue scribit, oratoriè loquitur, exundat:* in panegyricis autē orationibus de Paulo pressus Theologus est & adeo scuerus, ut dicere ipsum studio Paulum ornandi subticiuisse priuilegium Petri, quo Paulus obscurari videri posset impium & pene blasphemum existimes. Quam ineptus Chrysostomus vel scripture expositor vel Orator esset si se tuani ad normam temperasset; Qui etiam Chrysost. eloquentiam *al. l.c. 9.* quodam loco a sic laudas. *Eccorursus contrarius sibi vi-* *n.19.* *detur Chrysost ita sert secum eloquentia.* Sane si loqui pugnantia, vel obscura quæ videantur inter se pugnare munus eloquentiæ sit, n̄ tu omnium es, qui hactenus scripsierunt eloquentissimus, post M. quidem Antonium, cuius ut nomen ita eloquentiam hausisse videbis. Ille enim in orationibus, quas habebat sēcū perpetuo pugnare solitus extat; in cuius eloquentiam extat M. Tullij dictum, quod in te rectius quadret.

Praetaret, M. Antoni, mutum esse quam sic loqui. Atque ut appareat, quam sis in hoc genere eloquēs, obseruo te, cum dicis Chrysost. in expositione huius loci Euangelici, *pascere oves meas exundasse*, tibi ipsi contrarium esse. Nam l. i. c. 9. n. 19. concedis Chrysost. *alijs quidem locis exundare, & videri in supremum Petri primatum plurimum inclinare, tamen (inquis) ubi aguntur de locis fundamentalibus, qui absolutum Petri primatum videntur erigere & stabilire, à communi sententia nunquam discessit.* Hęc tu: tamen his contraria te modò dicentem audiuimus nimirum Chrysost. in expositione huius loci Euāgeliī *pascere oves meas*, qui maximè fundamentalis est pro Petri primatu, exundasse, transcursum dixisse, quę vera in rigore non sunt. Nimirum tecum ipse pugnas, ita tua fert secum eloquentia. Denique in fratribus Petri comprehendit Apostolos probatur, quia quando aliquid de alio absolute pronūciatur, stultum est excipere id quod propriissimè per illud significatur. Hęc propositio est Illustrissimi Bellarmini, & per se euidēs. Sed fratres Petri propriissimè erant Apostoli, ergo cum dicit Chrysostomus fratres Petri Petri cure committi, & in Christi sententia ad Petrum *Confirmata fratres tuos excipere Apostolos stultum est.*

31. Secundum argumentum, Apostolos ex ouibus Christi Petro commissis esse, hoc est, quia sine omni fundamento excipiuntur. Nam rationes exceptionis, quas tu adducis, adeò non sunt solidæ, vt in illis tibi ipsi contrarius sis: Duæ sunt. Prima est, quia Petri cura non egebant. *Ad quid (inquis l. i. c. 8. num. 6.) obsecro Apostoli petro committantur: fortasse ad ipsorum confessiones audiendas? An ad ipsos docendos & instruendos? An ad corrigidos & puniendos? & pascere oves erat hominib. fidem & doctrinā Christi instillare, ac virtutes persuadere, quibus rebus Apostolos indiguisse, ab alio, quam à Christo, nemo sana mentis dixerit.* Hęc ibi; quę refutantur ex ijs quę scri-

bis


bis l. i.c. II.n.14. Petrum errasse in fide & doctrina Christi, & instructione Pauli & correctione eguisse. Verba tua sunt ista . *Hiccine est ille Petrus, cui commissa dicitur cura vel ipsorum Apostolorum verbis illis Christi cōfirma fratres tuos; nunc verò iam post susceptū plenè Principatum ipse EG E T confirmatione, correptione & instructiōne à nouissimo Apostolorum.* Hęc tu: ex quibus duo infero; vnum est te per tua verba conuinci sanæ mentis non esse. Nam fateris sanæ mentis non esse eum , qui dicit aliquem ex Apostolis eguisse instructione in doctrina Christi , & persuasione ad virtutes ab alio quām à Christo. Sed tu expressè dicas Petrum Principem Apostolorum errasse in fide, & suo exemplo gētes scādalizasse, & ideo indiguisse instructione in doctrina fidei, & persuasione ad virtutem à nouissimo Apostolorum, qui non erat Christus. Igitur si tu vera dicis sanę mentis non es, imo quia vera nō dicis, sed inter se pugnantia, hocquę perpetuo nihil verius potuit de te ex tuis dictis cōcludi, quā te sanę mentis haud esse. Secūdo infero Apostolos indigere potuisse cura pastorali Petri: quia Apostoli nō erāt ab erroribus & peccatis magis immunes, quā Petrus. Sed Petrus errauit, si tibi credimus, in fide; neq; negamus in cōuersatione errasse, dum à cibis gentiliū nō satis cautè abstinuit. Igitur errare poterāt alij Apostoli , & egere Pastorē, quibus regendi traderētur, quiq; eos ex officio tāquam Pastor dirigeret; Quanquā subiectio Apostolorū ad Petru, magis exēpli fuit, quā necessitatis : Petro subditi fuerūt, nō quia regimine alterius ip̄li magnop̄re egcbāt; sed vt Episcopi eorū successores, qui rectoris indigi futuri erāt, ad obediētiā & ipsis & Ecclesiæ necessariā, tātorū Principū exēplo formarētur.

Secunda ratio, ob quā Apostolos ex numero ouiuū 32.
Christi Petro cōmissiarū eximis, est, quod nō tantū oues sūt, sed etiā Pastores. *Apostoli* (inquis vbi supra) erāt

oues simul & Pastores: Petro vero commendantur oues, que oues tantum sunt & non Pastores. Pastores enim omnes, etiam Petrus, quatenus oues, erant sub solo Pastore Christo. Hæc tu hoc loco: sed alibi scribis alia ex quibus plane contrarium euincatur. In primis dicis Parochos & Presbyteros esse Pastores, iure diuino in cura Pastorali Episcopis & Apostolis penitus æquales. Hoc doces l.2 c.9.num.1.5.& 8. Secundo dicis hos Parochos & Presbyteros curæ Pastorali Episcopi subdi iure diuino & institutione Christi. Ita scribis conceptis verbis l.1. c.12.nu.20. Tertio dicis Petrum cum dixit ei Christus, *pasce oues meas*, gesisse personam omnium Pastorum, atq[ue] adeo cuilibet Episcopo à Christo dici cum sit Episcopus, quod dictum est Petro, *Pasce oues meas*. Hoc tradis l.1.c.8.num.8. Ex his tribus dictis tuis tria concludo. Primo te in terminis contraria docere. Nam l.1.c.8. num. 9. dicis *Pastores omnes iure diuino esse sub solo Pastore Christo*. Sed eodem lib.c.12.n.20.dicis *Presbyteros Pastores esse & Episcopis & Apostolis pares iure diuino, tamen subesse Episcopo iure diuino*. Vix intelligo, qui possis perfectius & magis in terminis tibi iplis contradicere, si per otium contradictionis perfectæ exempla meditareris. Secundo infero, æqualitatem Apostolorum cum Petro in curâ pastorali non impedire, quin Petro subditi iure diuino esse potuerint: quia Parochi subduntur Episcopo, & sub eius regimine & cura pastorali continentur; tamen *Pastores sunt, Episcopo cui subduntur* (si tibi credimus) *iure diuino prorsus æquales*. Igitur æqualitas in cura pastorali non impedit subiectionem, nec eximit Apostolos, quin Petro in cura pastorali subijcantur. Tertiò infero Christum cum dixit Petro *pasce oues meas*, omnes oues suas illi supposuisse etiam eas qui pastores erant. Probatur, quia cum quis constituitur alicuius Ecclesiæ Episcopus, eique dicitur à Christo *pasce oues meas*, fateris

fateris omnes simpliciter & absolutè , qui pertinent ad illam Ecclesiam, non tantum oues , sed etiam pastores illi subijci , quicunque & quanticunque sint, quamuis ipsi Episcopo in pastoratu pares. Sed Petrum Christus instituit pastorem Ecclesiæ vniuersalis, quando dixit ei *pasce oues meas*. Igitur Petro Christus subiecit omnes simpliciter & absolutè , qui pertinent ad Ecclesiam vniuersalem, non solum oues , sed etiam Pastores , quamuis in cura Pastorali Petro pares.

Vnicum restat argumentum , quo probas Petrum 33. non fuisse totius Ecclesiæ etiam Apostolorum pastorem & fundamentum; nimirum *quia Petrus non habuit indefectibilem fidem quo reliquos regeret & confirmaret in fide; Nam quater errasse dicis in fide.* Primo *cum dixit Christo , absit hoc à te Domine, cupiens ipsum à passione revocare.* Secundo *quando Christum passionis tempore ter negauit.* Tertio *cum nunciantibus Christum resurrexisse non creditit.* Quarto *cum docuit circumcisionem gentibus esse necessariam, quâ de causâ Paulus eum reprehendit.* Respondeo: ex his quatuor exemplis infidelitatis Petri, ultimum blasphemum mendacium est, sacræ scripturæ, Patribus, fidei Christianæ principijs repugnans, vt infra ostendam: reliqua tria, neque ad propositum faciunt ; cum Petro contigerint priusquam fieret Ecclesiæ Princeps; neq; vera sunt, vt probat Bellarm. l. i. de Rom Pont. c. 21. potiusque Christo pro Petri fide ne deficeret oranti credemus, quam tibi contra fidem Petri ex odio potestatis Petri disputanti.



CAP V T Q V A R T V M.

*Promissa & data Euangelica de officio fundamenti, & Pastoris, & potestate clauium esse singularia
vni Petro.*

SVPERIORI capite per tua dicta conuicimus officium fundamenti totius Ecclesiae, clauigeri regni cœlorum, pastoris ouium Christi continere summam & amplissimam potestatem, quod tu lib. I. cap. 7.n. 16. de clauibus sponte admittis, vbi etiam scribis, *Hæc promissa & data & Petro singulariter dicta, & in Petro verificata, sed non solo.* Quid igitur nunc obstat, quin Petrus sit, non quidem solus Ecclesiae Princeps, tamen eminens & singularis vniuersalis Princeps, qui Principes alios secum in Ecclesia, sed neminem in potestate sibi parem, sed omnes inferiores habeat, hoc est, uno verbo Monarcha sit? Nihil sanè, si tu tibi ipsi constares.

QVARTVM M.ANTONII FVNDAMENTVM.

Petrum in promissis & datis Euangelicis verè & propriè exui suâ personâ, & tantum esse figuram pastorum Ecclesia.

NIHILOMINVS ab aperto Euangeliij textu de- pulsus ad figuras & typos configis, & nescio quem nouum Primatum fingis, quem figuralem & typicum vocas, quem solum Petro conuenire perpetuò repetis, nec tamen (adeo tibi per placet!) satis unquam à te repeti posse l. i. c. II. n. 14. affirmas. Huius Primatus fundamentum arripis ex Augustino, cuius dictum quoddam laudas & solemne, mirabile, & stellam tuam polarem & certam regulam vocas l. i. c. 3. n. 27. & c. 7. n. 22. *Quadam dicuntur, quæ ad Apostolum Petrum propriè pertinere videantur, nec tamen habent illum intellectum, nisi cum referuntur ad Ecclesiam, cuius ille*

ille agnoscitur in figura gestasse personam propter Primum
tum (atatis, inquis, intelligo & vocationis,) quem in dis-
cipulis habuit; sicuti est, tibi dabo claves regni cœlorum, &
si qua huicmodi. Ex hoc loco Augustini, quatuor col-
ligis. Primo Petrum in locis Euangelicis verè & pro-
priè exui à persona propria. Secundò tantum indui
persona vniuersalis Ecclesiæ (hoc est, omnium Pasto-
rum) vt sit figura illius. Tertiò non accipere claves
formaliter, sed materialiter. Quartò omnes Pastores
Ecclesiæ claves immediatè accipere, Petrum verò cō-
secutiū & indirectè. *Hebes est,* (inquis lib. I. c. 7. n. 23.)
qui non videt Petrum ab Augustino verè & propriè exui in
quibusdam locis Euangelicis à personâ propria, & indui tan-
tum personâ vniuersalis Ecclesia, vt sit typus & figura illius.
& n. 24. Petro, inquis, materialiter promissio clavium sit
vni & eas ipse materialiter accipit, non formaliter; & iterū.
Quando cum uno Petro agitur formaliter cum ipso non agi-
tur, sed tantum materialiter; quia tunc Petrus non est Pe-
trus, sed persona representans Ecclesiam totam. & n. 26.
Petrus adeo representabat præfules, vt quando accipiebat
claves, eas non sibi, nisi materialiter acciperet, formaliter
verò ipsis præfulibus, hoc est, ipsimet præfules eas tunc im-
mediatè à Christo in Petro veluti in ipsorum figura accipie-
bant. Hunc autem figuralem Primum inuenisse pu-
tas Augustinum, quo verum Primum Romani Pon-
tificis in Petro tanquam in fonte extingueret. Videbat,
inquis l. I. c. 3. n. 28. Sapientissimus Aug. Romanos Ponifi-
ces sibi nimium applaudere, & ex singularib. hisce datis & pol-
licitus Petro, posse illos aliquā amplitudinis suæ ansam arri-
pere; & fortasse præuidebat etiam hinc tandem in aperta &
indebità Ecclesia Monarchiā erupturos: Antidotū singulare
voluit apponere & Ecclesiam totā monere, ne vlo vñquā tē-
pore Petri Primum verū admitteret, illud protestando ni-
bil illustre debere intelligi in persona Petri quidquid ei dicar-
tur & promittatur à Christo, nisi ad Ecclesiam referatur.

Quar-

Quartum suum fundamentum funditus euerit

ANTONIVS.

NON indigent, Antoni, noua confutatione hæc, quæ iam pridem à nostris consutata, ex Bellarmino in tuum librum inseruisti. Nouatoris gloriam captas, nec tamen cupiditati tuæ par es ingenio, quo noua configas, nisi aperte falsa & inepta; quæ tu ipse statim destruis; neque ea vñquam scriberes, si cogita-ta tua, priusquam efferres, vel modicum expenderes. Hoc tibi accedit in figurali Petri primatu; de quo, quia est totius operis tui præcipuum fundamentum, quæ dicas discutiam, ostendamq; te non modo noui nihil afferre; sed etiam multo quam maiores tui ine-ptius argumenta hæreticis trita, à Catholicis vero protrita, retractare. Quinque examinanda sunt: in quibus ostendam, quam tecum ipse perpetuo pugnes. Primo an Petrus in dictis locis Euangelicis exuatur propria persona. Secundo quo sensu Petrus dicatur persona Ecclesiæ ab Augustino & eius figuram gestasse. Tertio an ratione primatus sui Petrus sit persona Ecclesiæ. Quarto, quod sit mysterium Augustini, ob quod Petrum ita sèpe vocat Ecclesiæ figuram. Quinto an Augustinus Petri Primatum impugnaue-rit, vt Romanum quem ægrè ferebat euerteret.

ARTICVLVS PRIMVS.

An Petrus in locis Euangelicis exuatur vere & propriè sua persona.

2. **P**RIMO loco examinandum est an Petrus exuatur in dictis locis vere & proprie sua personâ. Dico primo nunquam dixisse Augustinum, Pe-trum

trum verè & propriè exuit in locis Euangelicis propria personâ. Nam si dixit, tu qui cæteris acutior es, qui nos habebes vocas, cui Saderus loquitur satis obtusè, locum si potes nobis ostende. Sat scio non potes. Dices hoc ipso quod induatur personâ Ecclesiæ, consequēs esse ut propria exuatur. Nō est hoc cōsequens, Antoni, quia potest Petrus non exutâ personâ suâ, Ecclesiæ personâ superuestiri? sicut Dei filius non exutâ naturâ diuinâ induit humanam, nec cum factus est homo esse Deus desijt; sicut Dauid cum Rex factus est, ut pasceret populum Israel, publicâ totius Israeli personâ vestitus est, nō tamen singularem personam verè & propriè exuit, sed persona Israe lis cum singulari ipsius personâ coniuncta est Quidni Petrus ergo claves accipiens publicâ totius Ecclesiæ personâ vestiatur, eamque repræsentet, nec tamen suam singularem personam exuat, sed in propria personâ Princeps & clauiger & pastor sit? Itaque de Petro verè & propriè exuto persona propria, cum Christus dixit ei, Tibi dabo claves, nihil habemus ex Augustino, nec tibi dicenti credemus.

Dico secundo, in datis & pollicitis Euangelicis singulariter Petro factis Petrum exuere propriâ personâ, ut sit tantum figura pastorum Ecclesiæ, impium est, quia Christum Petri delusorem facit. Hoc statim patebit, si declaretur quid sit personam aliquam verè & propriè exui persona, & indui aliena dum quis eam alloquitur & ei aliquid promittit. Non enim hoc fit reali separatione, quâ quis à seipso diuellitur; nec personali vniione qua cum altero coniungitur; sed mente & cogitatione loquentis. Nam qui loquitur, si mente & cogitationem diuertat à personâ quam alloquitur & in ea aliam apprehendat, ad quam apprehensam verba quæ coram altera fundit, mente referat, dicitur illam personam, cum quâ loquitur sua persona exuere

na exuere & altera induere. Hoc autem fieri pos-
test dupliciter. Primò internè simul & externè, quod
fit cum in persona, quām coram intuemur, apprehe-
dimus aliam & eam alloquimur verbis, quæ conue-
niant personæ mente apprehensæ, non personæ, quām
coram intuemur, sicut in personis quæ solent exhibe-
ri in theatris, & ut nos coram imagine crucifixi Chri-
stum alloquimur, verbaque dicimus, quæ soli Chri-
sto conueniant. Secundò internè & non externè, vt
cū personam præsentem, verbis illam propriè desig-
nantibus alloquimur, eique magna pollicemur, sed
mentem versam habemus ad aliam personam, cuius
tamen in sermone nullam facimus mentionem, ad
eamque promissionem mente dirigimus. Hoc autem
modo exuere personam, quam alloquimur suâ perso-
nâ, & alienâ induere, fingere est, & eam decipere. Ex
his patet impium esse, dicere, Christum in promissio-
ne clavium Petrum sua persona exuisse. Hoc enim si
fecit mens Christi, à verbis dissidebat, Petrumque lu-
sit, cui magnifica & valdè illustria externè promisit,
verbis eius personam singularissimè designantibus,
cum tamen ex animo & mente magnifica illa promis-
sa non referret ad Petrum singulariter, sed ad totam
Ecclesiam & omnes & singulos Pastores non minùs
quām ad ipsum. Itaque Petro iurata Christi promissa,
velut ad ipsum singulariter pertinentia reposcenti
respondere Christus potuisset, vt est apud Poetam:

*Qua iurat mens est, tibi nil promisimus illâ,
Verba tenes tantum viribus orbas.*

Nihil tibi Petre singulare promisi, neque tibi illustre
aliquid præ cæteris prælatis præter verba dedi: nam
mens mea, quæ vis promissionis & vita est, dum te
alloquerer, nō te, sed in te Pastores verè & propriè re-
spiciebat. Quid est fingere & verba dare, si hoc nō sit?
Impium igitur est ita Christi verba exponere: quod
iam

iam propriè de singulis locis Euangelicis demonstrabo ex tuis verbis.

Dico tertio, in hac promissione Euangelica, *Tu es Petrus & super hanc petram adificabo Ecclesiam meam*, Petrum verè & propriè exuere persona propria, ut sit tantum figura Præsulum, nefas est. Probatur ex tuis verbis l.i.c.6.n.3.vbi disputas contra eos, qui ut Petrum Monarchico primatu priuent docent *hac verba ad petrum in sua specialitate non pertinere*, sed ad omnes iustos in persona Petri. Certè, inquis, verba Christi adeo sunt arcta, & vocabulis individuantibus ad unum petrum directa, ut nefas sit ea à Petri persona diuellere, & direcere ad alios dirigere. Ideo enim Christus dicit, *Beatus es Simon Bariona, nominat eum nomine proprio & cuius sit filius, cum quo loquitur explicatè profert & ego dico tibi; tecum enim qui es Simon & quem vocandum decreueram loquor, quia tu es petrus. Quid plura? certissimum est Christum cum Petro directè & proximè loqui, cum illo eodem*, qui ex suo feroce dixerat Christo *Tu es Christus filius Dei viui. Hæc tu omnia ex Bellarmino sumpta in tuum librum tanquam propria transcribis; ex quibus duo contra te manifestè demonstratur. Primum est, Christum verè & propriè non exuisse in hac promissione Petrum propriâ personâ. Nam sic arguo. Hæ vocalæ individuantes Petrum, *Simon Bariona Petrus*, qui confessus est filium Dei, non minus distinguunt pastorem Petrum à reliquis Pastoribus, quam iustum Petrum à reliquis iustis. Sed ita distinguunt Petrum iustum à reliquis iustis, ut nefas sit dicere ea nō pertinere ad Petrum in specialitate suâ, sed ad Petrum exutū specialitate suâ & indutum personâ omniū iustorum. Ergo etiā ita distinguunt Petrum ab alijs Pastorib. vt nefas sit dicere nō pertinere ad Petrum in persona sua, sed ad Petrum verè & propriè exutū personâ propria & indutū tātū personâ omniū Pastorū. Secundū est Petrum potestatē Ecclesia-*

ecclesiasticam sub hac metaphora promissam, propriè & directè sibi accepisse, non ut tu singis consecutiù & indirectè. Probatur, quia Christus promisit Petro suam potestatem in præmium confessionis ut tu fateris l.i.c.6.n.2. Dicis autem, certissimum esse promissiōnem fieri proxime & directe illi eidem, qui ex suo ferore dixerat, tu es filius Dei viui. Dicis duo. Primo personam, quæ Christo dixit, Tu es filius Dei viui, & cui Christus promisit suam potestatem Ecclesiasticam, fuisse vnam & eadem: secundo Petrum non nomine Ecclesiæ, sed ex suo personali ferore exclamasle, Tu es filius Dei viui. Ex his fit argumentum. Præmium eidem personæ tribui debet, in quâ meritum præcessit: meritum verò confessionis præcessit in Petro non personam Ecclesiæ agente, sed suam, de suaque personali deuotione non Ecclesiæ dicente tu es filius Dei viui. Igitur promissio remunerans deuotionem Petri, Petro in sua persona facta est propriè & directè, Ecclesiæ verò consecutiù & indirectè.

5. Dico quarto, in hac promissione, tibi dabo claves regni cælorum, Petrum verè & propriè exuere personâ suâ monstrum vel monstri simile est. Probatur ex tuis verbis l.i.c.7.n.1.& 2. *Si verba illa, inquis, tu es Petrus & super hanc Petram &c. vere & propriè & proximè Petro ipso à Christo dicta esse concessi &c. quanto libentius & promptius admittere debeo hanc promissionem eidemmet Petro verè, propriè & proximè fieri? siquidē dicitur expresse à Christo Petrum alloquente, tibi dabo claves. Valeant igitur & recedant quicunque vim huic literæ adhibentes, non Petro proximè, seo exclusa persona Petri toti Ecclesiæ claves dari aut promitti contendunt.* Deinde prolatis aliquot Patrum sententijs ex Sandero & Bellarmino sumptis concludis. *M o n s t r i igitur simile sit negare hoc loco Dominum cum ipsamet Petri persona loqui, eiique claves promittere; quas etiam ei infallibiliter concederit.*

Hæc

Hec tu. in quibus acriter damnas tuam expositionem, quæ Petrum verè & propriè exuit sua persona in promissione clauium , stellamque tuam polarem monstrum vocas. Nam, te fatente, *expositio, quæ dicit promissionem non fieri Petro verè, propriè, proximè monstri similis est.* Sed expositio , quæ Petrum in hac promissione sua persona verè & propriè exuit, facit promissionem Petro verè, propriè, proximè non fieri. Nam si Petrus in mente Christi promittentis , non est verè propriè & proxime Petrus sed Ecclesia Pastorum , quomo^ddo promissio Christi directa est verè , propriè , directè , proximè ad Petrum , non ad Ecclesiam Pastorum?

Secundo cum dicis *claves promissas esse Petro verè, propriè, proximè*, alio autem loco n.26. Petrum consecutiū & indirecte accepisse sibi claves, immediatè autem & proximè, omnes Ecclesia Praesules accipisse, apertissimè tibi contradicis. Nam claves hoc loco accipere non est aliud , quam promissionem efficacem clauium accipere, non ipsas claves, vt tu dicis l.l.c.7. n.14. *sed promissionem clauium Petrus non consecutiuè & indirecte accipit sed Petrus cui, te fatente, propriè & proximè, non Praesulibus promissio facta est.* Igitur apertissimè tibi contradicis , cum alibi dicis Petrum indirecte , Praesules immediatè claves, id est, *promissionem clauium accepisse, cum Christus dixit Petro, Tibi dabo claves.* Nec minus aperte tibi contrarius es cum dicis vno loco n. 26. Petru in sua singularitate, in sua persona claves non accepisse; alio vero loco n.15. *promissionem Petro singulariter factā, & in Petro verificatam.* & n.33. *Christum soli Petro loqui, eique vnu claves coram alijs dare, huc usque & ipse consentio.* Ita tu. Sed tibi ipsi nō cōsentis; nam Petrum in sua personā, in sua singularitate promissionem clauium non accepisse: & tamen Petrum solum vnum, singulariter personaliter, in sua specialitate clauium promissionem accepisse,

80 MONARCHIAE ECCLESIASTICÆ,
non video, quî consentiant: imo video vix te potuisse
magis in terminis tecum ipse pugnare.

6. Dico quinto in hac exhibitione potestatis, *Pasce oves meas*, Petro singulariter factâ, Petrum exuere suâ personâ cum textu Euangeli pugnat. Ita tul. i c. 8. n. 1. & 2. *Constituo, inquis, tanquam C E R T I S S I M U M, Christum cum ipsem et Petro loqui singulariter, & ei personaliter dici, pasce oves meas.* Probas hoc quinque argumentis. Primò quia verba Christi *Simon Ioannus* indiuiduū Petri notant. Secundò quia quod Petro promittitur per verba, *Tibi dabo claves exhiberi videtur per verba pasce oves meas.* Tertiò quia cui dicitur *diligis me plus his*, ei dicitur *pasce oves meas.* Quartò trina interrogatio Christi respondet trinæ negationi Petri, quæ fuit Petri personalis. Quintò quia contristatio Petri satis indicat, hæc verba ad ipsum pertinere. *Ha coniectura, inquis, conuincunt omnino Christum cum solo Petro loqui, eique soli tum dicere, Pasce oves meas.* Ex his etiam duo infero. Primum est, stellam tuam polarim, seu sententiam Augustini à te male intellectam polo Euangelicæ veritatis ex diametro opponi. Hoc probo ex tuis verbis, nam dicas textū Euangeli *conuincere verba pasce oves meas ad solum Petrum esse dicta: tua vero stella polaris planè contrarium dicit, non ad solum Petrum sed ad omnes Apostolos esse dicta.* Sic enim stellam hanc tuam intuens l. i. c. 8. n. 7. loqueris. *Quid plura? ipsamet Christi verba pasce oves meas ex Christi intentione docet Augustinus ad OMNES Apostolos & non ad solum Petrum dicta esse.* Quam directè & in terminis stella tua polaris Euangilio opponitur! Ille vult Christū ad omnes Apostolos directè & ex intentione dixisse, *Pasce oves meas:* hoc autem prorsus ostendit, *soli Petro directè & proximè verba illa dicta esse.* Quod verum est, nec contrarium dixit August. Nam quamuis dicat cum Petro dicitur, ad omnes dicitur *pasce oves meas;* non tamē dicit ex

Cit ex Christi intentione directè dictum esse omnibus, *Pasce oves meas*, sed per accommodationem, quia ad omnes prorsus Christianos accommodari potest dictum hoc, cū singuli debeant pro modulo suo Christi oves pascere, ut infra explicabimus. Infero secundo, soli Petro præ cæteris Apostolis pastoratum tribus in sua persona. Probatur ex tui verbis. Cui dicitur *diligis me plus his*, ei dicitur *pasce oves meas*, ei exhibentur claves id est ut tu exponis *integra potestas gubernativa*, sed Petro in propria persona dicitur *diligis me plus his*; neq; enim diligere plus cæteris omnibus poterat omnibus esse commune. Igitur Petrus pastoralē curam, quam dicis esse claves seu potestatē integrā gubernationis regni Christi in sua persona singulariter præ cæteris accepit, hoc est, Monarcha fuit.

ARTICVLVS II.

Quo sensu dicatur Petrus vel dici possit Ecclesia persona & figura?

OSTENDIMVS non ex ui verè & propriè persona propriâ in promissis & datis Euangelicis: explicandum nunc est, quo sensu dicatur figura & persona Ecclesiæ. Ut autem res tota clarè & perspicuè declaretur Notandum est vnam personam posse alteram personam vel communitatem repræsentare duplíciter, iuridicè & similitudinariè. Vna persona alteram repræsentat iuridicè, quando secundum extimationem iuris pro alterâ habetur, & quod illa dicit, facit aut patitur, altera dicere, facere, aut pati cœsetur. Hoc contingit ex duplice iure: primum iure subordinato & à speciali volūtate personæ repræsentatè dependente, quomodo legatus repræsentat Regē, & procurator Répub. cuius procurator est. Secúndo iure absoluto & à speciali volūtate personæ repræsentatè indepen-
dente, quomodo Rex repræsentat subditos, & pater filios

impuberis. Similitudinaria repræsentatio est ratione similitudinis, quæ est inter vnam & alteram personam, quæ triplex est. Prima est exemplaris, quando actio vnius eiusdemque generis existit in pluribus personis, sed in vna ex illis prius tempore & insigniter, in reliquis posterius & minus eximiè. Hoc modo Iudas figura est & exemplar Apostatarum omnium, qui deficiunt ab Ecclesia, & eam inimicis prodere conantur, quia Iudas primus fuit in gente Christianâ, tam immani scelere notabilis. Secunda est ficta, quando actio in personâ repræsentante & repræsentata est eiusdem generis, si species speciem externam; internè verò eadem non est, quia eam persona repræsentans non ex animo, sed ludicre exprimit: huiusmodi personæ & representationes exhiberi in theatris solent. Tertia est mystica seu allegorica, quando actio personæ repræsentantis est alterius generis ab actione personæ repræsentatæ, sed tamen habet analogam & proportionalem similitudinem cum illa, ratione cuius, ex mente Spiritus sancti eleuatur ad eam repræsentandam: representationes huius generis sunt propriè in Testamento Veteri, ut Isaac ab Abraham immolandus & alligatus ad struem lignorum; Christum significat à Patre morti crucis traditum. In novo etiam Testamento huiusmodi mysticæ & allegoricæ representationes (sed non ita frequentes) inueniuntur & à Patribus explicantur. Hoc modo enim Petrus tardius veniens ad monumentum, quam Iohannes, tamen prior ingrediens, repræsentabat Ecclesiam gentium, quæ ad Christum posterior venit, quæ synagoga, sed in mysteria mortis & resurrectionis prior intravit, vt explicat Gregor. hom. 31. de tempore. His positis suppono vt certum, te non dicturum Petrum fuisse personam Ecclesiæ, quæ eam fictè & theatricè repræsentaret: de reliquis vero generibus representationis dicendum.

Dico

Dico primò, Petrus claves recipiens non fuit figura mystica seu allegorica Pastorum omnium Ecclesiæ. Ratio est, quia in repræsentatione mystica seu allegoricâ, actio repræsentans mysticè & allegoricè debet esse diuersi generis ab actione repræsentata: nam inter actiones quatenus sunt eiusdem generis, non est repræsentatio mystica, sed exemplaris: verbi gratia, Petrus, piscans in mari & concludens multitudinem copiosam, ita ut rumperetur rete, repræsentat, tam mysticè, quam exemplariter; mysticè se ipsum, quatenus cum socijs Apostolis prædicatione suâ gentes vniuersas in rete Ecclesiæ conclusurus erat, quia pescatio repræsentans diuersi generis est à pescatione repræsentata; illa corporalis, materialis, abiecta; hæc spiritualis, diuina, nobilissima: at verò exemplariter repræsentat pios Christianos pescatores, qui eandem Petri artem post Petrum exercent, in quo velut in speculo discant eam artem licet exerceri à Christiano posse. Iam Petrus accipiens claves à Christo non est, quatenus claves accipit, diuersi generis à reliquis Pastoribus, qui eum secuti sunt: nec Petri acceptio fuit corporalis & materialis, reliquorum vero quos repræsentat spiritualis & formalis; sed claves spirituales, claves regni cœlorum, potestatē Ecclesiæ gubernatiuam, non minus quam Pastores, qui post eum fuisse, vere & spiritualiter accepit. Igitur Petrus claves accipiens, repræsentauit Pastores Ecclesiæ non mysticè & allegoricè, tanquam materialis clauiger spirituales, sed exemplariter & in eodem genere, tanquam primus & princeps clauigerorum regni Christi, & tanquam prototypon potestatis & iurisdictionis Ecclesiasticæ.

Dico secundo, si Petrus accipiens claves regni cœlorum esset figura mystica & allegorica omnium Ecclesiæ Pastorum, hoc tamen non impediret, imo ne-

cessario inferret Petrum claves regni cælorū in propria persona singulariter accipere. Ratio est, quia repræsentatio allegorica & mystica fundatur in historia verā, & eam supponit; quia in mystico sensu actio verē & historicè peracta transfertur ex mente Spiritus sancti ad aliam significandam. Quomodo enim Petrus pīlans in mari mysticè repræsentasset seipsum prædicantē in mundo, si verē in propria persona pīcatus nō suisset in mari? Qui posset Abrahā per duos filios suos significare Deum habentē duos populos, nisi verē, formalissimeq; in propria persona duos filios habuisset, & eo nomine in Veteri Testamento, insignis & notabilis foret? Igitur si Petrus accipiens claves regni cœ orum mysticè repræsentet pastores, post ipsum claves regni cœlorum accepturos, Petrus verē in propria persona claves regni cœlorum accepit, & hac de causa præ cæteris Apostolis insignis in sacra scriptura esse debet: nec potest intelligi ut Petrus repræsentet Prælatos omnes, qui post eum claves accepturi sunt, nisi ipse quatenus eos repræsentat, verē, propriè, historicè in propria persona claves accipiat.

10. Hinc infero te nescientem de quibus affirmas aut negas, nec Theologiae quidē terminos intelligentem de Petro claves accipiente materialiter non formaliter disputare l. i. c. 7. n. 24. Neq; propterea, inquis, dixerim Petrum etiam litteraliter & historicè claves non accipisse, etiam quando eas vt figura & persona Ecclesiæ accepit: seu dico Augustini sensum esse quasi materialiter eas tum Petrum accepisse, non formaliter & verē, parabolice potius quam historicè. Hoc est enim in figura aliquid fieri, vt materialiter in uno fiat, & formaliter in alio à se diuerso verificetur. Materialiter enim (loquor cum Bellarmino). Abraham duos filios veros & reales habuit, sed tamen formaliter non habuit duos populos, quos illi duo filii significabant,

que

qui postea exorti sunt. Ita Petro materialiter promissio fit vni, dicamus etiam materialiter ei vni dantur, & eas ipse materialiter, in quantum fert metaphorā, accipit non formaliter; quia hæc promissio & exhibitio in Ecclesia verificatur, cuius figura erat Petrus. Et ne quis horrescat putans propterea Petrum priuari clavis formalibus, dicimus Petrum & claves formaliter habuisse duplice aliâ ratione, quam tamen non habuit in quantum figura Ecclesiæ. Hæc tu. quæ videamus an intelligas.

Primo dicis Petrum accepisse claves materialiter, II. sicut Abraham habuit duos filios veros & reales materialiter: Addis te cum Bellarmino loqui. Falleris, Antoni; nunquam enim disertissimus Cardinalis ita locutus est: verba eius hæc sunt loco, quem citas; *Abraham verè duos filios habens significabat Deum, qui duos populos habiturus erat: hæc clara, certissima, Bellarmiana sunt; illud vero, Abraham habuit duos filios reales materialiter, tuum est; id est apertè falsum.* Nam vt tu dicis, *In figura fit, quod in uno materialiter fit, & in alio à se diuerso formaliter verificatur.* Sed habere duos filios reales, nimirum Ismael & Isaac sic fiebat in Abrahamo, vt in ipso solo nec in alia persona diuersâ formaliter, i.e. verè & historicè verificaretur: nullus enim duos hos filios præter Abrahamum verè & historicè habuit. Igitur ineptè dicitur illicum materialiter duos filios non formaliter habuisse. Secundo cum dicis Petrum materialiter accepisse claves, vt Abraham duos filios; hoc dicto euertis quod cupis statuere, Petrum vti figura erat Ecclesiæ non accepisse claves verè & historicè. Nam contrarium ex tuo dicto sequi sic ostendo. Petrus vti figura Ecclesiæ materialiter claves accepit, eo modo quo Abraham vti figura Dei materialiter habuit duos filios. Sed Abraham, quatenus figura Dei, sic habuit materialiter duos illos filios vt tamen verè, historicè, propriè,

imo realissime eos in sua persona solus habuerit. Igitur Petrus, vti figura Ecclesiæ ita materialiter accepit claves, vt tamē vti figura Ecclesiæ claves sibi promissas in sua persona singulariter solus acceperit.

Tertio cum dicas sicut Abraham non habuit duos populos formaliter, sed materialiter, ita promissionem clauium Petro esse factam materialiter, non formaliter: nunquam, opinor, considerasti quod dicas: Abraham enim non habuit in persona propria duos populos, sed tantum umbras & figuras populorum, Petrus autem non umbram & figuram promissionis aut clauium, sed veram promissionem in propria persona accepit verarum clauium, clauium scilicet regni celorum. Quomodo igitur Petrus, vti figura, non aliter accepit promissionem clauium, quam Abraham duos populos?

13. Quartò quod dicas promissionem clauium factam esse Petro materialiter non formaliter, neque illud explicas, neque explicari potest. Nam promissio potest esse materialis quadrupliciter: ex parte rei promissæ, ex parte promissionis, ex parte eius cui fit promissio, & ex parte promittentis: hæc autem promissio facta Petro nullo ex his modis materialis est; Primo non ex parte rei promissæ, quia res promissa spirituialis est, claves regni celorum, regimen Ecclesiæ. Secundo non ex parte promissionis, quia verbis fit, & eo modo quo formalis promissio explicari solet. Tertio non ex parte personæ cui fit, quia hæc secundum proprietates individuales formalissimè exprimitur, Simon, Bariona, Petrus. Quarto nec ex parte promittentis, nā promissionem esse materialē ex parte promittentis contingere potest dupliciter. Primo defectu intelligentiæ, si promittēs nō intelligat sua verba, nec id se putet promittere, quod verba significant; sicut dicitur quis materialiter blasphemare non formaliter, cum

cum verba blasphemiae proferat , quæ non intelligit esse blasphemæ: sed hoc modo promissionem Christi materialem esse non formalem pugnat cum sapientia Christi. Secundo defectu intentionis , si promittens non int̄edat promittere, nec implere quod promittit, tūc materialis est promissio defectu fidei in promittente: sed hoc modo promissionem Christi Petro facta suisse materialiter nō formaliter pugnat cū veritate Christi. Quare quod promissio Christi materialiter non formaliter facta sit Petro, verba tua sunt, sed credo tuam mentem non habent , certè sanam mentem nullam habent.

Quinto cum dicis Petrum clauibus formalibus nō 14. suisse priuatum , quas tamen vti figura Ecclesiæ non accepit; insinuas distinctionem clavium in materiales & formales, & quod Petrus vti figura claves acceperit materiales, non formales. Quid autem per claves materiales intelligere possis non video, nisi claves ex aliquo metallo, quas Petrus vti figura Ecclesiæ accepit. Nam si nullas claves, vti figura Petrus accepit, qui potuit Ecclesia in Petro tanquam in figura claves accipere? claves autem formales, vti figuram tu dicas Petrum non accepisse, quid restat quam vt acceperit, vti figura, claves materiales ex aliquo metallo? quod mihi videtur ridiculum.

Sexto quod dicis Petrum literaliter & historicè 15. accepisse claves , quando vti figura Ecclesiæ accepit claves, sed non vt figura , sed vt unus Pastorum in seipso figuratus, non intelligis quid dicas. Nam Petrus vt figuratus in seipso non aliter accepit claves in seipso quam reliqui Pastores in ipso figurati. Sed reliqui Pastores, quando Petrus claves, vti eorum figura, accepit , non acceperunt claves in seipsis literaliter & historicè, sed tantum figuratiue & repræsentatiuè eo modo, quo Deus habuit duos populos in A-

brahamo non literaliter & historicè, sed tantum figuraliter & vmbriticè. Igitur Petrus, quando ut figura Ecclesiæ claves accepit historicè in sua persona eas non accepit: quis enim non videt implicare in terminis, Petrum claves accepisse historicè, quas non accipiebat, nisi ut figuratus? imo si Petrus, ut figura claves historicè non accepit, quomodo in historia Petri claves accipientis, tanquam in figura Pastores omnes, qui claves accipiunt, representabantur? Scribis, Antoni, nec tua verba expendis, miseretq; me tui, qui Catholicam Ecclesiam deseruisti, ut has blasphemias ineptias, & ineptas blasphemias euulgares.

ARTICULUS III.

An Petrus persona iuridica Ecclesie fuerit iure Monarchici Primatus.

¶ 5. **A**D hanc quæstionem respondetur Petrum tanquam Ecclesiæ monarcham seu primatrem suis personam iuridicam illius iure diuino. Hæc conclusio probatur tam tuis dictis, quam Augustini. Tres autem continent partes, Prima est Petrum iuridicè representasse Ecclesiam, & iuridicam illius personam sive. hoc tu affumas. l. i. c. 7. n. 23. **Petrus**, inquis, in sua priuata persona erat membrum Ecclesiæ & non caput. Idem vero, ut persona publica, in Augustino representat totam Ecclesiam, totumq; Ecclesia corpus, & ut sic censetur totum corpus sub capite Christo & iure corporis fit procurator. Hæc tu. Secunda pars conclusionis quod Petrus fuerit persona publica & procurator ecclesiæ, iure diuino & Christi institutione, probatur ex tuis verbis quæ ibidem habes. **Christus**, inquis, voluit Petru esse typum & figuram Ecclesiæ, & ita, quod Ecclesia donatus erat, Petro dedit, quem volebat Ecclesia locum tenere & eius personam figurata generalitate gestare. & n. 24. Petrus fuit

fuit persona totam Ecclesiam repræsentans ad hoc ab ipso met Christo assumptus. & n. 27. adhuc clarius; omnes Praesules Ecclesia claves acceperunt in Petro, tanquam in eorum generali procuratore ad hoc ab ipsomet Christo assumpto. His verbis affiras Petrum fuisse personam iuridicam Ecclesiæ voluntate & institutione Christi, Christi autem institutionē (vt verè est) dicis ius diuinum esse l.i.c.6.n.2. Igitur Petrus iure diuino & eminentiore, quam sit ius corporis Ecclesiastici habuit ut esset unicus & singularis repræsentator & procurator totius Ecclesiæ in omnibus negotijs pertinentib. ad claves. Nam l.i.c.8.n.3. In omnibus, inquis, seris Petrus gerit personam Ecclesia. per seria enim Ecclesiæ opinor intelligis negotia status & regiminis Ecclesiastici, in quibus omnibus persona publica & procurator Ecclesiæ Petrus & iure diuino.

Hinc sequitur tertia pars conclusionis, Petrum personam publicam & authoritatuum Ecclesiæ fuisse iure monarchico seu absoluto & independente ab ipsa Ecclesia. Ius enim diuinum superius Ecclesia est, eamque obligat: quod si solus ex Apostolis Petrus iure absoluto persona publica fuit ad omnia seria & negotia status & regiminis Ecclesiæ totius etiam Apostolorum tractanda, ad hoc munus autorizata iure diuino sequitur profecto fuisse Ecclesiæ Monarchā. Quid enim aliud Monarcha est?

Tandem sequitur, Ecclesiam non posse exercere 16. potestatem clavium, nisi in procuratore suo generali diuinitus illi dato, vel dependenter ab illo. Probatur quia non alio modo clavibus potest uti, quam quo illo Christus eas tribuit exercendas. Sed Christus non tribuit Ecclesiæ potestatem clavium immediatè, sed in Petro, quem constituit in clavibus illius Procuratorem generalem. Nam quod Ecclesia, inquis c. 7. n. 22. donatus erat, Petro dedit. & num. 27. Christus totam & inter-

integrā potestatē Ecclesiasticā seu clauis dedit Ecclesia in Petro, qui esset figura ipsius. Igitur tota & integra potestas Ecclesiastica immediate soli Petro tributa est, & per Petrum tanquam per caput, debet ad Ecclesiam peruenire, iure nimis ordinario: nec vlla iam est in Ecclesia potestas, quæ non à Petro per successorem eius deriuata sit, vt infra ostendam. Igitur ex tuis dictis constat euidenter Petrum Ecclesiæ personam fuisse iure diuino, ita vt fuerit à Christo institutus Ecclesiæ Monarcha.

17. Secundo hoc etiam probatur ex verbis Augustini, qui Petrum facit generalem totius Ecclesiæ personā ratione principatus Apostolici tract. vlt. in Ioan. *Cuius Ecclesia Petrus Apostolus gerebat figurata generalitate personam, propter Apostolatus sui primatum.* serm. 23. de verb. domini, *Petrus à Petra cognominatus, Beatus, Ecclesia figuram portans, Apostolatus Principatum tenens.* denique in psalm. 108. loco illo tuo mirabili Petri principatus elucet; *Cuius Ecclesia Petrus agnoscitur in figura gestasse personam, propter primatum quem habuit in discipulis:* Respondes te intelligere in verbis Augustini *primatum vocationis & aetatis Petri, non primatum potestatis.* Certè non tantum hoc intelligis, sed etiam dicis. Sed qui probas primatum vocationis & ætatis in Petro intellexisse Augustinum? Potuit quidem Augustinus tribuere Petro primatum vel ætatis vel vocationis, nec tamen negare principatum potestatis; non enim inter se pugnant; tamen, Antoni, tecum ero liberalis: proba Augustinum agnouisse Petrum vel seniorem ceteris Apostolis, vel prius vocatum, & triumpha. Si probare non hoc potes, si nullum locum Augustini afferre pro primatu ætatis & vocationis Petri, cur te victorem buccinas? cur iactas non posse Bellarminum *tela tua potentissima ex Augustino effugere*, cum ne telum quidem habeas, quod in ipsum

in ipsum torqueas? Duo vero argumenta adfero, quæ conuincunt te, dum primatum ætatis & vocationis Petri intelligis, in Augustino, non intelligere Augustinum. Primum est, quia primatum vocationis inter Apostolos Augustinus tribuit apertissime Philippo, nō Petro: non igitur de primatu vocationis intelligi potest; nec de primatu ætatis, quia loquitur de primatu, qui Petro competit ex gratia, non ex natura. *Petrus gratia unus idemq; primus Apostolus*, loquitur de Prima-
 tu Petri apud Christianos notissimo. *Quis beatissimum Petrum primum omnium Apostolorum esse nescit?* Sed Pe-
 trus si fuit senior cæteris ex natura non ex gratia se-
 nior fuit, neque hoc certum & notissimum est, nec de illo dicere debuit Augustin. quis illum primum
esse nescit, sed potius quis eum primum esse nouit?

Secundum argumentum. August. dicens Petrum suisse totius Ecclesiæ personam publicam & procuratorem, & hoc illi competuisse ratione primatus, assignat titulum Petri propter quem iure negotia ecclesiæ curare poterat; Sed primatus ætatis vel vocationis non est titulus sufficiens, ut quis possit legitimè & iuridicè tractare negotia omnia communitatis in qua senior & primus est, nec tenetur communitas illiusmodi tractationem ratam habere. Non igitur loquitur August. de primatu vocationis & ætatis in Petro, sed de primatu potestatis & iurisdictionis, qui sufficiens titulus erat, ut Petrus totam Eccleiam iuridicè repræsentaret. Vnum objicis quod responsonem meretur, non potuisse Augustinum loqui de Monarchico Petri primatu, quia loquitur de primatu, quem *Petrus habuit in discipulis, quando ei promittebantur claves.* Nam dicit Petrum personam gestas Ecclesiæ, quando Christus dixit ei *tibi dabo claves:* sed tunc non erat à Christo constitutus absolutus Monarcha Ecclesiæ, sed multo postea per *verba patrum meorum*, ut *Monar-*

Monarchici sentiunt. Igitur non loquitur de Petri Primatu Monarchico Augustinus. Respondeo Augustinum non dicere Petrum repræsentasse Ecclesiam propter Primatum, quem iam habebat, quando promittebantur ei claves : sed absolute propter primatum, quem habuit, seu propter primatum, quem habuisse Petrum apud Christianos notissimum est. Dicces; quomodo Petrus poterat Ecclesiam, tanquam Princeps & Monarcha repræsentare ; quando claves illi promittebantur, qui tunc necdum reuera Princeps & Monarcha erat? Respondeo Petrum repræsentasse totam Ecclesiam in illa actione non alteri, quam Christo, seu menti & cogitationibus Christi. Petrus autem Christo poterat tunc totam Ecclesiam , tanquam illius Monarcha repræsentare , quia Christo , seu in mente & cogitatione Christi erat decretus & constitutus Princeps Ecclesiæ. Christus igitur propter primatum totius Ecclesiæ, quem Petrus iam in mente ipsius habebat, in Petro totam Ecclesiam intuebatur; quodq; capiti Ecclesiæ à se iam mente constituto promisit & dedit, toti Ecclesiæ promisit & dedit.

ARTICVLVS IV.

*Ob quod mysterium Augustinus faciat Petrum, personam
& figuram totius Ecclesia.*

19. PETRVS ex speciali intentione Spiritus sancti persona exemplaris totius Ecclesiæ fuit quoad claves; vt in Petro tanquam in speculo disceret tota Ecclesia, quod claves, quod soluantur lapsi pœnitentes habent, & ijs vti licite possit: & hęc est propriissima mens Augustini. Probatur testimonio August. in Psalm. 108. Iudas corpus malorum significat, quomodo Petrus corpus bonorum, corpus Ecclesia; immo corpus Ecclesia sed in bo-

nis. Nam si in Petro non esset Ecclesiæ Sacramentum, non ei diceret Dominus tibi dabo claves, quæcunque solueris, &c. Si Petro tantum dictum est, non facit hoc Ecclesia. Si autem & in Ecclesia fit, quia cum reconciliatur ab Ecclesia, in cœlo soluitur excommunicatus, si hoc ergo in Ecclesia fit, Petrus quando claves accepit sanctam significauit Ecclesiam. Ex hoc loco sic arguo. Petrus quoad claves, ita repræsentat in sacra Scriptura corpus Ecclesiæ seu bonorum, qui Christo & Ecclesiæ adhærent, quomodo Iudas corpus malorum, corpus Apostatarum, qui deficiunt à Christo & Ecclesia. Sed Iudas neque fuit persona parabolica, neque persona iuridica malorum seu Apostatarum, sed tantum exemplaris, seu singulare & illustre Apostoliæ exemplum, & ideo quæ de Iuda dicuntur ad omnes malos præfertim Apostatas accommodari possunt. Igitur Petrus in clauibus, ex mente Augustini est figura exemplaris Ecclesiæ, & quando claves accepit significauit sanctam Ecclesiam habituram potestatem admittendi lapsos pœnitentes.

Ex his iam incipit elucere mysterium Augustini 284 propter quod explicandum dixerit Petrum gestasse personam Ecclesiæ, & contra quos hoc scribat; Hoc enim non sribit in Romanos Pontifices sed contra Donatistas, qui fuerunt Romanæ sedis infessissimi hostes. Quod vt probetur, tria notanda sunt. Primo Donatistas docuisse claves, quibus peccatores reconcilientur, nullas Ecclesiæ datas esse: Si quis in Ecclesia peccat statim reliquam Ecclesiam ab eo se separare necessario debere; ni faciat, contagione illius infici ac perire. Hoc eos sensisse si neges, tuo testimonio conuincam, qui l.2.c.3.n.49. Donatista, inquis, putabant Ecclesiam Catholicam errare siue impios & peccatores intra se detinendo, siue lapsos ad pœnitentiam recipiendo, ideoque se ab ea separabant.

Secundus

21. Secundo duplex esse genus absolutionis apud Augustinū, vnum authoritatiū, quod reperitur tantum in Ecclesiæ Principib⁹, estque iurisdictio Ecclesiastica, quā soluantur peccata vel in foro conscientiæ coram Deo per Sacramentum reconciliationis, vel in foro externo per relaxationem censurarum in facie Ecclesiæ. Alterum genus absolutionis est charitatium per charitatem scilicet Ecclesiæ, cuius potestas conuenit omnibus Christianis qui sunt membra Ecclesiæ & sancti, qui peccatores charitatiè absoluunt dupliciter, vel precibus veniam ipsis impenetrando; quomodo dicit August. *Baptizatos per accipitrem id est, hæreticum, recipere remissionem peccatorum per cibarium genitum columbae.* Vel gaudendo de corum reditu ad Ecclesiam, & cum ipsis in precibus & sacramentis libenter communicando. Donatistæ autem cum negabant Ecclesiæ claves, tam negabant authoritatiū, quam charitatiū; nimis non posse Ecclesiam peccatoribus ignoscere, neque cum pœnitentibus communionem habere.

22. Tertio Augustinus Donatistas confutat exemplo Petri, de quo dicit. Primo ei datas esse claves regni celorum, id est, potestatem absoluendi pœnitentes à quibuscumque peccatis, etiam grauissimis, eosque admittendi in regnum cœlorum, id est, in communionem Ecclesiæ, secundo Petrum cum dictum est ei *Tibi dabo claves regni cœlorum*, gestasle personā & figurā totius Ecclesiæ & omnium & singularū personarum illius. Hinc concludit omnes Ecclesiæ personas posse sine peccato imo debere in regnum cœlorum & suam Societatem pœnitentes lapsas admittere, singulas pro sua modulo potestatis. Quod hoc syllogismo concluditur ex mente Augustini. Quod Petrus facere potuit & debuit tanquam figura totius Ecclesiæ, id est, exemplar in quo personæ omnes Ecclesiæ tam-

1.3. de Bap-
tis. c. 18.

minis quam Principes discerent quid ipsis facientur
dum esset, vniuersa Ecclesia tam Principes quam sub-
diti possunt facere ac debent. Sed Petrus, tanquam fi-
gura Ecclesiae totius, id est, omnium in ea persona-
rum potuit ac debuit pænitentes lapsos absoluere, quia
datæ sunt ei claves regni cœlorum cum potestate li-
gandi quæcumque, id est, etiam gratissima peccata,
proculdubio non sine obligatione ea potestate uten-
di. Igitur vniuersa Ecclesia potest ac debet pænitentes
absoluere, singuli tamen accommodatè & secundum
potestatem quam habent Præsules authoritatiuè,
subditi charitatiuè, ut explicatum est. Hanc esse men-
tem Augustini clarissime apparebit, si quis expendat
eius verba. De agone Christiano, c. 30. *Nusquam, in-*
quit, tam vigere debent viscera misericordia, quam in Ca-
tholica Ecclesia, ut tanquam vera mater nec peccantibus fi-
lijs superbè insultet, nec difficile ignoscat. Nō enim sine causa
huius Ecclesiae Catholica personam inter omnes Apostolos
justinet Petrus: hinc enim claves regni cœlorum datæ sunt,
cum Petro datæ sunt, & cum ei dicitur ad omnes dicitur a-
mas mei pâscere oves meas. Debet ergo Ecclesia filijs corre-
ctis libenter ignoscere, cum ipsi Petro figuram eius gestanti,
cum Dominum ter negauisset veniam concessam esse videa-
mus. Hec Augustinus, qui claves Ecclesiae in amplissi-
ma significatione sumit pro facultate absoluendi tam
authoritatiuè, quam charitatiuè, sicut etiam sumic
curam pastoralem non propriè pro potestate regimi-
nis, quam Princeps pro bono subditorum exercet, sed
pro cura charitatiuè, quam quisque Christianus si
amat Christum, proximi sui gerere debet. Dicit au-
tem Ecclesiam in Petro accepisse claves, ut in ex-
emplari exemplariter; non autem historicè vel ut in
Procuratore seu persona iuridica. Quod ex eo patet;
quod dicat Augustinus Ecclesiam claves accepisse
pro Principibus suis, quando Petrus Princeps figuram

eius gestans claves accepit, eo modo quo veniam peccatorum pro pœnitentibus suis accepit, quando Petro pœnitenti figurā eius portanti, venia peccatorū concessa est. Sed Ecclesia, quando Petro pœnitenti figurā eius portanti venia peccatorū concessa est, non accepit veniam peccatorum pro pœnitētibus in Petro verē & historicē, nec aliter quā in exemplari, quo significatū est Ecclesiā pœnitentes peccatores posse & debere ad veniam admittere. Igitur quando Petrus figuram Ecclesiæ portans claves accepit, ipsa Ecclesia claves pro Principibus suis verē & historicē nō accepit, nec aliter quām in exemplari, quo significatum est qualem & quantam potestatem Principes eius exercere possent erga peccatores pœnitentes.

23. Deniq; vt sciatur quā perfectè Petrus fuerit Ecclesiæ figura, & quā doctè ex hac figura Donatistas impugnet Augusti. sciendū est, quod sicut in Ecclesia cōtinentur tria genera personarū: Pr̄fules, qui eā regunt; iusti qui Christū amāt; peccatores, qui veniā sperant: ita Petrus propter tria intignis supra cæteros Apostolos est in Euāgeliō, propter quæ totā Ecclesiā exéclariter, quod ad hēc tria genera personarū repräsentat. Fuit n. Petr⁹ insignis primò propter Primatū potestatis singulariter præ ceteris illi promissū exhibitu; qua ratione fuit perfectissimū exéclar Pr̄fulū Ecclesiæ & potestatis, quā post ipsū habituri erāt: secundò propter singularē amorē in Christū, quē & ipse Christo exhibuit, & ab eo Christus exegit; hac ratione fuit perfectissimū exemplar Sanctorū Ecclesiæ & charitatis, qua flagrare erga Christū debēt: tertio propter grauissimū lapsū, amarā pœnitentiā & veniā felicissimè obtentā; hac ratione perfectissimū fuit peccatorū Ecclesiæ exéclar, & veniē quæ tribui ipsis pœnitētib. potest. Ex his trib. modis, quibus Petrus fuit Ecclesiæ figura ducit Augustinus argumenta contra Donatistas, qui lapsos admittendos nega-

negabant. Ex Petro figura exēplari Principū Ecclesiæ claves accipiēte, quib. peccatores soluat, probat Ecclesiā in Principibus suis potestatē habere, quâ lapsos pēnitētes authoritatiuē absoluat. Ex Petro figura iustorū Christum amantium, qui tamen pœnitentes in regnū cœlorū suis clauibus admittebat concludit iustos qui Christum amant debere peccantibus, quando eos pœnitent libéter ignoscere, & in suā societatē admirtere, nec esse piū zelum sed superbū fastum Donatistarū qui cū pœnitentib. cōmunicarē dēsignabātur. Deniq; ex Petro figura pœnitentium, qui post grauiissimū lapsū veniā felicissimā lachrymis obtinuit, infert peccatoribus, quāuis magna sclera cōmiserint, si tamen eos pœniteat veniā dandā esse. Itaq; cū ex Petro Ecclesiā representante Donatistas Augustinus vbiq; sic impugnet, certè mentem Augustini nunquam intellexisti, quem singis hæc tela potentissima in Romanos Pontifices torquere.

ARTICVLVS V.

*Quæfuerit augustinī sententia de petri Romaniq;
Pontificis Primatu.*

EX dictis satis superq; appareat quā vanè Augusti- 24.
nū singas Primatus Ecclesiastici impugnatorē,
& quod eum in Petro velut in fonte voluerit
extinguere: omnia enim quæ dicis hac de re, ita sunt
ab omni specie veri aliena, vt in omnib. mendax per
tua verba reuincaris. Quatuor dicis de Augustino:
Primū est, vidisse suo tépore sapiētissimū Augustinū
Romanos Pótifices sibi nimiū arrogare; nec me late
quid insinues, nimirum quod l. 4.c. 8.n. 34. scribis de
controuersia quæ fuit inter Africanos Patres, in qui
bus Augustinus, & Romanos Pontifices Zozimū, Bon
ifacium, Cælestinum, eo quod Appellationes Pres
byterorū Africæ admitterent. Hos autē tu Pontifices
H 2 fraudu-

faudulentiæ & ambitionis accusas, sed tuo more falsò
& inconstanter, vt in præambula Detectione Hypo-
crisis tuę satis ostēdi. Augustinus verò adeo hos Pón-
tifices arrogantia non fugillat, vt ad vnum ex illis ita

Cōtra duas epist. Pelag. scribat: *Non dedignaris, qui non alta sapis, quamvis altius
Li. initio.* p̄fideas amicus esse humilium. Hæc Augustinus. A te

peto, Antoni, an loquatur ex animo, an aduletur?
si loquatur ex animo, si quod dicit verè sentit, quī ve-
rū est quod dicis eum vidisse Romanos Pontifices sibi
nimium arrogare, quorum summam laudat modestiā
in summo fastigio dignitatis? si aduletur & Romanam
superbiā, quam p̄cuidēbat fore Ecclesię perniciosam
suis assertionibus augeat, *quomodo sapientissimus?* quo-
modo morbo antidotum p̄cuidit? *quomodo Ecclesiam*
(quod ait) *lepidissimè irrigauit.* Nimirū quod dicis Au-
gustinum vidisse, non illius sed tui capit is, fortassis le-
pidissime irrigati visio fuit.

25. Secundo dicis, Augustinum vidisse ex promissis &
datis Euangelicis soli Petro factis, si Petrus in illis suę
personę relinquatur, potuisse Romanos Pótifices am-
plitudinis suę ansam arripere. Hoc licet verum sit, ta-
mē pugnat cum eo quod habes l.r.c.6.n.46. vbi post-
quam concessisses Petrum in promissis & datis Eu-
angelicis in sua persona relinqu : tamen scribis nul-
lum extare in toto Euangeliō locum ex quo possint
Romani Pontifices vel vmbram quidem minimam
ostendere; vnde vel à longè colligere possumus Petru-
m solum vniuersalē totius Ecclesiæ Pastorem, vel
primatiam curā totius Ecclesiæ fuisse illi demandatam. Hæc
tū. quæro à te cum vedit Augustinus Petro in promis-
sis Euangelicis suę personę relicto Monarchiam sta-
biliri posse, vel vedit quod in Euangeliō est, vel quod
in Euangeliō non est? si vedit quod non est; delusus
fuit; nec sapientissimus, sed mulierculis timidior fuit,
qui Primatū monarchicum ibi timuit vbi ne mi-
nima

nima quidem vmbra illius erat : si vidit quod reuera est; igitur si Petrus suæ personæ relinquatur in datis & promissis Euangelicis vni factis, ex illis concluditur fuisse vniuersalis Monarcha Ecclesiæ. Quomodo ergo tu verum vides, qui satis libenter concedis Petri ipsam personam singulariter statui fundamentū Ecclesiæ, nec tamen in officio fundamenti Petro commisso vel minimam vmbram Monarchiæ vides?

Tertio dicis Augustin. protestationem fecisse toti 26.¹ Ecclesiæ, nihil illustre debere intelligi in persona Petri, quicquid ei dicatur, quicquid promittatur à Christo. Quo dicto Augustinum Protestantem tui similem fingis, qui Christo Primatum Petri afferenti credere non vis, quicquid dicat. Claves regni cœlorum se traditurum Petro promittit, singularem Petri personam quām apertissime. Secundum omnes proprietates personales, Simonem, Bar-iona, Petrum, describit : quia tamen quid illustre promittitur nimirū regimen totius Ecclesiæ, quicquid dicat Christus, Petri personam singularem non vis intelligere. An reliqui Protestantes omnes eiusdem tecum impiæ mētis sint, nescio: hoc scio, vix vlos esse, qui ita turpiter impietatem suam proferant & protestentur. Quod attinet ad Augustinum, quod nunquā istiusmodi protestationē fecerit ex tuis dictis conuincam. l.i.c.6.n.18. ita scribis. *Exclusio personæ Petri, dum fides eius ponitur petra Ecclesiæ semper plurimū placuit Augustino, quia edificatio Ecclesia super quandam Petram est res maximè illustris.* Hic dicas officiū Petræ Ecclesiæ esse maximè illustre, atq; adeo, si Petro conueniat in personâ suâ, res maximè illustris conueniet Petro in persona sua. At ib.nu.25. cū attulisses duas expositiones loci Euangelici. Tu es Petrus &c. alterā quę Petru excludit ne sit Petra; alteram quę Petru ipsum Petrā facit: libenter (inquis) assentior Augustino qui vtramq; expositionē probabile putat, liberūq;

esse cuiq; quam voluerit amplecti opinionem. Ex his sic arguo. Expositio huius loci Euangelici, *Tu es Petrus, &c.* quæ ædificat Ecclesiæ super ipsâ Petri personâ, officiū maximè illustre & singulare tribuit Petro in personâ suâ. Sed cōtra hâc expositionē Augustin⁹ nō protestatur, sed dicit probabilē esse, & Lectori Christiano eligendam relinquit. quid igitur protestatio illa Augustini toti Ecclesiæ facta quod in datis & pollicitis Petro factis nihil illustre debeat intelligi persona Petri quicquid illi dicat Christus? somnium tuum est.

27. Quarto dicis Augustinum totam Ecclesiæ monuisse ne verum Petri Primatum vlo vnquā tempore agnoscerent. Pergis tua somnia narrare. Nā, si non somnias, cedo locum Augustini vbi solempne hoc monitū toti Ecclesiæ dederit. Si necdū inuenisti, euolue diligēti⁹ Augustinū inuenies ad Calēdas Gr̄cas. Interim perpēde quid scribat l.2. de bapt. c. 2. vbi verū Petri primatu clarissime asserit. Nam dicit posse Cyprianū, quoad Martyriū cū Petro conferri, tamē verendū esse *ne quis in Petru contumeliosus sit*, si quoad regimē Ecclesiæ Cypriano conferatur. *quis enim, inquit, nescit Apostolatus Principatum, cui libet Episcopatui preferendum: sed et si distat cathedrarum gratia, una tamen est Martyrū gloria.* Hoc fuit monitum sapiētissimi Augustini à cuius mente & modestia, quam tu toto cœlo dissideas, satis apparet ex eo quod illi in terminis oppositū scribas, l.2.c.12.n.78. vbi sic Episcopos omnes alloqueris : *Præfules venerandi, successores estis plenissimi sanctorū Apostolorū, Quęq; V E S T R V M tātā in Ecclesia ordinariā potestatē, quantam habuit quicunq; & iam s v m m v s Apostolorum.* Vides sapientiā Augustini cum tua insipiētia quam è diametro pugnet? docet Augustinus, nullū Episcopū, quantus quātus dignitate sit posse cū summo Apostolorū, quoad regimen Ecclesiæ conferri: tu quemuis in Ecclesia Episcopū etiā Segniensem non modo cū sūmo Apo-

mo Apostolorū confers, sed etiā illi plenissimè equas. Et tamen alicubi cū vocasset Petrū Augustinus primū Apostolū, primū Ecclesiæ mēbrum; clamas, *cur altius non ascēdis Augustine?* Nō est necesse, Antoni, Au- l.i.c.n.n. gustinum altius adscendere, quam vt Petri cathedrā super omnes totius Ecclesiæ Episcopos statuat. Tu descendas oportet ex turri phantasticæ paritatis cum Petro, vbi te tua superbia posuit, & cū August. diuinę in Petro institutioni te subdas. Non facies; prius in fa- ciem Augustino resistes; prius tecum ipse pugnabis.

Nam l.i.c.10.n.21.respondēs ad modo adductum 28. testimonium Augustini, duas adhibes solutiones, in quarū vna cum Augustino, in alterā tecū ipse pugnas. Prima est Augustinū cathedrā Petri non præferre ca- thedræ Cypriani. *Obseruo (inquis) non cathedralm Petri sed Apostolatus Principatum hoc loco præferri cathedralm Cy- priani, præsertim si quis Romanam intelligat.* Ita tu: quid verò Augustinus! Distat, inquit, Petri & Cypriani cathedrarū gratia. id est, vna eminet, altera subest: nō subest cathedra Petri: igitur subest cathedra Cypriani cathedræ Petri. At inquis, saltem cathedra Petri quā præfert nō est Romana. Nimirū nolles esse Romanā vult tamen sapientissimus Augustinus, qui cathedrā Petri & Apostolatus Principatū quē cūctis Episcopa- tibus præfert, Romæ collocat. *In Romana Ecclesia, in Aug. epist. 162.* quit, semper Apostolica cathedral viguit principatus. cuius Apostoli Apostolatus? cuius cathedra? certè summi. certè Petri. *Numerate Sacerdotes ab ipsa sede Petri: hac Psalmo, in petra, quam nō vincunt superba inferiorum porta.* Secunda partem Do- solutio in qua tecū ipse pugnas est Apostolatus prin- nati. cipatū merito cunctis episcopatibus præferri. *Aposto- latus, inquis, Petri principatus excedit potestate cathedralm Cypriani, vel cuiusvis particularis Episcopi, quia Episcopi iā non possunt, nisi in certis & limitatis dioecesis suis potestate exercere: Apostoli vero poterat in toto mundo.* Hęc tu.

At l. 2 c. 5. n. 26. dicis potestatem cuiusvis Episcopi nunc non minus, quam erat Apostolorum, vniuersalem esse; & Apostolorum fuisse non minus, quam nunc sit Episcopi, restrictam. Potestatem, inquis, in toto orbe terrarum, sicut Apostoli non habebant, nisi habitu; actu vero non nisi ubi inter eos conuenierat, & eos Spiritus Sanctus ponebat; ita Episcopi habent habitu eandem potestatem vniuersalem iure diuino eo ipso quod sunt facti ritè Episcopi; actu vero non sunt Episcopi, nisi sua particulari Ecclesie, ubi eos Spiritus sanctus posuit, & detinet per missionem suam. Namq; & iurisdictio in habitu est vniuersalis iure diuino in unoquoq; Episcopo, actu vero non est nisi particularis sicut erat in Apostolo. Hæc tu, apertissimè euertens, quod prius dixeras, Apostolos maiorem potestatem habuisse, quam nunc habeant Episcopi, Imo de Cypriano, quem modo dixeras non potuisse potestatem exercere nisi in certa diocesi, l. 2. c. 7. n. 6. dicu habuisse potestatem in Ecclesiam vniuersalem, & eam exercuisse: nec soli Africe præsedisse, sed & Orienti, & Meridiei & Septentrioni. Hæc si vera sint, habuitne Petrus magis ecumenicam, quam Cyprianus authoritatem? nullo modo. Ita tu perpetuo tecum ipse pugnas.

Ferocia Antonij circa Augustinum.

29. **D**ENIQUE ut omnia, quæ habes ex Augustino, hoc capite absoluam; illud obseruo, te in Patribus aduersus Petri primatū asserendis præter modum vehementem esse ut nos quos ratione conuincere non potes saltem ferocia affirmationis tuæ terreas. Cuius ferociae tua tria subijciam exempla ex uno Augustino,

tract. 19. in Ioann. Primum exemplum, l. i. c. ii. num. 30. citas hoc dictum Augustini. Si attendas, Christum in Petro inuenies discipuli præceptorem. Hæc nec plura citas ex Augustino & statim subdis; *Hic iam de Augustino dico, quod de Chry-*

Chrysostomo dixi : hoc est si Petri summum principatum agnouit , per summum odium & inuidiam in Petri principatum ista scripsisse ; quod dictu impium & penè blasphemum est . Quanta ferocia ! qualem ob causam ? quid in his verbis Augustini mali contra Petri primatum continetur ? Petrum, vocat Christi discipulum . nihil verius. at ubinam (inquis) relatio vicarij & capit is loco Christi ? hoc loco haec Petri dignitatem non asserit ; nihil tamen illi contrarium dicit . Non enim inter se pugnant discipulus Christi, & Princeps Ecclesiae loco Christi . Imò (inquis) vel non nouit hunc Petri principatum vel per summam inuidiam tacuit : adde vel ego per summam insipientiam hæc scribo , & verum dices . Nihil enim hoc genere argumenti per se magis ineptum ; nihil consequentia magis impium est , quod hoc exemplo tibi ob oculos pono . Matthæus Euangeliū suū ita orditū : *Liber generationis Iesu Christi filij David.* Si quis Arianus hinc ita disputet : vbi dignitas consubstantialis Patri ? vbi relatio filij veri ad Deum ? dico Matthæum Christi diuinitatem vel non agnouisse , vel per summum odium in Christum illam hoc loco tacuisse . Nonne , Antoni , Arrianum qui ita ferociter & inepte disputaret pene amorem putares ? Enim uero magis tua , si non impia , tamen inepta ferocia est , qui Augustinum arguis non agnouisse principatum Petri , quia eum dixit discipulum Christi . Quia multo magis videntur inter se pugnare filius David & filius Dei , quam discipulus Christi & Vicarius Christi : Inter hæc enim nulla ne quidem apprens repugnantia est .

Secundum exemplum . l . i . c . 9 . n . 26 . citas August . 30 . qui dicit Paulum ascendisse Hierosolymam ad Petrum , non ut disceret Euangeliū ; sed ut fraternalm charitatem corporali visione cumularet . Nihil hic video , quod Petri primatum laedat . Petrus & Paulus quam-

uis superior & subditus; quia tamen uterque Apostolus fratres & collegae erant. Paulum non necessitas adegerat, non Petri praeceptum euocauerat, sola charitas mouerat, ut Hierosolymam Petrum visurus afferret. Quae Pauli ad Petrum peregrinatio, si Petri primatum non afferit, multo minus certe impugnat. Quid hic te vexas? Aut nullum, inquis, Augustinus agnoscit in Petro Ecclesia primatum, aut (quod absit a mente Christiana) erga Petrum malignus & inuidus ipsius ubi minime debuit ibi maximè retinuit principatum. Hæc tu truculentus & ferox, sed incautus etiam & ineptus. Dicis Augustinum, si quem in Petro agnouit Ecclesiæ primatum, fuisse inuidum & malignum. Subsumo. sed certo certius est Augustinum aliquem Petri primatum agnouisse; Nam te concedente agnouit personalem, typicum, mysticum, comparatiuum: quid igitur sequitur ex hac tua disiunctiua, vel nullum agnouit vel inuidus fuit? sequitur te maiore stomacho contra Petri primatum, quam ingenio scribere.

31. Hoc etiam magis adhuc apparet in Tertio exemplo. Catholici pro Petri primatu testimonium adferunt ex August. serm. 122. de tempore. *Christus totius corporis morbum in ipso capite sanat Ecclesiæ*, nimirum in Petro. tu l.i.c.10. nu. 16. respondes sermonem illum non esse Augustini. *Augustinus enim*, inquis nisi morbidum & sanandum caput ipse haberet, nunquam verticem & caput Ecclesiæ Petrum diceret, qui nihil illustre agnoscit in Petro nisi ubi sit figura Ecclesiæ. Ita tu: temerè, & audacter de capite Augustini sententiam dicis, quâ caput causæ tuæ confringis. Nam si nullus potest vocare Petrum caput Ecclesiæ nisi vel morbidum caput habeat, vel quid illustre in Petri persona propria agnoscatur, quale noluit agnosceret Augustinus, quid reliqui Patres qui Petrum caput Ecclesiæ vocare solent? te fatente l.i.c.10.n. 14. ne mireris, inquis, Chrysostomum

mum Petrum vocare Pastorem, & caput Ecclesiæ: quia enim Petrus primus Apostolorum erat solet à Sanctis caput Ecclesiæ appellari. Igitur, cum Patres Petrum caput Ecclesiæ vocare solent, vel sana capita non habent, vel in Petro quid illustre agnoscunt, quale noluit agnoscere Augustinus. Si sana capita non habent, quomodo tu sanus, qui vocas eos *sanc̄tos*, & l. i. c. 7.n.17. *limpidissimos fontes sana doctrina?* si quid agnoscunt in Petro illustre, quale noluit agnoscere Augustinus, id est, non tantum illustre personale, quale in Petro ipse etiam Augustinus libenter agnouit, sed etiam illustre potestatiuum & Monarchicum: quomodo tu sanum caput habeas, qui l.i.c.10.n.33. dicas Petri verum primatum per mille à Christo annos nulli Sanctorum vel venisse quidem in mentem? Antoni, si sanum caput habes, depone ferociam, redi ad mentem; & fate-re expositionem tuam de Petro per Augustinum suā personā exuto, quæ te in scopulos tot ineptiarum & contradictionum duxit, non stellam polarem sed ignem fatuum esse.

CAPVT QVINTVM.

Patres, præsertim vero Cyprianus, cum dicit vni Petro traditas esse claves, ob mysterium unitatis Ecclesiæ intel-ligunt eum fieri Ecclesiæ

Monarcham.

CV promissa & data Euangelica regimen totius ^{i.} Ecclesiæ amplissimum Petro polliceantur & conferant, cumque singulariter in singularem Petri personam conueniant, ut iam probatum est; nihil certius nihil euidentius inferri potest, quam fuisse Petrum à Christo constitutum totius Ecclesiæ Monarcham. Nam si Christus totius Ecclesiæ regimen vni Petro in propria persona corā cæteris præsentibus promisit singulariter, & exhibuit, quæ consequentia vel in-telli-

telligenti clarior, vel certior Christiano esse potest, quām hæc? Ergo Petrus Christi institutione singularis inter Apostolos Rector totius Ecclesiæ fuit. Hanc tamen consequentiam tu ferre non potes, & ne ea tenearis in omnem partem reuersas: In primis l.i.c. 7. n.17. *vocas leuissimam potius quam leuem conjecturam, leuissimum argumentum, nec solidi Theologi, qui facile posset à quocunq[ue], qui vel minimum iudicio polleat conuinci: sed hæc non nisi verba sunt.*

Secundò ad sensum mysticū confugis, dum Christi actionē, qua Petro singulariter in propriâ personâ regimen Ecclesiæ contulit mirabilem dicis & plenam mysterij, nec illius rationem obuiam vel facilem cuius esse. Tuum verè quod nobis traditurus es mystrium laudas, quod haustum illud habeas, *non ex riuis, qui ut plurimum impuri fluunt, sed ex antiquis patribus, sana doctrina & expositionis scriptura, fontibus qui limpidissimè fluentes ipsam Ecclesiam lepidissimè irrigarunt. Neq[ue] enim (inquis) sunt nunc primum tam insignis Christi actionis vana & argutula interpretationes excogitande; quasi vero tam diu Ecclesia Catholica caruerit verâ illius loci Euangelici notitiâ, vt non nisi post mille annos & ultra in illis Christi verbis; Tu es Petrus & super banc Petram, &c. & Tibi dabo claves &c. Petri Monarchicum primatum agnouerit. Hæc tu: sed non credis, Antoni, quod scribis, sat scio. mens à verbis dissentit; non quia mentiri vis; sed nescio quo liquore lepido fortassis, certè non limpido irrigatus, dicis prorsus oppositum eius, quod dicere te putas. Nam dicere te putas Ecclesiam Catholicam primatum Petri Monarchicum non nisi post mille à Christo annos agnouisse: putas te inferre Primatum non esse legitimum sensum verborum Euangelij, quæ singulariter Petro dicuntur, cum verum sensum illorum Ecclesiam tam diu ignorasse credibile non sit. An non, Antoni, hæc dicere volébas,*
& ver-

& verbis, quæ citauit dicere te credis? prorsus credis: tamen verba tua planè contrarium assumunt, & penitus oppositum inferunt. Si nequum aduertis, iterum repetam: somnum discute; quid scribas, attende; an tibi tantæ causæ indormienti faces admouenda sunt? Quasi verò, inquis, Ecclesia Catholica tam diu caruerit verâ illius loci Euangelici, Tu es Petrus & Tibi dabo claves, notitia, ut non nisi post mille annos in illis Christi verbis Monarchicum Petri primatum agnouerit. Quam clarè Monarchiæ Petro concessæ per mille annos ignorationem ab Ecclesia Catholica cum (quasi vero) tanquam illius sapientia indignam reijcis! nec minus perspicuè asseris Ecclesiam Catholicam, quamdiu ignorauit Petri Monarchiam, tam diu verâ loci Euangelij Tu es Petrus & tibi dabo claves, notitia caruisse. Vnde concluditur Petri primatum Monarchicum esse legitimum Euangelij sensum; mysticum verò, quem tu fingis, primatum, vanam & artigulam interpretationem. Nihil dicere verius poteras; nihil tamen minus dicere putaras: neque confessionem hanc tuæ erga veritatem bepeuolentia, sed crassæ tuæ Mineruæ, si non potius puriori Baccho debemus.

QVINTVM ANTONI FUNDAMENTVM.

Primatus mysticus Petri proponitur.

TA N D E M exponis, quod ex Patribus te iactas hauiisse mysterium, cur Petro soli præteritis ceteris Christus singulariter claves promiserit & derit. Sed quoniam obscurior es, quid sentias quantum capio, explicabo; deinde tua verba subijciam. Dicis igitur claves singulariter Petro in propriâ persona

sonâ promissas & traditas à Christo esse; sed Petro-
 vni ob mysterium vnitatis, quo manifestetur vni-
 tatem claves formaliter accipere; non vnitatem, quæ
 singularitas sit, & propria Petri personæ; sed vnitati-
 tem, quæ communitas sit, id est vnitas per totum Ec-
 clesiæ corpus diffusa. Itaque Petrum pastorem v-
 num non suâ singulari vnitate claves singulariter ac-
 cipere; sed Petrum vnum vnitate communi, hoc
 est pastorem vnitum Ecclesiæ pastoribus, eisque
 cohærentem. Ut autem figuralem primatum ex
 Augustini quibusdam testimonijs superius confin-
 xisse te vidimus, quorum repetendorum finem
 nullum facis; ita etiam ex quibusdam Cypriani
 verbis male intellectis hunc mysticum extundis,
 quæ varijs in libri tui locis sæpiissimè inculcas, vt
 nulla pene sit pagina quæ non illis exaretur. Ut
 autem obiter hic etiam notem perpetuam incon-
 stantiam tuam; mysticum Petri primatum, quem
 colligis ex Cypriano, cum figurali, quem eruis ex
 Augustino, prorsus eundem esse nunc affirmas, nunc
 negas. l. i. c. 3. n. 12. post Cyprianum producis Augu-
 stinum, cum hoc exordio: *Audiamus Augustinum ni-*
hil prorsus à Cypriano dissentientem: und idem omnino à
alijs verbis affirmantem. Ita illo loco. At eodem libro
 c. 7. num. 22. rursus post Cyprianum repetiturus te-
 stimonia Augustini ita præfaris. *Non nimis ab hoc*
Cypriani mysterio vnitatis discedens Augustinus alium
quendam intellectum huius Christi actionis habuit: scilicet
à Christo Petrum fieri figuram totius Ecclesie, quam ipse
totam represeñaret. Non aduertis, Antoni, quām
 tecum apertè pugnes? Nam si Augustinus, si non
 nimis, tamen non nihil à Cypriani mysterio v-
 nitatis discedit, si quendam alium habet intellectum,
 quomodo nihil prorsus dissentit? quomodo non nisi
 idem omnino alijs verbis affirmat? Næ tu de my-
 sterio

sterio vnitatis vanus disputator es; qui tibi ipsi v-nus non es, nec tecum ipse consentis.

Sed nunc ad Cyprianum redeo cuius hæc verba 3.
 sunt, quæ tu contra Petri Primatum trahis nos à primatu facere existimamus. Nam initio libri de vnitate Ecclesiæ malum schismatis Nouatiani deplorat &c. 3. tanti mali causam velut digito ostendens ita scribit. *Hoc eo fit, fratres dilectissimi, dum ad veritatis originem non redditur, nec caput queritur, nec Magistri cœlestis doctrina seruatur. Quæ si quis consideret & examinet tractu longo atq[ue] argumentis opus non est, probatio est ad fidem facilis compendio veritatis. Loquitur Dominus ad Petrum ego dico tibi (inquit) quia tu es Petrus, &c. & iterum eidem post resurrectionem suam dicit pasce oves meas. Super illum vnum ædificat Ecclesiam suam, & illi pascendas mandat oves suas. Et quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem tribuat potestatem, & dicat, sicut misit me Pater, &c. tamen ut vnitatem manifestaret, vnitatis originem ab uno incipientem sua autoritate disposuit. Hoc erant vtiq[ue] & ceteri Apostoli quod fuit Petrus, pari confortio præditus & honoris & potestatis, sed exordium ab vnitate proficisci ut Ecclesia vna monstretur. Hæc Cyprianus qui tria dicit fecisse Christum. Primo parrem omnibus Apostolis dedisse potestatem; & ideo reliquos idem fuisse, quod Petrus fuit, præditos pari confortio & honoris & potestatis. Secundo nihilominus super vnum Petrum ædificasse Ecclesiam suā, vni tradidisse oves suas. Tertio hoc facto manifestasse vnitatē, & originem vnitatis ab uno incipientē suā autoritate disposuisse. Ex his cōcludis nō potuisse cy-prianū sētire Petrū habuisse verū primatū potestatis, quia paritas omnimoda omniū Apostolorum inclusō Petro pugnat cum vero Petri super ceteros Primatu. quare loquitur tātū de primatu manifestatiuo vnitatis, dicitq[ue] claves singulariter Petrū accepisse, vt ostēderetur.*

110 MONARCHIAE ECCLESIASTICAE,

deretur Ecclesiam vnam claves habere, Pastores autem quatenus vni cum ipsâ sunt. Quomodo vero ex eo quod vni Petro Christus dicat, *Tibi dabo claves*, colligas Ecclesiam in toto orbe terrarum non nisi vnam esse, & eam claves habere, non satis intelligo, quantum tamen augurari possum ita colligis. In primis ex eo quod Christus, cum soli Petro de regimine loquatur, colligis Petrum esse cæteris priorem non potestate quidem, sed dignitate, ordine, loco, eorumque caput & Præsidem. Secundo ex eo quod Petrus sit eorum Præfes & caput colligis, eos debere pertinere ad eandem Ecclesiam, ad quam pertinet Petrus: & singulos suam Ecclesiam non habituros. Nam si vna per orbem vniuersalis Ecclesia futura non esset, sed tot, quot essent Apostoli, intet se distinctæ & absolute, Petrus caput cæterorum non fuisset ordine & dignitate, sed singuli caput suarum Ecclesiarum fuissent, sine ullo ordine ad Petrum. Hæc summa est omnium, quæ verbosè & obscure dicis: tamen quia mysteria dicis si tuam mentem non attigi & eam Lector, si potest, intelligat, tua verba integrè hic ponno.

4. *Cum Christus, inquis, vni Petro loquitur, vbi de danda potestate regiminis Ecclesia verba facit, quam tamen potestatem aquæ esset omnibus commissurus?* Ut unitatem manifestaret (*inquit Cyprianus*) unitatis originem ab uno incipientem suâ auctoritate dispositum. Cum uno solo loquitur, nimirum Christus, ut ceteri intelligant eos omnes simul & in solidum vnam Ecclesiam suis laboribus & fundaturos & recturos: neque divisionem cogitarent, quasi singuli per se suam esset Ecclesiam recturus & detenturus. In toto enim mundo vnta sola Christi Ecclesia erat futura, & ab Apostolis in solidum labores suis erigenda. Huius unitatis mysterium in eo latebat, quod Dominus cum uno Apostolo loquitur: unitas enim ab uno (*inquit Cyprianus*) habet originem.

riginem , hoc est vt vnitas Ecclesie intelligatur ab Apostolis
qui erant duodecim non vnu, ab uno incipit Christus , & e-
andem vnitatem dispositum suâ authoritate, voluitque & or-
dinavit , vt illam omnino souerent & retinerent , quam
ipse incipiendo ab uno satis commendabat. Vnde & addit
Cyprianus, exordium ab vnitate proficiuntur , vt Ecclesia
vna monstretur. Imo si vis dicat etiam Cyprianus ; Prima-
tus Petro datur vt Ecclesia vna monstretur , idem erit:
hoc est, Christus Dominus dispositionem suorum ministro-
rum , quibus Ecclesiam suam commendabat & fundandam
& regendam, ab uno Apostolo exorditur , quod est Prima-
tum Petro dari , nempe Petrum velut caput & praesidem
caterorum ad hoc assumi: non quod illum solum assumat
ad tantum opus Ecclesie formanda & regenda, sed vt Ec-
clesia vna monstretur, hoc est, vt cognoscerent hinc Apostoli
vnicam solam debere ab iis institui Ecclesiam per totum
mundum, cuius vnitatis typum satis agnoscerent in eo , quod
Christus ab uno ex ipsis nempe à Petro in tractando cum
ipsis hoc negotio fuerit exorsus , & illum quasi caterorum
praesidem innuerit dignitate non potestate. Hoc fuit ex-
ordiri negotium , quod exordium ab vnitate prosectum
est, quia cum uno agi captum &c. Sed effectus postea & ex-
ecutio , quando completum fuit negotium , cum omnibus
simul Apostolis aequè & in solidum fuit absolutum. Haec
tu.

QVINTVM ANTONII FVNDAMENTVM
ex ipsius dictis euertitur.

Hic quatuor tractanda sunt. Primo examinabis
mus mysterium tuum, quod fingis, unitatis Ec-
clesiae ex Cypriano, ubi patebit quam non mystice
sed misere Cyprianū interpreteris. Secundo verum
sensum Cypriani trademus, qui Petri Primatum Mo-
narchicum præ ceteris Patribus grauiſſime afferit &

I illustrat.

illustrat: Tertio quædam corollaria quæ Cypriano lucem adferant deducemus. Quarto, quædam loca patrum pro Petri primath quæ alioqui obscura videri possunt elucidabimus. Ex quibus omnibus luce meridiana clarius patebit, te nunquam intelligere Cyprianum, quem toties iactas & nobis aduersarium perpetuum & tibi magistrum optimum esse.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quam ineptè mysterium vnitatis Ecclesiæ ab Antenio explicetur.

5. **T**GTVR vt à mysterio vnitatis tuæ incipiam. Dico mysterium vnitatis Ecclesiæ quod singis in Cypriano, prout à te explicatur, Cypriani textum destruere, falsà contra Euangelium assumere, cum tuis principijs pugnare, denique (quod minimè reris) Monarchiam Petri afferere. Primo Cypriani textum destruis. Cyprianus dicit: vnitatis ab uno habet originem, hoc est, inquis, ab uno incipit Christus, vt vnitatis intelligatur ab Apostolis, qui erant duodecim, non unus. Audio: vnitatis incipit ab uno, id est, Christus incipit ab uno, vt intelligatur vniitas. Cyprianus dicit, CHRISTVS vnitatus originem ab uno incipientem suâ authoritate disposuit, hoc est, inquis, voluit & ordinavit, vt vnitatem Apostoli fouerent & retinerent, quam ipse incipiens ab uno satis commendarat Magnum mysterium! Christus originem vnitatis sua authoritate disposuit, id est vnitatem & pacem Apostolis præcepit & commendauit. Dicit Cyprianus exordium ab vnitate proficiscitur vt Ecclesia vna monstretur, id est, inquis, Christus, quando voluit negotium regiminis & fundationis Ecclesiæ tractare, cum uno cœpit loqui, hoc fuit negotium ab vnitate exordiri. Quam profundus interpres! Exordium ab

dium ab vnitate proficiscitur; id est, Christus cū vno cœpit loqui. Dicit deniq; Cyprianus, Ecclesia quæ vna est, super vnum, qui claves eius accepit Domini voce fundata, *numirum* (inquis l. i. c. 10. n. 17.) ideo super vnum Petrum videtur Ecclesia *vocē Domini fundari*, non quia reuera in vno Petro fundetur, sed quia ex hoc habetur mysterium, Ecclesiam vnam esse debere. Quam pulchrè consonas Cypriano! dicit ille; fundatur super vnum Ecclesia: tu dicis; videtur fundari, sed reuera non fundatur. dicit ille; vnuſ Petrus claves accepit; id est (inquis) hinc habetur mysterium Ecclesiam vnam esse debere. Hanc Cypriano, quem iactas magistrum tuum optimum, reuerentiam habes: eius grauissima verba, quia tibi aduersantur, tamdiu durâ interpretatione, velut equuleo, torques, donec in inceptias tuas vel inuita consentiant.

Nec vnum Cyprianum violas: Leonem etiam 6. Magnum pari audacia tractas, qui similis Cypriano in vna eademque sententiâ Apostolorum paritatem cum Petri primatu coniungit. *Inter Beatisimos A-* ep. 88. *postulos* (inquit) *in similitudine honoris fuit quedam discretio potestatis, & cum omnium par esset electio, vni tan- men datum est, ut cateris præmineret.* Petro tribuit aperte præminentiam seu primatum potestatis gubernatiæ, non dignitatis personalis: Nam vni ex Apostolis, Petro scilicet, tribuit præminentiam seu primatum illius rei, cuius dicit suisse inter Apostolos differentiam. Sed dicit inter Apostolos suisse differentiam potestatis, non autē honoris, nec sanctitatis personalis. Igitur vni, id est, Petro, tribuit præminentia seu Primatum potestatis. Ita Leo. Iam, Antoni, te Leonis expositorem audiamus. Hæc quatuor in Leone, quid sunt similitudo honoris, paritas electio- nis, differentia potestatis, præminentia vnius? Simili- tudine

114 MONARCHIAE ECCLESIASTICAE,
litudinem honoris (inquis l.i.c.3.n.25.) & paritatem ele-
ctionis intelligo paritatem & equalitatem absolutam & sim-
pliciter, ut ad parem penitus Apostolatus gradum euecti fue-
rint omnes Apostoli. Valde intelligens es, vt in Leone
multò plus intelligas, quam Leo ipse intellexerit.
quam vereor, ne parua vel nulla intelligentia tibi fu-
tura sit, quando iam nobis expones differentiam po-
testatis & præminentiam vnius Petri. *Hoc est* (inquis)
Petro delatum fuit in aliquo, quod non spectaret ad essentia-
lem Apostolatus potestatem: neque enim negari Petro po-
test aliquis Primatus, aut potius præminentia, siue dignita-
tis, siue etatis, siue feruoris, siue familiaritatis cum Christo,
siue voluntaria delationis ab Apostolo. Ita tu: scilicet cum
dixit S. Leo, fuisse inter Apostolos cæterà pares, dif-
ferentiam potestatis cum præminentia vnius, nihil
aliud dicere voluit, quam Petrum fuisse ceteris se-
niorem, vel prius vocatum, vel charitate feruentio-
rem, vel Christo familiarem. Non est hoc, Anto-
ni, Patribus lucem dare sed eripere: non est ex fon-
tibus eorum puris haurire, sed tui cerebri pingui Mi-
neruâ puros eorum fontes inficere. Nec, violentus
interpres, quæ sunt ambigua distinguis, sed quæ sunt
clara extinguis, vespertilionum more, qui lumen alis
immundis, quod non possunt ferre, diuerberant.

7. Secundo in tuâ expositione Cypriani contra Eu-
angelium falsa assumis, cum dicas *negotium regi-
nus Ecclesia cum uno agi cæptum, sed effectus & ex-
ecutio fuit aquè in omnibus absolutum.* Neque Latini-
nè loqueris, nec verè: sermo tuus cum Grammaticâ,
sensus cum Euangeliō pugnat: *effectus & executio*
fuit in omnibus aquè absolutum; misera Latinitas est;
quam tamen non ignorantiae, sed incuriae vel tuae, vel
Amanuensis, vel Typographi imputo: annotare tan-
tum eam volui, vt erubescas, qui non vereris Roma-
nis Pótificibus Latini sermonis imperitiam obijcere.

In cauda (inquis) sacri chori, nedum in capite pudendam, simo vel in puerulo castigandam. Ita tu pueriliter & petulanter. Certè si, quē dicis, puerulus, *effectus & executio fuit absolutum*, sub præceptore dixisset Orbilio, nā ille sermonis inconcinnitatem ferula luisset: sed sol cœcisimo tuo facilè ignoscimus. hoc ferendum non est, quod studio erroris tui sacræ historiæ contradicas, cum ais negotium regiminis Ecclesiæ, quod cum solo Petro cœptum est agi, non fuisse in solo Petro, sed æque in omnibus Apostolis absolutū. Nam Christus vt soli Petro claves & regimen Ecclesiæ prius, quam cæteris promisit; ita postquam omnibus Apostolis æque & in solidū claves per verba illa Ioan 20. *Sicut misit me pater, & ego mitto vos*, tradidisset; soli Petro dixit *pasce oves meas*, hoc est, Petro singulariter post cæteros claves dedit, negotiumque regiminis, quod in vno Petro agere cœpit, in eodem vno absolvit. Itaque Petrus non solum in Christi promissis, & primâ regiminis tractatione, sed etiam in effectu, in executione promisisti regiminis primatum accepit: nō autem accepit tūc primatum personalem, quem multo antè habuerat; non communem cum cæteris potestatem, quā per verba Christi, *sicut misit me Pater & ego mitto vos*, iam erat ornatus. Quid igitur restat, quam vt in illa singulari potestatis exhibitione, accepérit singularem præ cæteris Apostolis potestatem?

Tertio tecum pugnas cum dicis Christum cū vno 8.
Petro de regimine Ecclesiæ agentē significasse Apostolos non nisi in solidum & in vnum corpus coniunctos Ecclesiam recturos; nec posse per se & independenter ab hoc corpore quicquam in Christi ministerio operari. Hoc enim pugnat apertissimè cum eo quod l.i.c.12.num.8. scribis. Ecclesia Christi, inquis, ita quidem ab omnibus Apostolis post Christi ascensum rebebatur, vt tamen à singulis etiam ab iniicem separatis Ecclesiastica plenè exerceretur potestas.

I

Et

Et l.2.c.1.n.9. dicis omnes Apostolos curam geſſiſſe Eccleſia. ſingulos cum plenā equali vniuersali potestate; ita ut quifq; plenē eſſet Epifcopus & independenter vnuſ ab alio. Hæc tu:que yera ſi ſunt, quomodo verum quod nunc dicis Christum vni Petro tradendo claves, significatiſſe Apoſtoloſ non niſi in ſolidum & in vnum corpus coniunctoſ, Eccleſiam recturoſ; ſingulos per ſe & independenter ab alijs nihil in ministerio Christi ope‐rari poſſe? Nonne hæc duo dicta in terminiſ contradictoria ſunt? Quomodo vnitati, id eſt, communitati data eſt formaliter ampliſſima vniuersaliſ potestaſ, ſi ſinguliſ Apoſtoliſ pleniffiſma vniuersaliſ data ſit? ſi communitati, id eſt, nulli niſi quatenus vnuſ com‐munitatiſ eſt, quomodo ſinguliſ ſeorsim & independenter ab alijs? ſi ſinguliſ quomodo vnitati, ſeu communitati, nec vlli niſi quatenus vnuſ de corpore eſt? Non hæc cohærent inter ſe, Antoni: nec tu mysteriuſ fed monſtru vnitatiſ duodecennali fastidio peperiſti.

9. Quarto Monarchiam Petri, vbi minimè putas, ma‐ximeſtabilis, dum explicas myſticum Primatum & dicis Christum cū diſpoſituruſ eſſet ministruſ in Eccleſia ſuā, qui eam regerent, Petruſ velut caput & præ‐fidem cæteroruſ ad hoc aſſumptiſſe, eique locuſ ſu‐pra ceteroſ attribuiſſe, & talem dignitatemuſ, quæ ſatiſ colligebatuſ ex eo quod cum vno Petro ſingulariter de regimine Christuſ tractaret. Hæc tu:quæ ſi intelli‐geres, ſtatim videres per hæc Petruſ conſtitui totius Eccleſia perfeſtiſſimum Monarcham. Hoc oſtendo dupli ci argumento. Primo Petro tribuiſ inter Apo‐ſtoloſ, primatum dignitatiſ publicaſ, ſeu regiminis. patet, quia Petro tribuiſ talem dignitatemuſ inter Apo‐ſtoloſ quæ colligitur clarissimè ex eo quod Christuſ cum illo vno de potestate regiminis Eccleſia tra‐bat, eam illi vni ſingulariter promittendo & exhi‐bendo; *Tibi dabo claves, Tu paſce oues moas.* Sed digni‐tas

tas Petri præ cæteris , quæ ex his Christi promissis & datis potestatiuis Petro singulariter factis satis colligitur , non est dignitas Petri supra cæteros vel in ætate vel in vocatione , vel in charitate vel in familiaritate cum Christo : non enim personalis Petri dignitas potest colligi ex eo quod Christus cum eo uno de Ecclesiæ regimine agat . Nam qui sic disputaret , Christus Petro singulariter promisit & exhibuit claves Ecclesiæ suæ . Ergo Petrus fuit cæteris senior , vel prior vocatus , vel in charitate feruentior , vel cum Christo familiarior ; ineptissimus esset . Igitur dignitas Petri præ cæteris , quæ ex Christi pollicitis & datis potestatiuis ad eum singulariter directis colligitur , est dignitas publica pertinens ad regimen Ecclesiæ , de quo Christus cum Petro singulariter agebat . Hoc tu clarissimè affirmas cum dicas Christum , *dum regendam Ecclesiam ministrii committere volebat , Petrum velut caput & praesidem ceterorum A D H O C assumisse* . Audi te ipsum , Antoni . quid est assumpſit A D H O C , nisi quod ante dixeras ad Ecclesiam regendam . Igitur Petrus non in personalibus priuilegijs , sed in regimine Princeps , Praeses & caput totius Ecclesiæ , etiam inclusis Apostolis fuit ; hoc autem quid aliud quam Monarcham eſſe ?

Secundo tribuis Petro potestatem in totam Eccle- 10. siam , etiam Apostolos , siquidem duo de Petro dicens: Primo fuisse caput dignitate , ordine , loco in Ecclesia vniuersali , cæteris Apostolis altiorem : Secundo cum illa dignitate Petrum per se sumptum habuisse plenitudinem potestatis vniuersalis . Vnde sic arguo : Caput quod præditum est vniuersali potestate , potest in totū corpus & singula membra , sibi loco & ordine inferiora agere , & in ea vim suam deriuare , ita ut ab eo in gubernatione depédeant . Sed Petrus , te fatente , caput

in Ecclesia est, habens per se plenitudinem potestatis vniuersalis, & sub se habens Apostolos dignitate, loco, ordine tibi inferiores. Igitur in omnia membra Ecclesiæ etiam Apostolos, agere pro sua potestate poterat, ab eoq; in regimine illi dependebant, quod est eorum Monarcham fuisse: nec vñquam inuenies in vñlis Annalibus Principem potestate plenissimâ præditum in totum aliquod regnum, cæteris eminentem, qui Monarcha non fuerit. Ex quibus luce elarius efficitur, te non intelligere Cyprianum, quæ iactas Magistrū tuum; imo nec intelligere teipsum, quippe qui Primum Petri constituis, vbi maximè eum te putas euertere. Nihilominus (quæ tua vanitas est) quasi parta victoria iactas te *Primum Petri in puluerem redigisse*; & triumphum canens ita concludis loco citato: *Ex hac clarâ verborum Cypriani expositione nullam contrarietatem admittente facile destrues quidquid Monarchici super hunc Cypriani locum male intellectum & peius explicatum construxerunt; præsertim Sanderus, qui verbosius, quam ceteri, ut est mos hominis, ipsum tractauit.* Ita buccinas laudes expositionis tuæ, quod clara scilicet sit, & sibi constet, & Petri primatum facile destruat. Quis non rideat? quis hinc non colligat te, qui *verbosum Sanderum appellas*, plus habere linguae, quam mentis?

ARTICVLVS II.

Verus sensus Cypriani.

II. **C**YPRIANVS cum dicit Christum suæ Ecclesiæ dedisse vnum Pastorem Petrum, super vnum Petrum fundasse Ecclesiam, originem unitatis ab uno Petro incipientem suâ authoritate disposuisse, intelligit instituisse vnum pastorem, cui tota & integra Ecclesia, tam clerus,

tus , quam populus Christianus obediret. Hæc conclusio duabus rationibus ostenditur. Prima sumitur ex errore Nouatiani , contra quem hæc scribit, cuius schisma & errorem inde natum istiusmodi fuisse narrat ipse Cyprianus. Primò Nouitianus, Cornelius legitimè prius electo se Romanum Episcopum creari fecerat sperans se posse Cornelium exturbare. Hac de causa cum Cornelius pænitentes lapsos admitteret , vt illi inuidiam crearet , lapsos non esse recipiendos ad pænitentiam docebat. Secundo cum nihil proficeret, ab eoq; Romani confessores defecissent ad Cornelium, vt simul cum Cornelio regnaret, docuit duos in vna Ecclesia Episcopos pari potestate præditos esse posse, neque Christum Monarchiam seu regimen vnius supremi Principis pro vna sua Ecclesia instituisse. Tertio non contentus ita turbasse Romanam Ecclesiam, atq; adeo vniuersalem, quæ cum Petri succelfore communicare debebat , hoc regimen plurimum seu Aristocratiā in Ecclesiā singulas deriuare conabatur. Itaque tanquam totius Ecclesiæ Princeps quia Petri, suâ opinione, successor, Apostolos suos (ver- *epist. ad Iu-*
bis Cypriani vtor) per plurimas ciuitates mittebat , qui *baianum* quadam recentia institutionis sue fundamenta instituerent, cumq; per omnes Provincias & ciuitates iam pridem ordinari essent Episcopi in etate antiqui, in fide integri, in pressu-
ra probati , in persecutione proscripti , ille super eos nouos creare Pseudoepiscopos audebat.

Quarto in hac tanta Ecclesiæ turbatione, cum iam 12. etiam Carthagine plures Episcopi constituti essent, nimirum Fortunatus vnà cum Cypriano, scripsit Cy-
prianus varias epistolæ aduersus hunc errorem , præ-
sertim verò librum de vnitate Ecclesiæ, in quo con-
tedit regimen à Christo originaliter institutum fuisse
regimen vnius , Christumq; vni tradidisse claves,
vni mandasle ouss, super vnum fundasse Ecclesiam

atq; adeo schisma Nouatianum non aliunde inualefcere, nisi quod homines nō considerēt regimen quod Christus sua authoritate primitus disposuit, *quia* (*inquit*) *ad originem non redditur, nec caput quaritur, nec magistri cœlestis doctrina seu institutio seruatur.* quam declarauit, cū vni Petro diceret *tibi dabo claves, tu pascē oves meas.* Hinc formatur argumentum. Ex sententia Cypriani Christus talem vnitatem pastoralem origināliter sua authoritate disposuit, qualem de Ecclesia abstulerat suo errore & schismate Nouatianus. Sed Nouatianus suo errore & schismate violauerat in Ecclesia vnitatem vnius pastoris supremi vnius Ecclesiæ, cui totus clerus & populus illius Ecclesiæ obediret. Nam plures in vnâ Ecclesiâ Episcopos constituebat. Igitur Cyprianus cum dicit contrarium regimen, regimen nempe vnius à Christo institutū in Petro intelligit, non regimen vnius senatus Apostolici, sed vnitatem vnius rectoris supremi, cui totus populus & clerus Christianus vnanimiter sine schismate obediaret.

- ¶3. Secunda ratio sumitur ex vnitate vnius Episcopi in qualibet vnâ Ecclesia, quam semper propugnat Cyprianus. Huius autem vnitatis originem dieit Christum in Petro instituisse & ostendisse: instituisse scilicet pro Ecclesia sua vniuersali, quam vnam esse volebat, ostendisse verò pro Ecclesijs particularibus, ut in illis Monarchia perpetuo seruaretur, quam ipse in vniuersali disposuisset. Audiamus ipsum Cyprianum hæc clarissimè afferentem ep 21. dum responderet epistole lapsorum ad ipsum, qui se Ecclesiæ nomine insigniebant. *Dominus noster* (*inquit*) *cuius præcepta metuere & obseruare debemus Episcopi honorem & Ecclesia sua rationem disponens in Euangelio suo loquitur.* *Petro ac dicit;* *Ego dico tibi, quia tu es Petrus & super istam Petram ædificabo Ecclesiâ meam.* *Inde per tempo-*

temporum & succeſſionū vices Episcoporū ordinatio & Ecclesia ratio deſcurrit, vt Ecclesia ſuper Episcopos conſtituantur, & omnis Ecclesia actus per eosdem prepoſitos gubernetur. Cum itaq; hoc diuinā lege fundatum fit, miror quosdam audaci temeritate ſic mihi ſcribere voluiffe, quando Ecclesia in Epifco po & Clero & omnibus ſtantibus fit conſtituta. Hæc Cyprianus: vbi tria affirmat. Primo ſubordinationem quā in vna Ecclesia plebs fidelis Clero, Clerus autem vni Epifco paret & ſubeft ab Ecclesia perpetuo ſeruatam eſſe. Secundo hanc gubernationem eſſe verè & abſolutē Monarchicam, nimirum vt ab vno Epifco omnis vna Ecclesia tam Clerus quam populus & omnes eorum actus diſponantur. Tertio hoc regimen vniuersitatis in Petro cæpiffe & ſubordinationem vniuersitatis totius Ecclesiæ, cuius Clerus & plebs vni pastori Petro pareret, à Christo eſſe diſpositam, ſubſumo. Sed nulla alia plebs niſi Christiana vniuerſalis, nec aliud Clerus præter Apostolos fuit à Christo immediate Petro ſubiectus: nam nulli alij Clerici tunc erant. Igitur tota Ecclesia cum Clero Apoftolico fuit Petro ſubiecta.

ARTICVLVS III.

*Quadam corollaria quibus redditur clarior mens
Cypriani.*

Ex his tria corollaria deducuntur. Primò parita- 14.
tem Apostolorum à Cypriano assertam non pu-
gnare cum Petri primatu. Nam quamuis alij Apo-
ſtoli quoad ordinem eſſent Epifcoli non minus
quam Petrus; tamen in ſententiâ Cypriani quoad
officium fuerunt quaſi Petri Clerus. Epifcopus e-
nim non tantum ordine, ſed etiam officio iſ eſt,
qui ſub ſe vnam Ecclesiam ex Clero & ple-
be con-

be constantem habet : qui vero subditus Episcopo plebem vnius Ecclesie sub se habet, officio Episcopus non est sed tantum Presbyter, quamuis Ordine Episcopus sit. In Ecclesia verò, quam Christus per se immediate disposuit & ordinauit solus Petrus erat tam Clero quam populo Christiano præpositus ; reliqui Apostoli nullum Clerum sub se habebant , sed tantum plebem , quia in Ecclesia primitiā quam Christus ordinauit nullus alius Clerus præter ipsos Apostolos erat. Igitur solus Petrus erat inter Apostolos relictus à Christo officio Episcopus, reliqui Apostoli erant officio velut Presbyteri , quamuis Ordine Episcopi essent. Hoc autem notat Cyprianus, vt Clerum Petri à Clero alterius Episcopi quoad dignitatem distingueret. Nam Clerus , qui paret Episcopo constat ex Presbyteris, qui non sunt Episcopo honore & potestate pares. Ordo enim Episcopalis Presbyteralem honore & potestate superat, vt notum est. At verò Clerus Petri constabat ex Apostolis qui ordinati Episcopi erant, atque adeo idem erant quod Petrus, pari prædicti confortio & honoris & potestatis. Cum verò Christus Apostolos , qui non minus quam Petrus ipse ordine Episcopi erant Petro tanquam suo Episcopo subiecit bono vnitatis , vt nimirum Ecclesia per subiectionem ad vnum in vnitate contineretur, infert Cyprianus multo magis Clerum qui constat ex Presbyteris, qui ordine Episcopis inferiores sunt , Episcopo suo subiici oportere , vt hinc Nouatiani suam superbiam viderent , qui vni Episcopo subesse recusabant. Addi potest, Cyprianum non dicere Apostolos Petro pares fuisse postquam Petrus fuit illis præfectus & factus unus pastor , sed ante hanc Petri præfecturam pares illi fuisse. dicit enim in die resurrectionis omnes parem accepisse potestatem, & ideo idem fuisse quod Petrus pari præditos

tos & honore & potestate, quod verissimum est. Nam potestatem eamque amplissimam Episcopalem simul acceperunt, neque tunc maiorem Petrus quam cæteri. Non tamen dicit Cyprianus Apostolos qui erant in die Resurrectionis Petro pares, perpetuo permanisse Petro penitus pares, vel pares fuisse postquam Christus singulariter dixisset *pascere oves meas.*

Secundo colligitur, quæ sit illa vnitas Ecclesiæ, ^{25.} quam Christus (ut ait Cyprianus) manifestauit, dum super vnum fundauit Ecclesiam suam. Hæc enim vnitas subordinationis est & obedientiæ ad vnum Pastorem. Probatur euidenter, quia Christus hoc instituto manifestauit vnitatem Ecclesiæ, quæ respondeat & correlatiua sit vni summo Pastori. Sed vnitas, quæ in Ecclesia respondet & correlatiua est vni summo Pastori, vnitas subordinationis est & obedientiæ ad ipsum. vnum enim Pastor totius Ecclesiæ per se requiritur & per se refertur ad vnam Ecclesiam quæ sibi integrè tota obediatur, nec vlli alteri, qui non ipsi subordinetur. Igitur Christus, quando ordinauit & disposuit, ut Petrus vnum toti Ecclesiæ præcesset; certè simul ordinauit, instituit & præcepit omnibus fidelibus vnitatem subordinationis ad Petrum, voluitque Ecclesiam suam vnam esse; non tantum fide in vnum Deum creatorem, quem simul omnes concorditer colerent; non solum spe in vnum Christum redemptorem, à quo simul omnes salutem exspectarent; non solum charitate erga vnum Spiritum sanctum à quo sanctificarentur, & vno baptismo abluerentur: sed etiam vnam obedientiâ ad vnum pastorem, cui vni simul omnes concorditer obtemperarent. Hæ simul omnes Ecclesiæ vnitates vna sententiâ pulcherrimè exprimuntur apud Cyprian. l. 3. epist. ii. cum refert verba Confessorum Ecclesiæ Romanæ, quibus cum Nouatiano prius adhæsissent, schisma eiabant.

Nos,

Nos, (inquiunt) Cornelium Episcopum S. me Catholica Ecclesia electum à Deo scimus. nec enim ignoramus vnum Deum esse, vnum Christum esse Dominum, vnum spiritum Sanctum, vnum Episcopum in Catholica Ecclesia esse debere. Hæc Confessores Romani, quorum sententiam approbat Cyprianus, qui certè loquuntur de Ecclesiâ Catholicâ prout opponitur, non tantum hæreticæ, sed etiam particulari, creduntque & tanquam fidei Christianæ dogma profitentur in Ecclesia vniuersali debere vnum supremum Episcopum esse.

16. Quod probatur triplici argumento. Nam primo, ut verba testantur, illam Ecclesiam, quæ colit vnum Deum, quæ sperat in vnum Christum, quæ sanctificatur ab uno Spiritu sancto, dicunt regi debere ab uno Episcopo, ut in obedientiâ vnius Episcopi concors sit non minus quam in cultu vnius Dei. Sed Ecclesia vniuersalis per orbem diffusa concors esse debet in cultu vnius Dei, à quo creata est, concors erga vnum Iesum Christum, à quo redempta est, concors in charitate erga vnum Spiritum sanctum, à quo sanctificata est. Igitur Ecclesia vniuersalis concors etiam esse debet & vnam in obedientia erga unum supremum Episcopum, à quo regatur, cuius autoritate in unitate cultus vnius Dei contineatur. Secundo loqui hos Confessores de uno Episcopo Ecclesiæ vniuersalis, probatur: quia cum dicunt vnum Deum, & vnum Christum & vnum Episcopum in Ecclesia Catholica esse debere, prorsus idem dicunt, & iisdem penè verbis videntur ac ipse Cyprian. epist. 19. Deus unus est, & Christus unus, & una Ecclesia, & cathedra una super Petrum Domini voce fundata. Nam dicere vnam cathedram non aliud est, quam dicere vnum Episcopum: sicut cum dicimus in uno regno non esse posse nisi vnum thronum intelligimus non nisi vnum Regem. Sed Cyprianus, cum dicit vnum Deum, & vnum

num Christum, & vnam cathedram in Ecclesiâ esse, loquitur de Ecclesia Christianâ vniuersali, vt tu fat- teris l.i. c. 12. n. 9. *Loquitur Cyprianus* (inquis) *de vna totali Ecclesia Catholica, cum dicit vnum Deum, & vnum Christum, & vnam cathedram esse.* Igitur cum dico vnu Episcopum in Ecclesia Catholica esse debere, eumq; esse Cornelium Romanum Episcopum, loquitur de vno Episcopo Catholicæ Ecclesiæ totalis. Tertiò cum Cyprianus toties repetit Ecclesiam vnam esse debere, loquitur profectò de vnitate Ecclesiæ, quam negabat Nouatianus, quamq; putabat in Ecclesia esse non debere. Sed Nouatianus nunquam negauit vel vnitatem fidei vel vnitatem pacis & charitatis fraternæ in Ecclesia esse debere. non enim adeò demens erat vt diceret, non debere omnes Episcopos fouere inter se charitatem, non debere fraternæ pacis inter se glutino copulari : negabat autem vnitatem subordinationis & obedientiæ totius Ecclesiæ ad vnum. Nam duos Romanos Episcopos, duas Petri cathedras, id est (te fatente) duas potestates supremas totius Ecclesia gubernatrices induxerat; unde fiebat, vt etiā vnitas fidei & charitatis ab Ecclesia tolleretur. : *Neq; aliunde* (ait Cyprianus) *hereses oborta sunt, aut nat a sunt schismata,* quād quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnis in Ecclesia Ch: isti ad tempus Sacerdos & index vice Christi cogitatur. Igitur Cyprianus, cùm toties inculcat vnitatem Ecclesiæ intelligit vnitatem subordinationis ad vnam cathedram super Petrum Domini voce fundatam, id est, ad vnum Episcopum supremum Petri successorem, qui potestatem à Christo institutam & fundatam in Petro successione habeat.

Tertio colligitur, quæ sit illa Ecclesia quā Cyprianus de vnit. Eccles. c. 4. dicit esse velut Solem, fontem & radicē quo reliquę omnes tanquā radij, riui, & rami pendeant. Hanc Ecclesiā tu l.i.c.10.n.17. cōtendis esse

L. 1. epist. 3.

126 MONARCHIAE ECCLESIASTICAE,
esse vniuersalem, reprehendisq; l. 3.c.1. n.18. Bellar-
minum, quod Romanam radicem & matricem fa-
ciat cæterarum. Sed locus facilè ex dictis expeditur
& inde Petri Primatus confirmatur. Nam tria certa
funt apud Cyprianum. Primo Ecclesiam Petri, seu
Ecclesiam quæ propriè & proximè continet in se ca-
thedram Petri esse solem & fontem & radicem cæte-
rarum. Hoc probatur, quia illa Ecclesia hoc loco di-
citur Sol & radix & fons cæterarum, quoad gubernationem de qua est sermo, quæ continet in se propriè & proximè potestatem gubernatiuam primariam & originalem: huc enim tendunt tres illæ similitudines Cypriani: sicut enim in mundo vndique colluente Sol est, qui continet in se propriè & proximè primarium & originale lumen; sicut in arbore, quæ ramos copiâ vbertatis extendit, radix est quæ propriè & proximè continet in se primarium & originale robur; sicut in fluuio, qui profluentes largiter riuos latius expandit, fons est qui continet in se primariam & originalem aquam: ita in Ecclesia toto orbe diffusa caput & mater, fons & radix gubernationis illa Ecclesia est, quæ potestatem gubernatiuam totius Ecclesiæ primariam & originalem & primitus institutam continet. Sed cathedra Petri, id est, potestas gubernatiua Ecclesiæ, quam Christus singulariter instituit in Petro, primaria & originalis est hoc nomine *caput, origo, exordium unitatis sacerdotalis* à Cypriano non semel appellata. Igitur Ecclesia, quæ propriè & proximè continet in se cathedram Petri, seu potestatem gubernatiuam Petri, fons est & Sol & radix aliarum.

* Secundo certum est, apud Cyprianum Ecclesiam vniuersalem & esse & dici solem, & fontem & radicem cæterarum. Ratio est, quia illa Ecclesia, quæ propriè & proximè continet in se cathedram seu po-
testatem

testatem supremam Petri, radix est & fons & Sol. Sed Ecclesia vniuersalis continet in se propriè & proximè cathedram Petri pro quâ fuit à Christo instituta, in eaq; immediatissimè collocata, non in vlla particulari ex primaria Christi institutione. Igitur Ecclesia vniuersalis, ratione cathedræ Petri, seu potestatis gubernatiæ originariæ, quam in se omnium proximè & immediatissimè continet, sole est & fons & radix cæterarum.

Tertiò certum est Ecclesiam Romanam verè dici 19.
fontem, radicem, solem cæterarum. Probatur quia Ecclesia, quæ proprie & proximè continet in se cathedram Petri, dicitur à Cypriano Sol & fons, radix & matrix comparatione reliquarum. Sed Ecclesia Romana continet in se immediatè & proximè Petri cathedram, eoq; nomine (quod tu l.4.c.i.n.2.fateris) *absolutè cathedra Petri* dicitur à Cypriano, à quâ etiam dicit vnitatem Sacerdotalem exortam esse, quia nimurum primam cathedram Sacerdotalem & solam à Christo ipso immediatè institutam in se continet. Quis igitur non videt Ecclesiam Romanam quoad gubernationem rectè dici & matrem & fontem radicemque cæterarum?

ARTICVLVS IV.

Ex hac doctrina Cypriani quadam obscuriora Patrum dicta explicantur.

EX dicta Cypriani explicatione fiunt clara pro 20.
Petri Primatu quædam Patrum loca, quæ tu ita explicas ut Patres ineptos facias. Primus locus Am- In Psal. 43
brosij est: *Per hac verba pasce oves meas, petrus* (inquit) *sacerdos eligitur, quia spiritu charitatis diuina triplici se ligavit. hoc est inquis l.2.c.2.n.6. per illa verba factus est*

K

non

non nisi Sacerdos. Quam ineptè! Quasi ignorasset Ambrosius Petrum in vltima cæna Sacerdotem, qui Christi corpus sacro ore conficeret, institutum esse. Quare ibid. n. 4. multo sapientius hoc dictum Ambrosij explicas; significat (inquis) *Ambrosius cum dicit Petrus Sacerdos elititur, Petrum Sacerdotem, hoc est, Episcopum à Christo fuisse electum, illus verbis Pasce oves meas.* Rectè. Nam Sacerdos absolutè dictus apud Patres Episcopus est; præsertim apud Ambrosium, qui Petru Romanæ Ecclesiæ Sacerdotem vocat. Significat igitur Ambrosius Petrum, quod charitate cæteros superaret Apostolos, electum ex Clero Apostolico esse, ut illum Clerum & Ecclesiam, quæ Christiana erat, primus Episcopus regeret. Notandum verò est non dicere Ambrosium, Petrum per verba, *pasce oves meas* ordinatum episcopum fuisse, (iam enim in die resurrectionis cum cæteris ordinatus erat) sed electum, ut iam quoad ordinem Episcopus, etiam officio Episcopus esset: vnde concluditur & Petrum Episcopum Apostolorum & Apostolos Clerum Petri fuisse, ex quibus electus in Episcopum fuit.

21. Secundus locus est Gregorij. Certè (inquit) *Petrus Apostolus primum membrum Sancte & vniuersalis Ecclesiæ est; Paulus, Andreas, Ioannes quid aliud, quam singularium sunt Ecclesiarum capita?* Quo Gregorij dicto dicis I. i. c. 3. n. 35. te non parum turbari; & illud videri intolerabile, cum videatur negare reliquos Apostolos, præter Petrum habuisse vniuersalem potestatem in Ecclesia. Sed non intelligis Gregorium; non enim negat reliquis Apostolis potestatem vniuersalem; sed negat eos habuisse potestatem vniuersalem, ut capita. Is enim potestatem habet in Republica ut caput, qui nullum sibi parem in potestate habet: sicut caput in corpore membrum est, quod cæteris omnibus eminet. Petrus igitur quia fuit toti Ecclesiæ Christianæ tam Clero, quam

quam plebi præfetus, sanctæ vniuersalis Ecclesiæ primum membrum exstítit, id est; caput: ex alijs Apostolis, quilibet comparatus ad Ecclesiam vniuersalem sibi pares habebat decem, vnum superiorem, non igitur potestatem in Ecclesiam vniuersalem tanquam caput habebat, sed tanquam sub capite constitutus: at verò in particularibus Ecclesijs, quas fundauerant, quia nullum habebant ipsis vel superiorem vel parem, qui propriè ad illas pertineret, ideo singulium Ecclesiarū capita erant. Quod Gregorij dictum cum Petri verum primatum clare asserat, quid mirū si tibi, qui Petri successori subesse onus Aetnâ gravius putas, intolerabile videatur?

Tertius locus est Optati Mileuitani. *Bono vnitatis 22.*

*beatus Petrus, cui satis erat, si postquam negauit veniam Optat. con-
consequeretur, & preferri omnibus meruit, & claves regni tra Parm.
cælorum ceteris communicandas solus accepit. Hoc di- lib. i.*

ctum etiam videri intolerabile dicens l. 1. c 7. num. 5. quia significare videtur Christum non dedisse reliquis Apostolis immediatè claves, sed soli Petro, quas ipse reliquis Apostolis communicaret; vnde ut Optatum ab hoc errore liberes, alium confignis & illi impingis, quasi crediderit, contra reliquos Patres, potestatem Apostolicam non esse collatam Apostolis simul omnibus in die resurrectionis, sed multò post, nimirum postquam Christus dixisset Petro, *passe oues meas.* Sed Optati dictum verissimum est, nec ullum continet errorem. Nam per claves quas solum Petrum accepisse dicit, non intelligit quamcunq; potestatem ligandi & soluendi, sed potestatem supremam, quā vñus toti Ecclesiæ prælit. Vnde l. 7. ipse met Optatus explicat se *per claves regni cælorum*, quas Petrus accepit à CHRISTO, intelligere cathedram: cathedra verò significat non quamcunque potestatem, sed supremam vnius Episcopi. Nam in

cathedra qui sedet, totam illam Ecclesiam, in cuius sedet cathedrâ regit. Igitur verè dicit Optatus solum Petrum à Christo claves regni cœlorum, id est, cathedralm accepisse, quia solus ex Apostolis clero vniuersali Christiano præfectus est, solus in Ecclesia vniuersali ita sedet, ut omnibus emineret. Hæc tamen eminentia supra Clerum, hæc clavis suprema, hæc potestas cathedralæ erat cæteris Apostolis post Petrum communicanda, non in Ecclesia vniuersali, sed in Ecclesijs particularibus, quarum cathedralam seu supremum regimen postea singuli Apostoli receperunt.

23. Quarto ex hac doctrina Cypriani dicta quadam

diss. 21.c. In Romanorum Pontificum de Petro principio Episcopatus explicantur : Anacletus, in noto, inquit, Testamento post Christum Dominum à Petro Sacerdotalis capit

Syric. epi. 4. ordo; quia ipsi primo Pontificatus in Ecclesia datus est: Syrius; per Petrum Apostolum Episcopatus in Christo cepit ex-

vom. 1.par. 2. ordium: Innocentius; à Petro Episcopatus; & tota digni-

Inno. 1.ep. 31. Greg. l.3. ep. tas nominis huius emerit: Gregorius; Beatisimus Petrus A-

postolus Episcopatus initium exstitit: Hæc (inquam) dicta Pontificum, verum & certum intellectum habent, quæ tu sic exponis ut falsa sint, nonnulli Catholici ita ut doctrinam nō adeo certam contineant. Tu l.2.c.2.

n.6. putas Petrum initium Episcopatus dici, quia prius tempore vocatus est ad Apostolatum, & post ipsum reliqui Apostoli, quod falso esse iam satis ostendimus: neque credibile est Patres, cum toties dicunt Petrum suisse initium Episcopatus nihil aliud voluisse.

Turrecr. l.2 Turrecremata & alij existimant Petrum dici initium de Eccles. c. Episcopatus, quia solus à Christo ordinatus fuit Episcopus, qui reliquos Apostolos postea ordinavit.

Nam cum Sacerdotes ab Episcopis, Episcopi omnes tandem ab Apostolis ordinati sint, certè si à Petro Apostoli consecrati sint, sequitur omnes Sacerdotes Petro ordiné suum acceptum ferre. Hanc sententiam quam sequi-

sequitur etiam Bellarminus ægerrimè fers, & in eius authorem Turrecrematam ferociter irruis; sed tuo more, qui vix vñquam, præsertim quando commotior es, vel aduersarium intelligis vel te ipsum.

Bell. l. 1. de
Rom. Pons.
c. 23.

Sic igitur scribis in Turrecrematam l.2.c.2.nu.7. 24.

Aduertat pius Lector in hoc doctore blasphemiam illam non sine heresi, vbi afferit Christum fuisse Sacerdotem & Episcopum æquiuocè. Quam Romani Censores, obductis oculis pertransiunt, quia Romanam Monarchiam ille afferit & propugnat. Quare plurimum vereor, ne facile possint hereses inter nos disseminari per libros pestiferos, dummodo in ipsis Romanus primatus defendatur. Hæc tu, magnus scilicet ha- resum hostis; qui dum debaccharis in eos qui obductis oculis legunt auctores, ipse Turrecrematam perpetram obductisque oculis & legis & intelligis. Verba eius, quæ carpis hæc sunt. Christus verus Sacerdos in ater-

Turrecr. l. 2.
de Eccles.
c. 32.

& Christo digna, velut illi iniuriosa proscribis, & cæco impetu, dum Romanæ Monarchiæ propugnatores insequeris, in prima fidei principia velut in impiâ dogmata incurris.

25. Nihilominus quamvis Turrecrem. sententia probabilis sit, non videtur tamē mens fuisse Pontificum, quorum dicta præscripsum. Nam Petrum principiū Episcopatus tāquam rem certissimam & notissimam loquuntur; cum tamē Petrum solum consecratū Episcopum fuisse nec certum sit, cū plurimi Patres Christū omnes Apostolos ordinasse Episcopos dicant; neq; notum, cū Theologi Catholici cōmuniter in contraria sententia sint. Itaq; non dubito idem voluisse Pontifices, cū dicunt Petrum sūle initium Episcopatus, quod Cyprianus cum dixit à Petro vnitatē Sacerdotalē exortam esse, originem vnitatis ab uno Petro Christi autoritate dispolitam esse; nimirum Petrum solum à Christo Episcopum factum non quoad ordinem, sed quoad officium, hoc est, solum ex Apostolis Ecclesiæ Christianæ integræ ex clero & plebe cōstanti præfectū, Episcopus enim is est, qui Ecclesiæ integræ, id est, tam clero vniuerso illius, quām plebi præest. Sed Petrum primū ita Ecclesiæ præfuisse certū & notū Catholicis est. Igitur Petrus merito primus Episcopus, initiū Episcopatus, in eo Sacerdotalis, id est, Episcopaloris ordo cœpit, ab eo Episcopatus & tota nominis huius dignitas emersit. Nam quotquot Episcopi Christiani sunt; post Petrum Episcopi creati sunt ab ipso, vel clero illius, id est, Apostolis.

26. Hæc ego de loco Cypriani ad confirmandum Petri primatum celeberrimo copiosius disputauī, quæ eruditio Lectori futura non ingrata spero: necessaria enim hæc prolixitas fuit, vt nebulas & mysticas interpretationes tuas, quibus Cypriani clarissima testimonia obscurare niteris, verborum Cypriani & cohæ-

cohærentium inter se dictorum eius luce dissiparem.
Ex dictis autem perspicuè apparet quām stupide nobis Cyprianum vt perpetuum hostem obijcias; quām inaniter ipso Magistro te iactes: cūm nullus ex sanctis Patribus sit, quem minus intelligas, nec à cuius mente magis discedas; adeo vt circa regimen Ecclesiæ Nouatianum dogma ipsissimum teneas, quod præ cæteris hæresibus Cyprianus immortali odio prosecutus est. Itaque nulla iam tibi supersunt in Cypriani scriptis vmbracula, quibus ab vnius cathedræ Petri totam Ecclesiam gubernantis sole te protegas, quin illius radijs, si videre cupias, illustrere; si clausis oculis inuidere pergas, exurare.

CAPVT SEXTVM.

Explicatur quaratione vera paritas Apostolorum cum Petro vero Petri supra ipsos primatus non repugnet.

SE QVITVR sextum tuæ Reipub. fundamentū, idq;
longe præcipuum, quod tam sæpe repetis, vt liber tuus vix aliud quam huius repetitio videatur.

SEXTVM M. ANTONII FUNDAMENTVM
proponitur, paritas Apostolorum cum Petro.

HOc fundamentum est, Apostolos fuisse penitus pares Petro sine vlla differentia essentiali, paritatem autem pugnare cum vero Petri primatu. Nam si cæteri pares omnino fuerunt Petro, qui cæteris ille superior & verus eorum Princeps esse potuit? Igitur vel paritas Apostolorum cum Petro, vel Petri super eos primatus negari debet. Non potest autem negari vera æqualitas Apostolorum

cum Petro; cum ex Euangelijs, sacris scripturis, & Patribus celeberrimis notissima sit. Et primo ex Sacra scriptura loca aliqua adducis, quæ statim expendamus. Secundo ex Patribus citas primo Cyprianum, ut vidimus, dicentem Christum parem omnibus tribusse potestatem; Apostulos idem fuisse, quod Petrus fuit, pari præditos confortio & honoris & potestatis. Quod dictum Cypriani repetit totidem verbis Aurelius Cypriani successor. Neq; hæc paritas explicari debet, sed prout stat & iacet admitti. Secundo adducis Hieronymum qui dicit; *super Petrum fundatur Ecclesia, & quamvis also loco super omnes Apostolos hoc ipsum fiat, & cuncti claves regni cœlorum accipiunt, & ex aequo super omnes Ecclesia fortitudo solidetur, tamen propterea è duodecim unus eligitur, ut capite constituto schismatis tolleretur occasio.* Nemo (inquis l.i.c.7.n. 2.) inconstanter faciat Hieronymum, ut in paucis verbis dicat Apostolos esse pares Petro, & tamen Petrum faciat verum caput unicum Ecclesia, quæ est manifesta contradic̄tio, sed seruetur illa aequalitas, quæ manente mitigetur & explicetur, quod dicit de uno capite à Christo instituto ad schismata tollenda. Tertio Augustini testimonia hic repetis de Petro figura Ecclesiæ, de quibus nihil supereſt addendum.

2. Ex Euangelio probas paritatem, quia nihil Petro tribuitur in Euangelio vel promittitur, quod reliqui Apostoli cum Petro commune non habuerint. Si Petro promittitur officium fundamenti; Apostoli omnes dicuntur Ecclesiæ fundamenta ad Ephes.2.& Apocal.12. Si Petro promittantur claves, id est, potestas ligandi & soluendi in cœlo & in terra; eadem claves, eadem potestas verbis non minus amplis promittitur omnibus Matth. 18. Denique si tribuatur ei officium Pastoris; idem tribuitur cæteris Apostolis; *docete omnes gentes* Matth. 26. imo & Episcopis; *vos posuit Spiritus sanctus regere Ecclesiam Dei.* Actor. 20.

Igitur

Igitur cum nihil tributum sit Petro , quod alijs Apostolis non sit æquè tributum , sequitur inter Apostolos fuisse summam paritatem , atq; adeo inter eos verum Primatum esse non potuisse. Hæc tu; & eadem à te, quia placent, non decies sed millies & millies repetuntur.

Eueritur ab ipso Antonio sextum ipsius fundamentum.

IGTVR paritas Apostolorum vero Petri primatui repugnans cum sit , vnica propemodum cantilena tua , qua mirificè delectaris , erit à nobis hoc capite diligentissimè confutanda : hanc enim repugnationem , si nullam esse perspicue demonstrauero ex tuis dictis & ex ipsa rei natura ; tota vasti operis tui molles statim concidet. Quinque discutiam. Primo omnium Apostolorum inter se vera paritas potius quam super ipsos vera Superioritas Petri inuiolata seruari debeat? Secundo an æqualitas potestatis inter omnes Apostolos sine differentia essentiali pugnet cum vnius primatu ? Tertio , An fuerint Apostoli pares potestate sine differentia essentiali ? Quartò quomodo nesciēs quid dicas totum Petri Primatum quem negas simul concedas ? Quinto quam aptè ex Euangelio & Sanctis Patribus Petri Primatus quem ponimus probetur.

A R T I C V L V S P R I M V S.

An omnium Apostolorum inter se vera paritas potius quam Petri super ipsos vera superioritas inuiolata seruari debeat?

Dico primo in Sacra scriptura Petri Primatum 3. potius, quam omnimodam paritatem Apostolorum. inuiolatum seruari oportere. Probatur. Illa veritas magis inuiolata in Scriptura seruari debet,

quæ clarius & expressius habetur in Scriptura; sed primatus Petri probatur apertissimis Scripturæ testimonijs; ad quæ tu mysticè respondere conaris, nec tamen nisi misere respondes, ut iam satis ostendi. Apostolos autem fuisse omnino inter se æquales, nullibi habetur in Scripturis expressum: quæ vero tu ad illud probandum adducis ex Scripturis argumenta, miserrima sunt. Sunt autem tria, quæ vrges l. i. c. 3. n. 3. quibus *quam omnibus & singulis Apostolis datam esse potestatem facile putas ostendi.*

4. Primum enim (inquis) *aque erudiuntur omnes à Christo, quando eos primum rudes elegit, aque omnes format & perficit ad munus Apostolatus, non magis unum, quam alios instituit, quod paßim in Euangelijs est videre.* In hoc argumento, Antoni, plura penè sunt peccata, quam verba. Primò tanquam certum assumis, quod est incertissimum, Christum quando rudes elegit Apostolos, *aque omnes erudyſſe.* Quis tibi hoc dixit? cum de vocationibus quinque saltem Apostolorum, te fatente, nihil in Euangilio legamus, qui tibi constat Christum cum singulos vocauit, non vni quam alteri plura aut maiora dixisse? Secundò tibi contradicis, cum ais *quod Christus omnes aquæ formauerit & perfecerit ad munus Apostolatus.* Hoc enim aperte pugnat cum eo, quod millies repetis, Christū virtutibus, præsertim verò charitate eximia, Petrum præ cæteris formas & perfecisse. Tertiò assumis aperte falsum, *Christum omnes Apostolos aquæ instituisse, non magis unum quam alios.* Nam constat ex Euangilio, Christum familiarius cum Petro Iacobo & Ioâne conuersatum esse, cuius familiaritate tres hi, præsertim verò Ioannes cælestium rerum cognitione excelluerunt. Quartò hæc consequentia, patres fuerunt inter se virtutibus Apostolicis, ergo patres fuerunt potestate, inepta est. Potuit enim Christus

stus eligere, & si credimus Nazianzeno, elegit ex diff. *Orat. de
cipulis suis magnis utique omnibus & excelsis atque ele- moderat.
ctione dignis, vnum cuius fiduci fundamenta Ecclesia com- seru. in
mitteret, cui reliqui se posthaberi aequo animo tulerunt.*

Igitur hoc tuo primo argumento nihil ineptius. Vi-
deamus

Secundum. Post ascensionem (inquis) aequè omnes *s.*
æ spiritu recti, inflammati, edocti & roborati sunt, neque *Act. 2.*
semel tantum sed bis, in die pentecostes repleti sunt or. *Act. 4.*
mnes spiritu sancto, & caperunt loqui: Iterum vero cum
orassent, motus est locus, in quo erant congregati & re- *Act. 4.*
pleti sunt omnes spiritu sancto. Ita tu disputas, & ea-
dem quæ in priori argumento multo etiam cras-
sius peccas. Primo, quid incertius, quam fuisse o-
mnes apostolos aequè repletos spiritu sancto? omnes re-
pletos spiritu sancto lego, aequè repletos non lego,
nec scio quis hoc tibi spiritus reuelauerit? Secundo
quam ridicula est ista tua implicita argumentatio,
fuerunt omnes repleti spiritu sancto. ergo omnes æ-
què recti, inflammati, docti, roborati à spiritu sancto?
Dictum enim illud *Act. Apost. repleti sunt omnes Spi-*
ritu sancto, non ad solos apostolos pertinet, sed ad
turbam hominum centum & viginti ex mulieribus & viris
constantem. Hosne omnes, etiam mulieres, rectos,
doctos, roboratos, & inflammatos spiritu sancto non
minus, quam apostolos putas? non ita despicias. Ter-
tiò multò adhuc ineptior est altera consequentia,
quam velut perspicuam supponis: fuerunt omnes
repleti spiritu sancto non semel, sed bis; & vt di-
cit ignatius *omnes vnum & eundem, eximum, bo- Ignat. ep. 6.*
num, verum doctorem acceperunt. ergo fuerunt aequè
prædicti potestate & iurisdictione in regenda Ec-
clesia. Nam, vt iam probaui, non tantum viri, sed
etiam fæminæ, repletæ sunt spiritu sancto non se-
mel, sed bis; omnes etiam fæminæ acceperunt eundem
Spiri-

Spiritum sanctum, bonum, eximum, verum doctorem. Hafne igitur pares Apostolis dicis vel charitatis feroore vel excellentia potestatis? Nimius tu Monarchiae hostis es, si Petro, ne solus Ecclesiam regat, etiam feminas regiminis socias & suppare in potestate Apostolica facias. Quarto tecum ipse aperte pugnas, cum dicis Apostolos æquè omnes inflammatos à Spiritu sancto? Quomodo n. hoc stare potest cū eo, quod millies scribis Petru feroore charitatis cæteris superiorem fuisse? Nam si superior feroore, certe ferventior & magis quam cæteri inflammatus à spiritu sancto fuit. Si fuerunt omnes (quod hic dicis) æquè inflammati in die Pentecostes; quomodo verum quod I. i. c. 9. n. 20. scribis eximum Petri præcatoris ferorem fecisse ipsum in die Pentecostes primum Euangeli prædicatorem? & n. 22. luce solis (inquis) clarissimus est Petrum feroventissimum Euangeli prædicatorem fuisse, & in hoc ceteros undecim facile superasse. Næ tu ad lumen non solis, sed Lunæ librum tuum exarasti, qui sic in scribendo inconstans es.

- Aet. I.*
6. Tertium argumentum; verba illa Petri (inquis) ad reliquos Apostolos paritatem magnam inter ipsos in officio toto Apostolatus inclusa Petro redolent, dum de Iuda proditore ait, qui connumeratus erat in nobis & sortitus est fortis Ministerij huius. In eundem ergo numerum ministrorum conyicitur à Petro Iudas & ipse Petrus. Ita tu: quam ineptè! quis enim, quod infers, inficias eat? Iudas Apostolus fuit aliquando in eodem ordine ministrorum Christi, quo Petrus. quid tum postea? parens ne propterea potestate omnes Apostoli fuerunt? nūgæ. Quam sit hoc vanum argumentum exemplo familiari tibi monstrabo. Jesuitarum Generalis Patres sui Ordinis alloquens, dicat ut merito potest. Ut olim Iudas in duodecim Apostolis, sic M. Antonius connumeratus erat in nobis, & sortitus sortem mi-

tēm ministerij huius. Hæc si vera sunt, recte quis con-
cluserit olim te Iesuitam fuisse, in eodem ordine, quo
Generalis ipse Ministrorum Christi: sed si perget
vterius inferre, ergo penitus pares sunt inter se Ie-
suitæ, nec ullus inter eos superior est; vel ergo M.
Antonius, Iesuita dum fuit, Generali par potestate
fuit; certè ineptissimus sit. Non igitur Petri verba re-
dolent Apostolorum inter se omnimodam parita-
tem; sed tu in subodorandis, quæ te delectent, falsita-
tibus vulture nasutior es.

Dico secundo. In Patribus, præsertim Cypriano & Hieronymo Petri primatus potius in uiolatus seruari debet, quam paritas Apostolorum. Probatur ex tribus regulis, quas ipse tu proponis in Patrum expositione seruandas.

Prima est l.i.c.7. n. 8. cum Patres, inquis, exponimus, non faciamus eos in suis sententijs, quod præcipue stabilire contendunt, id ipsum adiectis additionibus rursum euertere. Recte. Subsumo: Sed quod Cyprian. & Hieronym. in sententijs, quibus tu niteris, præcipue stabilire contendunt, est vnius capitilis inter Apostolos, & in Ecclésia potestas ad impedienda schismata. æqualitas verò adiectio est non pertinens ad substantiam sententiæ, quamque incidenter attingunt, cum expressa cautione, ne primatui vnius Petri obstat. Audi Hieronymum: *Quamvis, inquit, super omnes ex aq[ua] Ecclesiæ fortitudo solidetur, T A M E N ex duodecim unus elititur ut capite constituto schismatic tolleretur occasio:* Audi etiam Cyprianum cum eadem cautione de primatu & æqualitate inter Apostolos differentem. *Quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem tribuit potestatem, T A M E N ut unitatem manifestaret, originem unitatis ab uno incipientem suæ authoritate disposuit. Quis non videt æqualitatem in his Patrum sententijs adiunctionem esse, & Patres ex-*
prefce

pressè monere , ne talem intelligamus æqualitatem , quæ Petro inter Apostolos eripiat officium capitatis , quo reliqui in vnitate contineantur ? Igitur cum adiectio non pertineat ad substantiam sententiae , nec eam debeat euertere . certè hæc verba Hieronymi ; *vñus inter Apostolos eligitur , vt capite constituto schismatis tollatur occasio* , eundem nunc sensum habent , quem haberent , si nullam fecisset hoc loco Hieronymus paritatis Apostolorum mentionem , cuius nisi simul cum primatu mentionem fecisset , ita clara pro Petri primatu Hieronymi sententia fuisset , vt tu nihil haberes , quo vel ad speciem clarissimis eius verbis tenebras offunderes .

8. - Secundam regulam tradis lib. i. cap. 3. numero 7.
ad illa , inquis , Patrum verba glossæ & interpretationes adferantur , quæ per se clara non sunt , sed obscura. Libenter hoc accipimus : subsumo igitur . Sed verba Cypriani de paritate Apostolorum , per se clara non sunt , sed obscura ; nec nobis tantum obscura , sed etiam tibi : ni in irum Apostolos præditos fuisse pari consortio & honoris & potestatis , quæ verba tibi esse obscura sic probo . Illa propositio tibi obscura & difficilis esse debet , nec à te potest sine distinctione admitti , quæ cum tuâ doctrinâ , quam sæpe repetis , pugnat in terminis . Sed hæc Cypriani propositio , Apostoli fuerunt prædicti pari consortio , non tantum potestatis , sed etiam honoris , pugnat expressè cum doctrinâ tuâ , quam lib. i. toto capite quinto tradis , explicas & probas , Petrum inter Apostolos habuisse *Primatum dignitatis & honoris.* & cap. 7. num. 18. *Petrus , inquis , præses erat Apostolorum dignitate , & numero 18.* C H R I S T V S voluit ut Petrus ordine , dignitate , HONORE , & præcedentia omnes Apostolos anteriret . Nam si Petrus , reliquos honore præcessit , quo-

quomodo pares omnes honore , seu pari prædicti
consortio HONORIS? Igitur Cypriani senten-
tia tibi obscura est , nec à te potest , nisi tibi velis in
terminis contradicere , prout stat & iacet , ad-
mitti.

Addo tam difficilem & obscuram eam sententiam 9.
tibi esse , vt eam commodè explicare non possis. Ex-
plicatio enim , quam l.i.cap.7.num. 18. insinuas; lo-
qui Cyprianum de *honore publico* , quo fuerunt pares
Apostoli , non de priuato , quo fuerunt impares;
non satisfacit. Quoniam honor Petri , quo reli-
quos præcessit , non priuatus , sed publicus fuit ,
quod per tua dicta euinco. Ille honor publicus est ,
qui instituitur in aliqua communitate à supremo il-
lius Monarcha ob publicum bonum & perpetuam
pacem illius communitatis. Sed honor Petri , quo
reliquos præcessit , fuit illi tributus in communita-
te Apostolorum à Christo supremo eiusdem Mo-
narcha , ob pacem & unitatem in collegio Apostoli-
co conseruandam. Sic enim scribis l.i. c. 7. num.21.
Apostoli ne diuiderentur inter se , propterea Petrus à Chri-
sto constituitur præses & caput ipsorum. Igitur Honor
Petri , quo Coapostolos præcessit , publicus fuit : &
sententia Cypriani de pari consortio Honoris inter
Apostolos , quam iactas claram & perspicuam esse ,
tibi tam dura & difficilis est , vt vix eam vlla ex-
plicatione emollire possis , quin aduersum te pu-
gnet.

Tertia regula ; In sententijs Patrum , inquis l.i.c. 10.
3.n. 7. & c. 7. num. 18. clara qua sunt , in suo sensu prout
stant & iacent retineantur. Optimè mones: nunc audi.
Igitur hæc verba Hieronymi ; inter duodecim unus ea-
lectus est , vt capite constituto schismatis tolleretur occa-
sio ; glossanda non sunt , cum pro Petri primatu
clarissima sint. Quis enim , cum audit unum in
com-

communitate aliqua caput constitui ad dissensiones tollendas , & pacem in ea communitate conservandam , tam stupidus est , vt in his verbis aliud intelligat , quam bono pacis vnum ceteris superiorem præfici Dicis l.i.c.7.nu.21. Christum Petrum ceteris prætulisse , ut capite inter ipsos constituto , mysterium unitatis ab Apostolis intelligeretur , & se agnoscerent in vnum corpus redactos , à quo si se diuellerent , schismatis futuri essent . Hæc saepe verbis alijs & alijs verbose repetis ; sed vel Petri primatum concedis vel prorsus nihil dicis . Si vis Apostolis ex hoc quod Petrus caput inter ipsos constitueretur intellexisse , se reductos in corpus Monarchicum sub capite Petro , qui reliquis membris præcesset , rectè nobiscum Ecclesiam Republicanam Monarchicam , & Petrum primum illius Monarcham à Christo constitutum intelligis : sin autem intelligas Apostolos ex Petro capite constituto conclusisse se redactos in corpus Aristocraticum sub nullo uno capite , nihil dici potest ineptius . Quid enim ? caput vnum inter ipsos Christus constituit , ut intelligerent se redactos in corpus Acephalum , quod capite careret ? Vnum præsidem Petrum ordinavit , vt scirent se communitatem esse , cuius nullus Princeps esset , sed simul omnes cum pari potestate imperarent ? Non ita fecit Sapientia Christus : non ita sensit Sapientiae discipulus Hieronymus , cuius mens est Petrum à Christo constitutum verum præsidem & caput Apostolorum . quod euidenter probo ex tribus sententijs eius quas dum exponis Hieronymum offudisti .

¶ In primis l.i.c.7.n.21. Vnus inter duodecim eligitur , hoc est (inquis) Christus ipsum cætum Apostolicum moluit suum præsidem & caput habere , qui ordine , dignitate , honore & præcedentia omnes anteiret , & representaret , hoc est , negotia omnia maioris momenti & seria , omnium nomine exp-

ne expediret. Hinc formo argumentum. Qui iure ab-soluto & à communitate independente , potest eam totam repræsentare,& negotia eius omnia, quæ per-tinent ad eius statum,expedire,verus illius commu-nitatis superior est & Princeps. Sed Petrus Christi constitutione,hoc est,iure diuino & ab Apostolis in-dependente , poterat eos omnes repræsentare & ne-gotia omnium nomine expedire.Igitur verus eorum Superior & caput erat.

Secundo l.i.c.8.num. 9. verba Hieronymi , inter duodecim vnum eligitur , qui caput constituatur , sic explicas : *hoc est,ne collegium Apostolicum vnitatem amitteret , Petrus Christi institutione vinculum illius factus est.* Ex hoc tuo dicto sumitur fortissimum argumentum pro vero Petri principatu.Nam vinculum vim habet & potestatem , non significandi sed efficiendi vni-tatem ; quippe quod plura in vnum stringere etiam re-nitentia potest. Sed Petrus Christi institutione fa-ctus est vinculum Apostolici chorū , ad vnitatem ef-ficiendam , diuisionemq; tollendam. Petrus igitur habuit à Christo potestatem , quam vocant coacti-uam , qua reliquos Apostolos ad vnitatem & pacem compellere potuisset,si forte repugnassent.

Tertio l.2.c.3.nu.137.*Hieronymus,inquis,summam Hieron. ad-necessitatem vnius Episcopi in singulis Ecclesijs expreſſit, uers.Luci-dicens;* Ecclesiæ salus à summi Sacerdotis dignitate fer-pendet,cui si non exors quædam & ab omnibus emi-nens detur potestas , tot in Ecclesijs efficientur schis-mata,quot Sacerdotes. Accipio dictum Hieronymi , & sic arguo: Caput , quod non est præditum exorti quadam & ab omnibus eminenti potestate , non est aptum neq; sufficiens vt schismata impedit inter Sa-credotes : sed teste Hieronymo Christus constituit Petrum in Ecclesiâ caput, vt tollerentur inter Sacer-dotes schismata : nec dubitari potest , quin Petrum

144 MONARCHIAE ECCLESIASTICAE,
idonea ad hoc munus potestate munierit. Igitur con-
stituit Petrum caput & Præsidem inter Apostolos &
Sacerdotes Ecclesiæ cum exorti quadam & super o-
mnes eminenti potestate ; & ita , secundum mentem
Hieronymi , Petrus caput non honorarium tantum,
sed etiam potestatiuum inter Apostolos fuit. Quod
etiam clarissimè docuit Cyprianus ut superiori capi-
te ostensum est.

Ex dictis constat, si necesse sit alterutrum, vel ve-
ram æqualitatem potestatiuam Apostolorum inter
se, vel verum Principatum potestatiuum Petri nega-
re, potius æqualitatem, quam Principatum negandum
nobis else. Nunc restat videamus an pugnant?

ARTICVLVS II.

*An æqualitas potestatis inter Apostolos absq; vlla essentialis
differentia, cum Principatu potestatiuo vnius
pugnet?*

12. **D**ico primò , subditus vero superiori suo vere
par esse potest in cura pastorali ; atq; adeo vera
paritas Apostolorum cum Petro , non pugnat cum
vera eius superioritate super ipsos. Probatur ex dog-
mate quodam tuo, quod licet falsum sit, nihilominus
inde satis ostenditur , quām sis parum consideratus,
quantaq; leuitate cuncta à te Reipub. tuæ fundamen-
ta euertantur. Doces Presbyteros & Parochos diuino
iure curæ pastorali Episcopi subditos esse cum vera
Episcopi super eos superioritate; tamen eodem diui-
no iure Presbyteros pares in cura Pastorali Episcopis
esse. Quod Episcopo Presbyteri subsint afferis l. i. c.
12.n. 20. *In una Ecclesia , inquis , vni Episcopo subduntur
Paroch. & illius Ecclesia ministri iure diuino.* Quod in E-
piscopo sit in ipsis superioritas affiras l. 2. c. 3. nu.
20. *Episcopi inquis , etiam in initis Ecclesia primitiæ*
præ-

*praeerant & sane cum verâ superioritate & praeminentia
supra Presbyteros. Quod sint in officio Pastorali pares
Episcopo sine differentia essentiali dicis aperte l.2. c.
9.n 1. In essentialibus, inquis, quæ spectant ad Ecclesia-
stica ministeria erga fideles populos exercenda Presbyteri
sunt Episcopis. PENITVS æquales & n.5. Nos, Episcopi,
meminisse debemus Presbyteros omnes esse nostros fratres,
& collegas in ministerio, non famulos, non mancipia, eosq;
iure diuino NON MINOREM habere in pascendo populo
Dei POTESTATEM. quam nos habemus. Idem sæpiissi-
mè repetis. Ex hoc dicto ego tria infero.*

Primum est te Rempub. tuam Ecclesiasticam hoc 13.
dicto à fundamento euertisse; quod sic ostendo. Di-
cis Apostolos in essentiali potestate Apostolatus Pe-
tro penitus æquales fuisse. In hoc argumento afferen-
do toto libro primo desudas. Hoc, ut putas, probato
inscrs c. 3. n. 31. *Si fuerunt Petro in potestate Apostolica
pares, certè Petro quoad potestatem subditi esse non possunt.*
& c. 3. n. 7. *Si potestate sunt omnes pares, ergo non est Pe-
trus potestate supremus.* & c. 7. nu. 18. *Si Petrus Princeps
cum iurisdictione constituitur supra cæteros, non ergo erunt
ei cæteri Apostoli pares in honore, iurisdictione & potestate,
sed longè inferiores.* Hanc consequiam millies repe-
tis & tanquam per se notam supponis, cui tota moles
Reipub. tuæ incumbit. quæ tamen consequentia ex
tuo dogmate, Parochos curæ pastorali Episcopi ve-
rè subdi, & tamen in potestate Pastorali Episco-
po penitus æquales esse, ruinosa & nulla conuin-
citur. Nam si possunt Parochi in cura Pastorali pa-
res Episcopo, Episcopo tamen quoad curam Pa-
storalem subdi, cur non poterunt reliqui Apo-
stoli Petro in potestate pares, tamen Petro quo-
ad potestatem subiici, eo quod PETRVS eam,
quam cæteri potestatem excellentius & cum sin-
gulari quadam eminentia habeat? Si cura pastoralis

Episcopi potest sead curas Pastorales Parochorum extendere easque sub se comprehendere, quamuis Episcopali pastoratui penitus pares, cur non potuit cura Pastoralis Petri Petro singulariter, principaliter & longe magis quam ceteris à Christo demandata curas Pastorales Apostolorum quamvis suæ pares sub se continere?

14. Secundo infertur vanissimum esse argumentum, quo sæpiissime vteris, reliquos Apostolos Petro subditos non fuisse, eo quod collegæ, fratres, & socij Petri dicantur; l.i.c.ii.n.5. Omnes, inquis, Apostoli sunt inter se fratres, vbinam igitur Petri primatus & superioritas inter Apostolos: & n.24. ex eo quod Paulus dicatur collega Petri, & coapostolus, arguis Petrum non fuisse Paulo præfectum cum verâ superioritate. Hæc autem omnia inaniter dicere conuinceris hac vna instantia, quod Presbyteros socios, collegas, fratres comministros Episcoporum appelles, & tamen Episcopos illis cum vera superioritate & præminentia præesse fatearis. Cur igitur Petrus coapostolis, collegis & fratribus verè præfuisse dici non potest?

15. Tertio infertur mirabilem esse audaciam tuam l.i.c.22. n. 18. Vbi Catholicis obijcientibus tibi S.

L. I. ep. 6. Cyprianum, quod Cornelium Pontificem Romanum vocet vnicum Pastorem gregis Dominici, ad quem applicat illud Euangeli Grex unus & unus Pastor, sic respondes. Quomodo potest Cyprianus, si non deliret, hoc loco intelligere Cornelium vnicum Pastorem totius Ecclesie, qui dicit alibi, Pastores multi sumus & vnum gregam pascamus? Hæc tu: an pugnantia inter se diuersis locis scribere nemo possit nisi deliret, tu visideris; hoc scio te dum hoc loco vnicum Pastorem & multos pastores in eadem Ecclesia pugnantia facis, cum dictistuis alibi pugnantia scribere. Nam quæro à te an non Episcopus in vna Ecclesia unus sit? affir-

L. 3. ep. 13. mas,

mas, eiq; vni Parochos & ministros subdi iure diuino, quod etiam affirmat Cyprianus, vnicum in Ecclesia Dei esse loco Christi Sacerdotem. Secundo quero an non Parochi Pastores sint afferis: imo addis, *Parochos Pastores esse iure diuino in pascendo Dei populo Episcopo non minores.* Igitur, te fatente, vnicus in Ecclesia particulari Sacerdos & plures Sacerdotes; vnicus Pastor & multi Pastores; vnum, qui præfit, multi, qui parent; vnum Supremus, multi inferiores quænam hic repugnantia? Cur igitur Cyprianus delirus si vnicum in Ecclesia Dei Pastorem poneret & multos; vnum supremum, cui totus & integer Christi grex pareat; multos inferiores, quorum singuli singulas gregis huius integri partes in solidum pascant?

Dico secundo. Vera paritas Apostolorum cum Petro,^{16.} sine vlla differentia essentiali, cum vero Petri super ipsos Primatu facile conciliari potest. Hæc conclusio patebit, si modus, quo concilientur inter se vera paritas & verus Primatus explicetur. Modus autem est; si omnes Apostoli habeant potestatem vniuersalem gubernatiuam Ecclesiæ, Petrus vero eandem, quam cæteri multo excellentius, & specialius, & in longe eminentiori gradu, quam cæteri, seu Primatum, quem l. i. c. 10. n. 24. vocas comparatiuum. Hoc in casu in primis Apostoli pares erunt Petro potestate sine differentia essentiali, quia quæ differunt inter se secundum magis & minus in eadem specie non differunt essentialiter. Sed (nostro posito casu) Apostoli quoad potestatem vniuersalem gubernatiuam Ecclesiæ different secundum magis & minus in eadem specie, quia vndecim haberent hanc potestatem cum paritate inter se & in eodem gradu, Petrus autem idem genus potestatis excellentius, specialius & in gradu supremo, multoque magis quam cæteri. Igitur hoc in casu non est inter Apostolos essentialis

differentia potestatis. Nihilominus quod hoc casu posito in Petro esset verus Primatus potestatis probatur ex eo quod tu Petro tribuis simpliciter & absolutè primatum ferooris & charitatis inter Apostolos, & tamen Petrus non habuit altius genus charitatis quam cæteri Apostoli, sed eandem prorsus si speciem species & sineulla differentia essentiali, tantum in excellentiore gradu. Igitur cum habeat in nostro casu (quem tu concedis, ut infra ostendam) potestatem Ecclesiæ gubernatiuam & excellentius, perfectius, & in multo maiori gradu quam cæteri, habet inter Apostolos simpliciter & absolutè primatum potestatis. Nam excellentia in eadem specie si non sufficit ad verum primatum, cur propter excessum charitatis in eadem specie tribuis Petro verum primatum charitatis si sufficit, cur Petro negas verum primatum potestatis, si quod affirmas ut infra ostendam, reliquos Apostolos auctoritate, in eadem tamen specie auctoritatu excelluit?

17. Secundò probatur conclusio & explicatur ex ipsâ naturâ rei. Nam potestas gubernatiua speciem sumit ex actibus, quos erga subditos exercere potest. Nam si actus omnes, quos una potestas exercet, sint eiusdem generis cum actibus, in quibus exercendis alia versatur, potestas utraque eiusdem generis erit, quamuis subditi unius principis nobiliores quam subditi alterius sint; hoc enim non variat essentiam potestatis. Sicut calidum in gradu octauo, quia frigida perfectiora sibi inferiora habet & ea vincere potest, non differt specie quoad potestatem calefactiuam à calido in gradu quarto, quamuis hoc frigida minus perfecta sibi subdita habeat & vincat. Hoc modo potestas vniuersalis gubernatiua Petri cum sit sublimior in eodem genere potestatis, multoque eminentior quam reliquorum Apostolorum,

rum, habet sibi in potestate inferiores nobiliores personas, quam reliqui Apostoli habeant, nimirum ipsos Apostolos & omnes, qui in Ecclesia Christiana sunt, in quos agere pro sua potestate possit: non tamen specie differt à potestate Apostolorum; quia quicquid Petrus potest in suos subditos vniuersalis Ecclesiæ, reliqui Apostoli possunt in suos. Quod autem subditi Petro sint nobiliores & plures, nimirum prorsus omnes, qui sunt in Ecclesia, non variat speciem potestatis. Hæc tamen excellentia, quamuis non ei tribuat diuersum genus potestatis, tamen Monarcham totius Ecclesiæ cum facit. Nam cum Petrus multo superior & eminentior sit, quoad potestatem ligandi & soluendi reliquis Apostolis & omnibus, qui in Ecclesia sunt: sequitur omnem potestatem, quæ in Ecclesia est, Petri potestati subijci, omnem aliorum potestatem soluendi eius potestati ligandi, omnem aliorum potestatem ligandi eius potestati soluendi subordinari. Ratio est, quia omnis potestas ligandi, quæ minor & inferior est, pendet à potestate soluendi, quæ maior, & potentior est; & contra potestas soluendi minor & inferior pendet à potestate ligandi, quæ maior & potentior est, si circa eandem Remp. seu subditos vtraque versetur. Sed ponimus te concedente, ut mox patebit, potestatem ligandi & soluendi Apostolorum in gradu esse longe minorem & inferiorem, potestate ligandi & soluendi quam Petrus habet. Vtraque autem tam Apostolorum minor, quam Petri maior versatur circa eosdem subditos, nimirum circa totam Ecclesiam Christianam. Igitur potestas ligandi & soluendi Apostolorum pendet à potestate ligandi & soluendi, quam Petrus habet. Hoc euidentius patebit, si quem ex Apostolis v.g. Iacobum cum Petro conferamus. ponamus Iacobū Ecclesiam

clesiam ligare ieiunium imperando; in illo præcepto pendet à potestate soluendi, quam Petrus habet, si quidem si Petrus soluat, Iacobus ligare Ecclesiam non poterit, quia supponimus Petrum longè maiorem & excellentiorem potestatem soluendi accepisse à Christo, quām Iacobus acceperit ligandi. E contra verò si Petrus liget, si ieiunium Ecclesiæ imperet, soluere contra Petrum Iacobus non poterit, cum sit eius potestas soluendi, quam Petri potestas ligandi longè minor. quando autem duo prædicta potestate concurrunt, quod fortius est, in Physicis præualet, in moralibus præualere iure meritoq; debet. Igitur posita in Petro hac graduali excellentia eiusdem potestatis supra cæteros, quoad regimen Ecclesiæ, sequitur euidenter omnem potestatem, quæ est in Ecclesia Petro lubijci, omnes claves clauibus Petri subordinari, vt contra Petrum soluere & ligare nemo possit, contra reliquos soluere & ligare solus Petrus, si iustum videatur, possit.

18. Tertio, quod posita in Petro hac eminentia potestatis Ecclesiasticæ sequatur cum Monarcham, hoc est, vniuersale caput Ecclesiæ fieri, probatur hac ratione. Quando plures gubernatores pertinent ad idem corpus politicum & regunt eandem communitatem fieri non potest quin & minores potestates maioribus subijciantur, & is qui vnuis cæteris omnibus vniuersali potestate eminentior est, sit caput & Princeps illius communitatis. Ratio huius manifesta est, quia potestas gubernativa vniuersalis & amplissima vbiique se per totam illam communitatem & singulas illius partes diffundit; & vbiq; est, cùm sit sumpta cui nulla sit par, vbiq; eminet & cæteras potestates tanquam sibi inferiores & subditas respicit. Semper enim quando duo, quorum vnum superius, alterū inferius est, concurrunt, necesse est superius eminere,

minere, inferius subijci. Sed cum potestate Petri necesse est potestatem omnem, quæ est in Ecclesia concurrere, cum vniuersæ Ecclesiæ gubernandæ potestatem habeat. Igitur necesse est omnem potestatem, quæ in Ecclesia est, Petri potestati subijci. Fieri quidem potest, ut potestas minor non subordinetur maiori, quando vtraque non pertinet ad idem corpus politicum. Sicut potestas Proregis Hiberniæ quamvis minor sit potestate Regis Galliarum non tamen illi subijcitur. In ipsis autem Gallijs nulla potest esse potestas, vel in toto regno, vel in villa eius parte, quæ non potestati Regis subordinetur. Nam si esset potestas in Gallia, quæ Regiæ non subijceretur, sequeretur vel potestatem Regiam non esse supremam cui nulla alia par sit, vel quamvis suprema sit, non tamen se ad vniuersam Galliam & singulas eius partes extendere. Igitur in corpore politico si ponatur suprema vnius vniuersalis potestas, necesse est eam eminere & esse caput, & reliquas potestates omnes ad illud corpus pertinentes sibi subijcere. Sed in Ecclesia, quod est corpus politicum à Christo institutum Apostoli gubernatores fuerunt, inter ipsos autem Petrus Christi institutione habuit potestatem vniuersalem amplissimam, quam longe ceteris eminebat, vtpote cui Christus curam seu ius regendi totam Ecclesiam commisit multo magis quam cæteris, (vt quodam loco dicis) & maximè omnium. Igitur in corpore Ecclesiæ necesse est Petri potestatem velut caput eminere, & reliquas omnes curas & officia sibi subijcere, quod est totius Ecclesiæ supremum Principem seu Monarcham esse.

Quarto (quia cupio hoc tibi manifestissimum fieri) explicatur similitudine, quam tu affers, & eā putas contrarium confirmari. Si Dominus vineæ postquam pluribus operarijs vineam commendasset, vni

152 MONARCHIAE ECCLESIASTICAE,
ex illis, cui maximè fudit, magis, impensius, singulariter & supra cæteros illam committeret; non sequeretur, inquis, eum supra cæteros vllam potestatem accipere, quod attinet ad culturam vineæ & curam, cum is nihil sit aliud, quam vnu ex colonis, quatuor præcipiuus. Hæc tu l.i.c.7.n. 17. Sed mirum te non minus in rebus rusticis, quam Theologicis imperitum esse. Certè enim sequitur colonum, cui Dominus præ cæteris singulariter vineæ suæ totius curam publicè cæteris audientibus tradit, reliquorum colonorum in rebus spectantibus ad vineæ illius culturam superiorem esse, nec posse vllum ex alijs in illa vinea, hac cognita domini voluntate, nisi cum dependentiâ & subiecione ad colonum cæteris prælatum laborare. Quod per se patet: quia cum Dominus huic colono tradat publicè & coram omnibus curam præcipuam in totam vineam & singulas illius partes, quoad omnia officia, quæ spectant ad vineæ culturam, sequitur reliquos colonos nihil in tota vinea vel vlla illius parte operari posse, in quo & vbi præcipui totius vineæ curatoris potestati subditi non sint. Igitur quicunq; sint, quicquid faciant, vbiunque laborent, sub illius cura continentur. Similiter si Christus commendata reliquis Apostolis Ecclesia, tamen Petro singulariter præ cæteris omnibus curam & ius eam regendi commisit, quoad omnes & singulas eius partes, quoad omnia officia, quæ ad gubernationem illius spectant, quis non videt Ecclesiam Christi ad Petri curam præcipue pertinuisse, nec potuisse in ea vel in vlla eius parte reliquos Apostolos nisi sub Petri simul cum ipsis laborantis cura laborare? Iam supereft ut videamus an Catholici concedamus Apostolis æqualitatem potestatis cum Petro sine differentia essentiali; & an tu in eâdem specie potestatis primatum atque ad co Monarchiam Petro tribuas?

ART L

ARTICVLVS III.

An Apostoli pares Petro fuerint quoad genus potestatis sine differentia essentiali?

DIc o primò, fuit inter Apostolos omnes vera æ- 20.
qualitas honoris & potestatis, absque vlla eslen-
tiali differentia. Pares enim fuerunt Apostoli in his
sex priuilegijs. Primò quod fuerint omnes testes o-
culati vitæ & resurrectionis Christi. Secundò quod
prædicti fuerint singulari gratia miraculorum & do-
no linguarum. Tertiò quod doctrinam immediate
hauserunt è cœlo ex reuelatione Spiritus sancti.
Quartò quod dum docerent Ecclesiam errare non
possent, siue verbo, siue scripto. Quintò quod fue-
rint à Christo immediatè legati & missi. Sextò quod
habuerint singuli amplissimam potestatem conuer-
tendi infideles, & à se conuersos gubernandi, nec a-
liquid erga fideles vel infideles poterat Petrus quod
reliqui non poterant. In his gratijs & priuilegijs se
confert Paulus summis Apostolis, quem dicit Theop-
hylactus *cum primo facilè conferendum, nec vlli secun- Leo serm. 1.
dum; & S. Leo cunctos Apostolos electione pares af- in natali
firmat.* *Apost.*

Quare magna est tua, vt ego quidem sentio, non 21.
tam malitia, quam infictia & præcipitania in scri-
bendo, qui l.i.c. 4. num. 7. dicis *pafsim Monarchicos*
contra Sacra Scriptura & Sanctorum sensum docere, re-
liquos Apostolos legatos Petri fuisse; & num. 9. *in gu-*
bernatione Ecclesia processisse, non nisi autoritate Pe-
tri sibi commissa: nominatim verò Caietanum in-
cufas. Certe, inquis, nescio, quâ fronte audeat Caie-
tanus hoc suum dictum de legatione Apostolorum à Petro
probare

probare ex illis Pauli dictis, legatione pro Christo fungimur,
 & legatione fungor in catena. Bone Deus ! itane Sacris ad
 voluntatem, ne dicam ad libidinem abutiri scripturis ! Audi
 Antoni. Tu nescis quâ fronte scripsiterit Caietanus :
 ego vero optimè noui quâ tu fronte scribas ; non di-
 cam fronte perfictâ, sed rugatâ. Scribis iratus, scribis
 furore præceps. ira memoriam tuam turbat, quæ lu-
 brica alioquin à naturâ tibi est , nec libris scribendis
 idonea. Hinc euenit (quod tibi euenturum in Synopsi
 mea te monueram,) ut sepe & turpissimè labaris. Non
 dicit, quod illi imponis, Caietanus. contrarium dicit
 illo ipso loco quem citas ; nec tantum dicit, sed etiam
 fusè probat. Quæres hoc quî probem ? Possem ipsum
 Caietani verba , quibus affirmat Apostolos, non à
 Petro sed à Christo potestatem accepisse, & argumen-
 ta, quibus hoc ipsum confirmet plurima adferre. Sed
 non est necesse : hoc, ut cetera, ex tuâ confessione pro-
 bare facile est ; qui nihil vñquam vno loco dices cu-
 ius oppositum alio loco non sis dicturus. Nam qui c.
 4.n.7. Caietanum accusas, quod tract. de authorit. Pa-
 pæ & Concil. c.3. dicat Apostolos legatos Petri fuisse,
 & ab eo potestatem accepisse ; ipse tu paulò antè vix
 l.i.c.3. n.17 vno interposito folio, nimirum. c.3.n.17. Caietanum
 laudaueras , quod illo ipso loco contrarium dicat &
 probet. Caietanus, inquis, in suo tractatu de authorit. Pa-
 pæ & Concil. c.3. concedit & Scripturis aperte probat Apo-
 stolos non habuisse Apostolatum mediante Petro, sed imme-
 diatè ab ipso Christo Iesu, vnde fatetur, quod Apostoli, quoad
 Apostolatus authoritatem fuerunt aequales simpliciter , &
 quod hanc potestatem habuerunt à Christo Iesu immediate
 sicut & Apostolatum. Hæc omnia de Caietano dicis &
 de illo tract. & cap.3. illius tractatus, dicis cōmendans
 eum quod Apostolos faciat legatos à Christo imme-
 diatè, & ab eo potestatem accepisse : in quem modo,
 quasi contrarium illo ipso loco dicat, te furentem au-
 diuimus.

diuimus. Addo Caietanum non solum illo ipso c. 3. se-
pius assertere, apertè probare Apostolos fuisse legatos
Iesu Christi, non Petri: sed etiam hoc ipsum apertissi-
mè affirmare illis ipsis verbis, quæ tu citas, quasi per
illa faceret Apostolos legatos Petri. tam parum intel-
ligis quæ legis. Nam statuens differentiam inter Pe-
trum & reliquos Apostolos, *Petrus*, inquit, *factus est*
Vicarius generalis Iesu Ch. isti, alij vero facti sunt velut le-
gati seu delegati eius. Hic apertè dicit Apostolos fuisse
legatos eius, cuius Petrus erat vicarius generalis,
nimirum Iesu Christi, hancq; esse propriam differen-
tiā inter Petrum & alios, quod vtrique quidem re-
spiciant Christum sed Petrus Christum respiciat tan-
quam illius Vicarius, pro tota Ecclesia, inclusis etiam
Apostolis; reliqui vero ad Christum referantur, non
tanquam Vicarij generales illius pro tota Ecclesia
simpliciter inclusis Apostolis; sed tanquam legati
vniuersales missi à Christo immediatè cum potestate
amplissima Euangelium vbique disseminandi. Hoc
illud est, quod testimonij Pauli Caietani probat, le-
gatione pro Christo tungimur, & legatione fungor in
catenâ. Sed tu, qui vix vñquam tua, nedum aliorum
verba penitare soles, nec Grammaticâ satis imbutus,
pronomen relativum *E i v s*, non ad Iesum Christum,
qui immediatè in sententiâ Caietani præcesserat, pro-
ut Grammatica præscribit, sed ad Petrum qui longis-
simè aberat, refers, monstrumque, quod in Caietano
non inuenis, in tuo cerebro cōfingis, contra quod cla-
mas, seu boas potius, *itane sacris ad libidinem abuti Scripturam!* Vides, opinor, quam sit hoc turpe.

Pari socordia Bellarminum legis, & male intelle- 22.
ctum ferociter impugnas l. i. c. 7. nu. 12. quasi dixerit
totam plenitudinem potestatis Ecclesiastice contine-
ri in clauibus Petri, nō verò in clauibus aliorum Apo-
stolorum. *Quoniam, inquis, potestatem ligandi & soluendi*
in om-

*in omnibus Apostolis aquam inuenimus ac in Petro vt aliqua diuersitas emergat (alioquin actum esset de Petri primatu ex illis verbis Tibi dabo claves) ecce tibi nouam Bellarmini subtilitatem, in potestate ligandi & soluendi latitudinem quandam dari, vt ligare & soluere peccata , sint actus partiales huius potestatis, non totales : nam soluere & ligare præterea accommodantur, vbi dantur præcepta & leges, & vbi pœna & supplicia inferuntur. Cum ergo Petro generaliter dicitur, quicquid solueris, datur ei potestas præcipiendi, dispensandi, puniendi, remittendi, & proinde fit Princeps & Iudex omnium, qui sunt in Ecclesia. Hæc tu in Bellarmino confingis: deinde varijs interrogatiunculis Bellarminum oppugnas; qui constet illi verba , *Quacunque solueritis dicta omnibus Apostolis, nō esse æquè generalia ac quodcumque solueris*, quæ dicuntur vni Petro? quomodo Petrus habuerit solus vel potestatem præceptiuam, cùm Paulus præcepta det toti Ecclesiæ? vel punitiuam, cùm Paulus minetur se in virga venturū? Ita pugnas, Antoni, aduersus capitum tui vana figmenta. Nusquam enim dixit Bellarminus in clauibus aliorum Apostolorum à Petro non contineri totam latitudinem potestatis soluendi & ligandi, nusquam dixit verba dicta Apostolis, *Quacunque solueritis non esse æquè generalia ac sunt illa dicta vni Petro, quodcumq;**

L. de Rem. Pont. c. 13. solueris? Audi quid scribat illo ipso loco, quem citas. Ita generaliter, inquit, dicitur *Apostolis omnibus, quacunque solueritis, ac dictum est petro, quicquid solueris.* Quid? tu qui hoc loco in Bellarminū ob negatā Apostolis, plenitudinem potestatis tam acriter insurgis, eum alibi ob eam illis attributā magnoperè laudas l. 1.c.3.n.20. his verbis: *confessionem æqualitatis inter omnes Apostolos adhuc libentius accipio ab illustrissimo Bellarmino, qui fateatur totam plenam iurisdictionem Ecclesiasticam omnes Apostolos à Christo Domino æquè & immediatè habuisse.* Hæc citas ex Bellarmino & quanquam illud (æquè) Bellarmini

Bellarmino non sit, sed ex tuo capite in textum irreperitur, tamen apertissimè ille agnoscit, & frequentissimè in omnibus Apostolis plenitudinem potestatis. Erras igitur toto cœlo, Antoni, à mente Bellarmini, dum putas eum, cum dicit potestatem soluendi & ligandi non solum ad peccata, sed etiam ad præcepta, leges, pœnas, supplicia extendi, voluisse amplitudinem potestatis Petri præ potestate aliorum Apostolorum aperire. Non hoc probare voluit Bellarminus, sed ostendere, quām ampla & plena potestas in clauibus vel aliorum Apostolorum vel Petri contineatur. Contra Caluinum enim disputat, qui potestatem soluendi & ligandi ad peccata restringit, nec ea quidem verè solui aut ligari contendit vi clauium, sed tantum ligata vel soluta esse pronunciari. Hunc errorem refutat Bellarminus, probatque in clauibus tam Petri quam Apostolorum tribui plenitudinem potestatis in uniuersam Ecclesiam: claves vero Petri à clauibus cæterorum in hoc differre, quod horum claves non se extendant ad omnes, qui sunt in Ecclesia, (non enim Iacobi claves ad Coapostolos regendos & gubernandos se porrigit;) Petri verò, quia singulariter illi traduntur, ad totam Ecclesiam si extendere, ad omnes prorsus, qui in ea sunt, & ita sit Princeps, & Iudex omnium, qui in Ecclesia sunt. Itaque hæc differentia inter claves Petri & claves aliorum Apostolorum, quod illæ contineant, hæc non contineant totam latitudinem soluendi & ligandi, non est Bellarmini noua subtilitas, sed tua prisca simplicitas, ne dicam perpetua stupiditas, qui quos legis authores, sanè nunquam intelligas. Ut autem videoas quantum debetas Bellarmino, qui tibi concedit singulos Apostolos habuisse plenitudinem potestatis in totam Ecclesiam,

Dico

23. Dico secundo Apostolos singulos habuisse plenitudinem potestatis in vniuersam Ecclesiam, tibi gratias concedi: Hoc enim ex Sacra Scriptura non probas, nec verò probare euidenter potes. Conclusio ostenditur expendendo singula loca, quæ possunt ad hoc confirmandum adduci. Primus & præcipiuus est Matthæi 26. cum Christus dixit Apostolis ; *docete omnes gentes.* Ex hoc autem loco non probari vniuersalem cuiusuis Apostoli potestatem, ostendo. quia nulla potestas per hæc verba datur singulis Apostolis, quæ nō sub præcepto detur, vt potestatem, quam singuli accipiunt, singuli exercere teneātur: Christus enim dando potestatem exercitium illius imperat, *docete omnes gentes.* Sed singulis Apostolis non præcipitur *docere omnes gentes* Euangeliū prædicando: neque enim singuli singulis & omnibus gentibus Christum annunciauerunt. Igitur vniuersalis potestas hoc loco non sicut data Apostolis singulis diuisim, sed omnibus coniunctim cum præcepto, vt terrarum orbem inter se ita diuiderent, vt Euangelij notitia per omnes se gentes eorum prædicatione diffundiret. Secundo: et si habuerint singuli Apostoli plenam potestatem omnibus infidelibus Euangelizandi: qui probas habuisse potestatem vniuersalem in omnes fideles non à se tantum, sed etiam à coapostolis conuersos, potestatem inquam gentes omnes iam Ecclesiæ factas cum plenissima potestate regendi? Hoc qui probetur non video. imo singulos Apostolos potestate hac vniuersali plenissimâ suis præditos non videtur posse consistere cum singulari iure & authoritate, quam singuli Apostoli habebant in Ecclesiæ, quas ipsi fundauerant. Quod ius suum in Corinthios Paulus valde exaggerat. Nam si singuli Apostoli habuerint peculiare ius in Ecclesiæ, quas fundarunt, Igitur reliqui Apostoli in illas Ecclesiæ vel

vel nullam habebant potestatem, vel certè non plenam & absolutam, sed ab Apostolo illarum fundatore dependentem.

Secundus locus est Ioan. 20. *Sicut misit me Pater & 24.*
ego mitto vos. Sed hic locus non explicat ad quos mittantur; nec an singuli ad vniuersos. Imo si quod tu dicas, verum esset, nimirum per oves Christi Petro commissas intelligi solas Israeliticas, quæ erant propriæ oves Christi, vt ipse testatur: *non sum missus, nisi ad oves quæ perierunt domus Israel;* multo probabilius dici potest, Apostolos per verba Christi, *sicut misit me pater & ego mitto vos,* ad solos Israelitas mitti; nam si Israelitæ quia specialiter oves Christi sunt, cum Christi oves absolute Petro committuntur, soli intelliguntur: cum Christus singulariter, imo solum missus fit ad oves quæ perierunt domus Israel, certè cum mittit Apostolos absolutè sicut ipse missus fuit à Patre, non mittit eos nisi ad regendos & gubernandos Israelitas.

Tertius locus Matth. 18. *quacunque alligaueritis e 25.*
runt alligata & in Cœlis promittitur quidem Apostolis amplissima potestas in subditos suos: sed qui subditi eorum futuri erant, & an singuli habituri essent in totam Ecclesiam plenissimam potestatem nihil hoc loco dicitur.

Quartus locus ad Ephes. 2. *fundati super funda-* 26.
mentum Apostolorum & Prophetarum. Sed hoc loco, non regimen sed doctrina Apostolorum dicitur Ecclesiæ fundamentum. Hoc ostendo; quia hoc loco Prophetæ dicuntur non minus quam Apostoli Christianæ Ecclesiæ fundamenta; sed Prophetæ non sunt nec fuerunt Ecclesiæ Christianæ fundamenta ratione regiminis sed ratione doctrinæ. Igitur ex hoc loco non potest probari regimen Apostolorum esse Ecclesiæ fundamentum.

27. Quintus locus Apocalyp. 21. Hierusalem cælestis describuntur *fundamenta duodecim*, & in eis nomina *duodecim Apostolorum Agni*. Hoc autem loco probatur singulos Apostolos partem orbis ad Christum conuertisse, & Ecclesiarum quas fundarunt rectores fuisse, non potest autem colligi singulos fuisse totius Ecclesiæ Rectores & Pastores & Capita.
28. Sextus locus 2. ad Cor. c. II. vbi Paulus dicit sibi incumbere sollicitudinem omnium Ecclesiarum. Sed primo dici potest Apostolum per omnes Ecclesias intelligere omnes quas ipse fundauerat, que quia plurimæ erant simpliciter omnes dicuntur. Secundo dici potest loqui Apostolum, non de sollicitudine, quæ illi ex officio Apostolico necessariò incumberet; sed quam illi magna eius Charitas spontaneè imperabat. Nam de hac eum loqui verba indicant, quæ statim subdit. *Quis infirmatur, & ego non infirmor?* *quis scandalizatur, & ego non vror?* quæ verba clarè significant Apostolum loqui de charitatiâ curâ, quæ dolet de aduersis, gaudet de prosperis omnium Ecclesiarum, & singularum personarum, que in ipsa sunt: qualis curam gerere possunt & debent totius Ecclesiæ, etiam laici qui Pastores illias non sunt. Ex quibus concluditur non satis ex Euangeliō probari posse alios Apostolos præter Petrum habuisse singulos plenitudinem potestatis propriam & directam in Ecclesiam vniuersalem, sed potius habuisse plenitudinem potestatis in Ecclesias, quas ipsi erexerant; quoad alias Ecclesias potestatem non plenam, sed cum respectu & non sine quadam dependentia à Coapostolis suis illorum fundatoribus. Quod valde insinuat Gregor. epist. 66. cum Petrum appellat primum membrum ianctæ Ecclesiæ vniuersalis, reliquos Apostolos non nisi singularium Ecclesia- rum capita.

ARTICVLVS IV.

*Antonium Monarchicum Petri primatum quem Catholici
afferimus totum concedere
probatur.*

VT igitur ad id quod est huius capitinis præcipuum 29.
veniam; dico te non semel, sed sæpius, sic Apostolis tribuere paritatem potestatis cum Petro, quoad speciem, ut Petro tribuas in eadem specie potestatis principatum, atque adeo eum Monarcham facias. Probatur quatuor testimonij. Primum testimonium dicis I. i. c. 8. n. 12. verba: Pasce oves meas, soli Petro dicta esse, quia cura præcipua ipsi committitur, qui omnium maximè qui aderant, debebat in Domini vinea laborare. Ita intelligo (inquis) Leonem, vbi ait, cui cum Leo epist. 93. præceteris potestas soluendi & ligandi tradita sit, pascendarum tamen ovium cura specialius mandatur. obserua ille specialius, quod absolutum primatum non admittit. epist. 88. Et iterum. huius muneric Sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, ut in Beatusimo Petro Apostolorum omnium summo principaliter collocarit. Item. Beato Apostolo Petro supra ceteros post regni ser. 1. de sca- claves ovulis Dominici cura mandatur. Supra ceteros ait, hoc est multo magis quam ceteris; & hoc idem est, quod specialius & principaliter, &c. Atq; hanc principalitatem & præcellentiam solitudinis & laboris significant Christi verba; diligis me plus his, pasce oves meas; quasi dicat, quia tu supra ceteros decē, & feruētius omnibus me amas, idcirco tibi maximè fidens & supra illos meas oves tibi commendō, & tuam ad hoc potissimum operam requiro. non quod etiam alijs Apostolis idem officium pascendi non committant eadem prorsus autoritate & potestate, quā tibi &c. Sed tibi maxime omnium, tanquam me maximè diligenti opus meum commendō. Hoc sanè non est iurisdictionem & primatum in alios, sed tantum eam, quam dixi.

dixi principalitatem, vt Petrus feruore executionis debuerit ceteros superare. Neque enim dicit; quandoquidem Petre diligis me plus his, tu solus pasce oves meas ut Pastor ordinarius, hi vero sint quasi tui in hoc coadiutores; sed, tu me plus his diligis, igitur & tu plus his pasce, & plus in pascendo labora, atque plus his in pascendo sis sollicitus. atq; *huc spectant illa Chrysost. praeferim cum ea agas, quæ cum ageret Petrus illum Christus autoritate prædictum esse voluit ac reliquos item Apostolos longe præcellere. Sed magis & minus non variat speciem.* Hæc tua verba sunt, in quibus ad modum arundinis quæ ventis contrarijs agitata nunc in hanc nunc in illam partem tota incumbit, ita Petro primatum potestatis inter Apostolos ter aper-te negas, ter non minus aperte affirmas, atque adeo, ex hoc primo testimonio triplex argumentum sumitur pro Petri primatu vero & Monarchico.

30. In primis cum dicis inter Apostolos & Petrum esse differentiam authoritatis secundum magis & minus, quæ non variat speciem, & Petrum in eadem specie potestatis ceteris longè præcellere, & Petrum cura & officio ex Christi institutione illi commisso superasse alios Apostolos, eo modo quo superauit charitate. His, inquam, verbis Petro tribuis inter Apostolos excellentiā, seu primatum potestatis, sollicitudinis, curæ, officij, Christi institutione, id est, diuino iure, vt nihil clarius pro Petri primatu dici ab ullo Monarchico possit. Nam cum inter se Apostolos, quoad potestatē Ecclesiæ gubernatiuam comparamus, supponimus omnes, quoad genus potestatis gubernatiuæ pares esse. Res enim, quæ comparantur, eiusdem generis esse debent in ea re, secundum quam comparatio inter ipsos fit. Si quis quæreret, Petrusne an Magdalena habuerit supremum Ecclesiæ regimen? inceptus es-
set, quia Magdalena gubernatrix Ecclesiæ non fuit. Quod si quis disputet, an plus Christum dilexerit Pe-
trus

*Chrysost.
L.2. de Sa-
cerd. initio.*

trus an Iudas?ridicula quæstio sit & comparatio. quia res quæ non cōueniunt quoad genus rei , ineptè quo- ad gradum inter se comparantur. Itaque cum quæri- tur , an Petrus fuerit supremus Ecclesiæ pastor iure diuino? non quæritur , an solus fuerit pastor, & reli- qui Apostoli pastores non fuerint ? sed supponimus Petrum quoad genus potestatis pastoralis , conuenire cum reliquis , & scire cupimus an fuerit eminē- tior , quoad gradum. Igitur cum tu inter Apostolos genere potestatis gubernatiū pares Petro tribuas excellentiam potestatis quoad gradum , nobis pri- matum , quem in Petro quærimus totum concedis : sed tuo more concedis , hoc est , ita vt etiam neges. Nam dicas hoc loco reliquos Apostolos officium pascendi accepisse non minus , quàm Petrum, cādem prorsus potestate & authoritate, quod videtur in ter- minis pugnare cum eo quod hic etiam ex Chrysosto- mo allegantem te vidimus, Petrum cæteris Apostolis authoritate longè præcelluisse , quamuis ille excessus speciem non variarit.

Secundo Petrum Monarcham facis, cum dicas eum 31.
 accepisse curam totius Ecclesiæ & claves in Ecclesiam vni- uersam specialius , principaliter , præcipue , supra cæteros , multò magis cæteris . Nam si curam pastoralē, id est, po- testatem & authoritatem habuit specialius , fuit sin- gularis pastor ; si principaliter, fuit princeps pastor; si supra cæteros multoque magis quam cæteri, fuit su- premus & omnium maximus pastor totius Ecclesiæ cum plenitudine potestatis. An non hoc est Monar- cham esse ? tamen obserua, inquis, illud (specialius,) quod absolutum principatum non admittit, Et l.i.c. 10.n.2. Quomodo potuit (inquis) Leo afferere præfecturam iurisdictionalē Petri super Apostolos, cum dicat alicubi Chri- Epist. 93. stum huius muneris, id est, clauium sacramentum in Beatissimo Petro omnium Apostolorum summo principaliter collo-

casse? Hec tu. putas potestatem vniuersalem, quam Petrus specialius, quam cæteri Apostoli, habuit, & principaliter, id est, tanquam Ecclesiæ totius, etiam comparatiuè ad Apostolos, summus Princeps, repugnare cum vero primatu. Quo satis ostendis te prorsus non intelligere de quibus affirmas; præsertim cum Leo illo loco postquam dixisset, Christum in Petro regimen Ecclesiæ principaliter collocasse, statim subdat, ut ab ipso tanquam quodam capite dona sua velut in corpus omnia diffunderet. Quibus verbis Monarchicū primatū perfectissimè exprimit. & tamen dicis Leonem, qui hæc dicat non potuisse sentire, nedū sensisse Petrum præfecturam & principatum in Ecclesiā totam inclusis etiam Apostolis habuisse. Tam cæcus es vt putes Petrum quia summus totius Ecclesiæ princeps est & tale caput à quo regimen in totam Ecclesiam diffundatur, ideo Monarcham non esse, imo quia talis est, Monarcham esse non posse.

32. Tertio adhuc clarius hunc absolutum primatum affirmas, cum dicis Christum maximè super omnes Apostolos potissimum, oves suas, opus suum & officium pascendi Petro commisisse, vt in pascendo Ecclesia cæteros debuerit superare, quod Christus illi præcepit, plus his pasce, plus his in pascendo labora, & plus his in pascendo sollicitus sis. Hæc omnia dicis & tamen addis. *Hoc sane, inquis, non est Petro iurisdictionem & Primatum in alios tradere, sed tantum eam quam dixi principalitatem.* Non intelligis, Antoni, quātam Petro tribuas principalitatem cum vni Petro officium pascendi potissimum cōmissum dicis, & eum ius & debitum curę & sollicitudinis amplioris habuisse. Hinc enim sequitur primo, Petrum non tanū communī iure diuino Apostolico Ecclesiæ Pastore suisse, sed etiā singulari iure diuino, seu institutione Christi. Probatur quia Christi præceptum & institutio ius diuinum

unum est, vt tu fateris l. i.c. 6. n. 2. Sed Petrus ex singulari Christi præcepto & institutione debuit officium pascendi exercere, curam & solicitudinem ouium Christi gerere. Igitur Petrus non tantum cōmunitiare diuino Apostolico, sed etiam singulari iure diuino & ex præcepto Christi ad illum singulariter directo, pastor totius Ecclesiæ erat. Nam si Christi præceptum *docete omnes gentes*, tribuit omnibus ius cōmunione Apostolicum, vt essent totius orbis doctores & pastores, certe præceptū Christi dictum singulariter Petro *pisce oves meas*. tribuit illi ius singulare & speciale vt Ecclesiæ rector & pastor sit. Secundo sequitur totā Ecclesiam iure diuino debuisse specialiter, potissimum, maximè Petro obedire & ab eo pasci. Probatur, quia Ecclesia iure diuino obedire specialiter, potissimum, maximè debebat illi, qui iure diuino officiū pascendi totam Ecclesiam specialiter potissimum maximè habebat. Sed dicis officium pascendi oves Christi specialiter, potissimum, maximè Petro esse commissum. Igitur oves Christi seu Ecclesia Christi Petro specialiter, potissimum maximè obedire tenebatur. At inquis, *hoc fuit personale quid in Petro, nec ad successorem trāsire potest*. Verum de successione infra tractabimus; & ex tuis dictis probabo, quod si Christus optimum iudicauit vni singulariter regimen Ecclesiæ committere, hoc regimen vnius supra cæteros seu supremum in Ecclesia esse perpetuum debere.

SECUNDVM TESTIMONIVM.

Lib. i.c. 7. tractas verba, *Tibi dabo claves* n. 12. respon-
33
dens ad locum Gregorij, qui dicit his verbis totius Ecclesiæ curam Petro esse commissam. Verum, inquis,
est totius Ecclesia curam & sanè precipuam petro maxime omnium duodecim Apostolorum esse commissam: sed tamen eandem totius Ecclesia curam ceteris etiam Apostolis simul

cum Petro in solidū æquè commissam nō dubitamus. Hęc tu-
qui duo dicis inter se apertę in terminis pugnatia. Nā
si cura totius Ecclesiæ præcipua maximè omnium
Apostolorum vni Petro commissa est, quā verum esse
potest cæteris omnibus in solidum æque commissam
esse? nīl forte dixeris eandem curam seu idem offi-
cium commissum esse alijs à Petro, quoad genus cu-
ræ & officij, non autem quoad gradum, quia cura to-
tius Ecclesiæ præcipue & maximè omnium Petro ex
Christi institutione incumbebat. Hoc autem si dixe-
ris, Petro quoad officium curæ & regiminis totius
Ecclesiæ primatum das. Nam qui cura & officio to-
tius Ecclesiæ gubernandæ reliquos ex duodecim A-
postolis superauit, quomodo inter Apostolos officio
potestatis & regiminis supremus Princeps non fuit?
Si officium eius, quoad regendam Ecclesiam maxi-
mum fuit, cur totius Ecclesiæ Pontifex optimus ma-
ximus dici non potuit?

TERTIVM TESTIMONIVM.

34. Lib. I. c. 6. disputans de loco Etangelico, *Tu es Pe-
trus & super hanc petram adificabo Ecclesiam meam*, tan-
dem ita concludis n. 47 *Quod præsentibus alijs ad Pe-
trum singulariter ea verba dirigantur, inde ad summum
colligitur verba præcipue ad Petrum spectare sine tamen ex-
clusione cæterorum. quod equidem libenter conesserim; &
Petrum principalem Ecclesiæ ministerialem fundatorem si
comparetur cum cæteris undecim libenter agnosco. Sed ex
hoc quis absolutam eius Monarchiam potest deducere? cum
præsertim additus sit ei comes Paulus, qui eum in hoc pluri-
mum superauit. Ex hoc loco Petrum Monarcham ne-
gas & affleris. negas in verbis ultimis, quis hinc absolu-
tam Petri Monarchiam potest deducere? asseris cum dicis
officium fundamenti præcipue Petro conuenire: Of-
ficium enim fundamenti Petro principaliter attribu-
tum*

tum eum Monarcham facit. Nam te fatente l.i.c.6.n.
18.petra Ecclesiæ significat rem maximè illustrem,
qualem in Petro nunquam voluit agnoscere Augu-
stinus,id est , Monarchiam, & vt ais n. 43. significat
præposituram,quâ Petrus toti præficitur Ecclesiæ,at-
que adeo præposituram iurisdictionalem,cum tu l.i.
c.7.n.21. dicis præfici iurisdictionis esse. Igitur cum
officium fundamenti Ecclesiæ Petro præcipue tri-
bris,officium iurisdictionale supremum in totam
Ecclesiam illi concedis , hoc est,monarcham eum
facis.

QVARTVM TESTIMONIVM.

Lib.i.c.10.n.11.explicas verba Ambrosij , qui di- 35.
cit Christum interrogasse Petrum;amas me,non ut disceret,
sed ut doceret,quem eleuandus in calum nobis amoris sui vi- Ambros.
carium relinquebat. In quæ verba Ambrosij dicis Pe- in Lucam c.
trum factum esse præ ceteris singularem Christi vi- vlt.
carium,& in officio amandi, & pascendi Ecclesiam.
Christo successisse per hæc verba pæce oves meas.sen-
sus,inquis,t alij est,quasi dicat Petro Christus. Petre quan-
doquidem tu me amas plusquam ceteri,amorem hunc quem-
habes erga me , me iam descendente , conuerte erga oves
meas:vt sicut me amas plus his,mea vice ama oves meas ,hoc
est enim à Christo relinquiri quasi vicarium amoris ipfius ,tu
mea vice & loco mei ama meum gregem & succede mibi in
ipso amore erga gregem , & quia Petrus erat sibi consensu se
amare Christum præ ceteris,ideo in hoc omnibus antefertur,
videlicet vt ei iniungatur plus quam ceteris munus amandi
& pascendi pro Christo oves eius,quia vt inter virtutes cha-
ritas maior est,ita qui charitate excellebat (quamuis eum
fortassis alijs virtutibus superarent) ex charitatis præ-
cellentia omnibus antefertur , in hoc vt plus ei quam ce-
teris oves commendentur.Hæc tu;quibus primatum,qui
speciali diuino iure Petro conueniat,explicas verbis

ita magnificis & amplis , vt nihil à te desiderari amplius possit , quam vt quæ scribis ipse intelligas , & ubi intellexeris , credas . Quatuor enim dicis vel ex tuis verbis euidenter colliguntur . Primo munus amandi & pascendi Ecclesiam loco & vice Christi , ab ipso Christo Petro plus quam cæteris Apostolis in officium Christi , dum vixit in terris Ecclesiam suā summō amore regentis succedere : Tertio Petrum Vicarium Christi in amanda Ecclesia , & pascenda non tantum ferore personali fuisse , sed etiam ex singulari inunctione Christi seu diuino iure esse debuisse . Quartο totam Ecclesiam singulariter Petro obedire debuisse , eumq; præ cæteris Apostolis tanquam Christi Vicarium & ipsius loco & vice præpositum venerari .

- ¶ 6. Hinc duo alia colligo : primo in ouibus pro quibus Petrus tanquam Christi vice vigilare debebat , fuisse Apostolos , quia Christus quos Petrum iussit amare , eosdem iussit pascere . Sed cum Petro dixit ama oves meas non exceptit Apostolos . Igitur cum dixit Petro *pisce oves meas* non exceptit Apostolos . Secundo Christum Vicarium generalem , qui amet & pascat Ecclesiam perpetuum reliquiss . quia Vicarium amoris sui , qui Ecclesiam præ cæteris pascere & amare singulari iure diuino teneretur reliquit Ecclesiæ qui eam amabat . Sed Ecclesiam suam amauit usque in finem & consummationem sæculi . Igitur in Ecclesia Vicarium generalem qui loco & vice sua Ecclesiam singulariter amare & pascere teneretur perpetuum esse voluit . Hæc autem omnia tu dicis , nec dici quicquam à Catholico de Petri primatu magnificentius potest , & tamen Catholicus non es , quia , non dico Scripturam , non dico Patres , non dico Catholicos , sed te ipsum non intelligas , officiumq; Petri quod iusto volume impugnandum sulcipis toties claris-

clarissimis verbis affirmas. Ita te scribentem meritò rideat, si quis oderit; merito flet; si quis amet: & tamen quod in te flendum vel maximè est, ita cæcus es & ita aduersus Catholicos qui Petrum Monarcham & singularem Christi Vicarium faciunt inflaris, vt eos dicas *palpare in meridie*, cum tamen nihil dicant, quod tu ipse non ita clare asseras, vt nihil clarius dici possit, vt in te diuinum illud iudiciū ob tua peccata completum videri possit: *excaca cor huius, vt videns non videat, & audiens non intelligat.*

ARTICVLVS V.

Quam apte & euidenter ex Scripturis Petri primatus probetur.

EX his tria corollaria deduco. Primum est prima- 37.
tum Monarchicum, quem Petro tribuimus ex Eu-
angelio euidenter & apte colligi. Quia enim
Petrus reliquos Apostolos quodam sensu non supe-
rat genere potestatis, ideo nihil Petro singulariter
tribuitur, quod alijs etiam Apostolis cum Petro cō-
muniter nō tribuatur. E cōtra vero cū Petrus in eodē
genere potestatis alio sensu Apostolos excellat, quic-
quid potestatis & iurisdictionis Apostolos cōmuniter
vno loco datur, illud ipsum singulariter & vnicè &
eminēter Petro tribuitur, vt eandē potestatē guber-
natiuam Ecclesię vniuersalis multo quā ceteri excel-
lētius habeat, & illorū claves ligādi & soluēdi eius cla-
uibus soluēdi & ligandi subijciātur. Quare tu satis in-
eptè l.i.c.6.n.49. cum Bellarm. ita disputas, *quero à te*
(Bellarmine) *inquis, vnde babes Petrū esse solum caput &*
ordinariū Ecclesie gubernatorem? respōdes quia ei soli corā a-
lijs dicitur super hanc Petram adificabo Ecclesiam meam,
& consequenter factus fuit seu designatus singulare Ecclesia
fun-

fundatum. Ideo ergo caput quia fundatum. Si vltius
 cur Petrum solum facis qttoddam singulare fundatum, quod
 alij Apostoli non fuerunt? respondes quia erat caput & guber-
 nator ordinarius. Ideo ergo caput & gubernator ordinarius,
 quia fundatum: & ideo fundatum singulare quia
 caput & gubernator ordinarius. Iste sunt circuli, quibus fle-
 ctitur & reflectitur, qui falsatueri nititur, cum enim non
 possit recte certe spiris cogitum incedere. Hæc tu in Bel-
 larm. quem docte & eruditè disputantem, nunquam
 (quæ tua non dicam fatuitas, sed infelicitas est) intel-
 ligis. Non enim tibi quærenti ab ipso cur credat Pe-
 trum singulare Ecclesiæ fundatum esse, respon-
 det quia erat caput & gubernator ordinarius; sed quia
 Christus ei singulariter dixit super hanc Petram, id
 est, super te ædificabo Ecclesiam meam. Nam Chri-
 stus sicut Petro singulariter promisit, ita sine dubio
 quod promisit exhibuit, ut esset singulariter Eccle-
 siæ fundatum. Si pergas vltius querere quid
 sit esse totius Ecclesiæ singulare fundatum? res-
 pondet esse totius Ecclesiæ caput & principem. Quod
 si tam crassus sis, ut hoc non statim intelligas, tibi me-
 taphoram explicabit & dicet; idem esse in Repub.
 Principem, quod in domo fundatum, caput in
 corpore. Ut enim corpus à capite, domus à funda-
 mento regitur, & in officio unitatis continetur; ita
 Princeps Remp. souet, gubernat & in pace concor-
 diaque conseruat. Igitur cum Petrus constituatur à
 Christo singulare Ecclesiæ fundatum, certe
 constituitur singularis & eminentis Ecclesiæ Princeps,
 hoc est monarcha. Hic si adhuc hæreas, nec capias in
 singulari totius Ecclesiæ principatu contineri Mo-
 narchiam, hac ratione tibi breuiter illud ostenderet.
 Nam potestas Petri in Ecclesiam plena est, vniuersal-
 lis, & eminentissima est: cum plena sit, nihil erit in
 Ecclesia tam difficile, quod potestas Petri non vin-
 cat;

cat; cum sit vniuersalis, nullus erit in Ecclesia à Petro tam dissitus ad quem Petri potestas non se extendat; denique cum sit super omnes eminens, nullus erit in Ecclesia tanta dignitate sublimis super quem Petri potestas non emineat. Igitur cum Petrus omnia possit in omnem Ecclesiam, quantumvis diffundatur, & in omnes personas Ecclesiæ, quantumcunque se efferant; sine dubio Monarcha erit. ita disputant Catholici, præsertim Bellarminus, nec in illo quas singulis vertigines, sed in capite tuo sunt.

Secundo sequitur tacillimè Patrum dicta inter se 38. conciliari, qui dicunt Petrum Ecclesiæ totius, etiam Apostolorum principem & pastorem, & tamen Apostolos eandem cum Petro potestatem habuisse. Nam si comparentur inter se Apostoli quoad genus vel speciem potestatis, fuerunt pares, eandem cum Petro potestatem singuli habuerunt. nec enim potestas Petri à potestate reliquorum specie differebat. Si vero comparentur inter se Apostoli quoad gradum, queraturque an potestatem, quam reliqui habuerunt, Petrus habuerit excellentius, sine dubio (etiam testante Petrus reliquos longè præcelluit, eique munus pascendi, amandi, regendi Ecclesiam multò magis quam cæteris Christus iniunxit. Itaque pari confortio honoris & potestatis præditos cum Petro omnes Apostolus rectè dixit Cyprianus: nec male Hieronymus, eandem omnes cum Petro potestatem accepisse, ex quo super omnes Ecclesiæ fortitudinem solidari. Hæc omnia vera sunt, nec aliud significant, quam pares fuisse Apostolos quoad speciem potestatis: tamen si gradum perfectionis & excellentiæ potestatis gubernatiæ spectes, iam pares non erant Apostoli, sed Christus ab uno Petro originem unitatis Sacerdotalis, id est, officium vnius summi Sacerdotis in Ecclesia suâ authoritate disposuit, & unus electus est, vt

*Maldon. in
cap. 16.
Massib.*

est, ut cepite constituto schismatum in Ecclesia toleretur occasio. Ex quibus facilè soluitur quæstio, quæ disputatur à Theologis, an Petrus alias claves acceperit an easdem cum cæteris. Maldonatus contendit Petrum peculiares quasdam claves accepisse & secretas quib. ita clauderet ut nemo aperiret, ita aperiret ut nemo clauderet. Bellarm. eadem potestatem, easdem claves Apostolos accepisse dicit, ac Petrum. De re constat accepisse Apostolos easdem claves quas Petrus quoad speciem potestatis, cum claves aliorum & Petri ad eosdem specie actus sese extendant: alias tamen claves habuit Petrus, si gradum & eminentiam potestatis spectes, quæ eminentia facit ut contra Petri claves claudentes nemo aperire, contra cius claves aperientes, nemo claudere possit. Modus vero loquendi Bellarm. communior & Patribus conformior est.

39. Tertio sequitur te toto libro primo à capite ad calcem non nisi aerem ferire, nec impugnare quod Catholici dicimus, nee probare quod negamus. Apostolos omnes inter se pares fuisse in omnibus essentialibus potestatis, eandem potestatem habuisse sine differentia essentiali varijs capitibus probas. Hoc tibi Catholici sine probatione libenter cōcedimus: tantū contendimus non ita pares fuisse in eadem potestate, quin Petrus eiusdem potestatis primatum excellentiāque habuerit, quod tu testimentijs scripturarum adactus negare non potes. Petrum fuisse totius Ecclesiæ solum pastorem, solum Principem, solum clauigerum acerrimè impugnas. Quis hoc Catholicus dicit? Petrum dicimus pastorem, rectorem, principem Ecclesiæ, inter cæteros Apostolos etiam pastores, rectores, principes supremum, sed pastorem aut rectorem aut principem solum non dicimus. Neq; Monarchia est, qui solus est Princeps, sed qui cæteris Principibus

epibus etiam præest; & ita non Princeps solus sed supremus est. Quod si nomine Principis is tantum intelligatur, qui vnuſ totam communitatē sub ſe habet; vt ab eius imperio nullus eximatur, hoc ſenſu ſolum ex Apostolis Petrum totius Ecclesiæ principem, reſtorem & paſtorem eliciamus & probamus.

C A P V T S E P T I M V M.

Petrum primatum in Ecclesia primitiua exercuisse.

EVERSO fundamento operis tui longè præcipuo
(æqualitatem Apoltolorum cum Petro illius Pri-
matui repugnare,) nihil iam ſupererit in libro, quod
vel leuissimam ingerat difficultatē, in Petro prima-
tum non fuifle à Christo institutum. Quia tamen ſa-
piſiſimē inculcas Monarchicum Petri primatum anti-
quæ Ecclesiæ ſemper incognitum fuifle, nulli Catho-
lico Doctori, niſi post mille à Christo annos, vel ve-
niſle quidem in mentem; quamuis per ſe ſaltiſſimum
hoc eſſe apparet, tamen ut veritas magis eluceat, hu-
ius dicti tui falſitatem ex alijs tuis dictis demon-
ſtrabo.

P R O P O N I T V R S E P T I M V M A N T O N I I F U N D A M E N T U M.

IGIT VR Monarchiam Petri per mille à Christo
Iannos fuifle penitus incognitam, probas. quia nul-
lum exſtat vel leuissimum vestigium, Petrum in pri-
mitiua Ecclesia Monarchiam exercuisse. Nam e-
leccio septem Diaconorum Act. 7. non eſt à solo
Petro facta, ſed ab omnibus Apostolis; & cum Sama-
ria recepiffet verbum Dei, Ecclesia quæ in Hieruſa-
lem erat, miſit ad eos Petrum & Ioannem. quæ miſ-
ſio ſatis indicat Petrum Ecclesiæ Monarcham non
fuifle

45.3

fuisse. Secundò quia Paulus Petrum reprehendit, quæ reprehensio ex duplice capite monarchiam Petri destruit: tum quia Petrus errat in fide: quomodo autem Ecclesiæ singulare fundamentum, qui tam labilis & infirmus in fide fuit? tum quia, si Petrus Princeps Ecclesiæ absolutus fuisset, Paulus non potuisset à magna impudentia, audacia, arrogantia, imo & pro-cacitate excusari, qui publicè & acriter eum reprehendit. Tertiò quia Paulus se sape consert Petro, & dicit se nihil minus esse, quam ipse sit. imo à Patribus Petro non impar dicitur, & Princeps Apostolorum cum Petro dicitur, & ferè titulis omnibus, quibus Petrus exornatur, à Patribus insignitur. Quartò quia Patrum dicta de Petro satis indicant eos Petrum non existimasse totius Ecclesiæ Monarcham. quæ Patrum dicta tu congregas I. i. c. II. n. 27. & sequentibus quam vanè & ineptè, iam statim ostendam.

Septimum suum fundamentum evertit.

ANTONIVS.

HAEC omnia te alijs locis libri tui evertere, iam restat ut ostendam, atq; ut ab ultimo exordiar.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quam inepte patrum dicta contra Petri primatum urgeantur.

Antonius.

PATERVOL dicta, quæ aduersi, contra Petri primatum non faciunt, & in illis virginis ineptiam tuā promis. Hoc patebit, si singula examinemus; quæ tredecim sunt; ex quibus tria cum dictis suis pugnant; quinque primatum Petri probant potius quam negant; alia quinque ita sunt inepta, ut ne vobis amplius quidem argumenti habeant.

Testimonia

TESTIMONIA IN QVIBVS VRGENDIS SECVM
pugnat Antonius.

PRIMVM Dionysij Areopagite est, qui Petrum 2.

Vocat principem inter Apołtolos. Sed hunc primatum, inquis loco citato n. 27. non intellexit cum summa potestate supra ceteros. nam alio loco Iacobum prius nominat, quam Petrum. Aderat autem & Domini frater Iacobus

Eccles. Hierar. 6. 10.

& Petrus supra & antiquissima Theologorum summitas: apud Da. 7. mas. cen. l. 21. de domit. 2.

Idem fecerat & Paulus, ut iam vidimus priori loro Iacobum posteriori Petrum numerando. Hit bis tibi ipsi contra-

Deip. Gal. 2.

rius es. primò cum dicas Paulum eundem Iacobum nominasse ante Petrum, quem nominavit Dionysius. Nam Dionys. Petro preposuit Iacobum fratrem Domini. Sed l. 2. c. 2. n. 4. 4. dicas Paulum, cum dixit, Iacobus & Cephas & Ioannes dexteras mihi dedere societatis, Petro præposuisse non Iacobum fratrem Domini, sed Iacobum filium Zebedæi Ioannis fratrem.

Secundo tecum pugnas cum ex Petri nominatione post Iacobum colligis inter eos paritatē, cum l. 1. c. 10. n. 15. ita scribis Petrus, inquis, fuit Iacobo longe maior,

quia Iacobus fuit vni Verbi alligatus Pontifex, Petrus autem totius orbis doctor & informator. si Petrus longe maior; quomodo Iacobus illi par? Si dicas Petrum fuisse longè maiorem Iacobo dignitate non potestate; in-

primis cur Petri nominatio post Iacobum euertit eius primatum potestatis, non dignitatis? Si potuit illa stat de causā post Iacobum nominari prior dignitate, cur eadem de causa non potuit post Iacobum nominari prior potestate. Deinde aperte facis Petrum Iaco- bo longè maiorem potestate. nani l. 1. c. 10. n. 21. A-

pōstolatus, inquis, Petri principatus excedit potestate quamcumq; cathedram particularē. Subsumo. sed ca-

thēdra Iacobi fuit tantū particularis: Iacobus (inquis vbi supra) Hierosolymitanæ Ecclesiæ præfectorus à

Domino fuit. Igitur cathedra Petri, seu Petrus non solum dignitate sed etiam potestate Iacobum excelluit? Igitur ante Petrum Iacobus nominatur, non quia Petro vel dignitate vel potestate par esset, sed quia ad dormitionem virginis Deiparæ (de quâ loquitur Dionys.) qua Hierosolymis contigit Iacobus ciuitatis Hierosolymitanæ Episcop' prior aduenerat.

3. Secundum testimonium in quo tecum ipse pugnas

Clem. Alex. opus Euseb. l. 2. c. 1.

Petrum, Iacobum & Ioannem summum dignitatis gradum à Christo adeptos, post ascensionem eius de gloria & honore inter se non contendisse. Igitur, inquis, non solus Petrus sed etiam Iacobus & Ioannes summum dignitatis gradum inter Apostolos habuerunt; nec Petri Monarchiam Clemens agnouit. Hic tecum aperte pugnas. Nam cum dicis Petrum, Iacobum & Ioannem inter se fuisse pares, certis autem Apostolis superiores dignitate, vel loqueris de primatu dignitatis potestatiæ, vel de primatu dignitatis personalis. Si de primatu dignitatis potestatiæ, tecum pugnas eum Petro, Iacobo, & Ioanni tribuendo, cum millies scribas primatum dignitatis potestatiæ inter Apostolos nullum fuisse; omnes Apostolos inter se potestate & iurisdictione fuisse penitus pares. Si de primatu loquaris dignitatis personalis, tecum pugnas eum vni Petro eriendo, qui millies affirmas Petrum rel. quos Apostolos omnes, etiam Iacobum & Ioannem personali excellentia superasse, & præsidem honore dignitateq; exstuisse. Igitur quocunque te vertas perplexus es, & dum nos vulnerare cupis, nobis intactis tibi ipsi vulnera infligis.

4. Tertium testimonium affers nu. 32. quo te ipsum vulneras, & est Ambrosij, de Petro ad Christi quæstionem (vos autem quem me esse dicitis?) confessim respondentे, statim, inquit, loci non immemor sui Petrus

prima-

primatum egit : primatum confessionis vtique non honoris, fidei non ordinis. Quæ verba non contra dogma Catholicum, sed contra tuum de Petri primatu pugnat. Nam Catholici Petro tunc temporis, nimurum cum dixit Christo, *tu es filius Dei vivi*, Monarchicum primatum non tribuimus; tu vero asseris eum tunc inter Apostolos primatum habuisse. quæ vero primatum? l.i.cap.7.nu.21. **P**etrus, inquis, *omnes honore, dignitate, ordine, precedentiâ anteibat*. Non sentis, Antoni, non vides, si Petro primatum negas ordinis & honoris, tecum ipsum pugnare? Cur igitur Ambrosium profers Petro primatum ordinis & honoris negantem? an non haec animi cæcitas & vanitas est, in alios tela, quæ in te redeant iaculari? Quamuis ne quidem contra honorariū Petri primatum Ambrotij verba militare statim videres, si quos legis authores vel modicum nosse expendere. Non enim dicit Ambrosius Petrum primatum honoris non habuisse, cum dixit, *Tu es Christus filius Dei vivi*, sed in illa confessione primatum honoris non egisse, sed egisse potius primatum confessionis & fidei, id est Petrum, dum præ cæteris Christi diuinitatem agnouit & confessus est, non egisse tam partes primatus Apostolorum in honore & dignitate, quam primatus in fide & confessione. Sicut Serenissimus Magnæ Britanniæ Rex, si cum Puritano Ministro disputaret, eumq; (vt est doctissimus) argumentis errare conuinceret, rectè diceretur agere Principatum doctrinæ non potestatis : num tu eum non esse Principem potestate inde concluderes? Insipienter hoc faceres.

QVINQUE TESTIMONIA PATRVM CONTRA Petri primatum allata ab Antonio, illum potius probant.

EX tredecim testimonijs quinque adeo primatum Petri non improbant, ut eum etiam confirmant.

Ambros. in Psal. 43. 5. Primum est Ambrosij à te allatum nu. 28. qui per verba *pasce oves meas* à Christo (inquit) *Petrus sacerdos eligitur, qui spiritu diuina charitatis tricipe se ligavit.* Quæ verba Petri primatū assertūt. significat enim Ambros. ut diximus, Petrum ex clero Ecclesiæ Christianæ, qui tunc erant Apostoli, electum à Christo Sacerdote id est, Episcopū, qui toti Ecclesiæ, ex cuius Clero elige batur præsesset. Sed qui præficitur toti Ecclesiæ, ex cuius Clero eligitur, fit illius Princeps & Monarcha. Igitur totius Ecclesiæ Princeps & Monarcha Petrus à

6. Christo electus est.

Hieronym. L. 1. adu. Pelag. Secundum Hieronymi nu. 29. *Vt Plato princeps fuit Philosophorum, ita Petrus fuit Apostolorum super quem Dominus fundauit Ecclesiam.* aliam, inquis, Monarchia Hieronymus in Petro non agnoscit prorsus non agnoscit. nā quā maiore posset agnoscere Petrus enim, si credim⁹ Hieronymo, quoad officiū & dignitatē fundamēti Ecclesiæ ita fuit Princeps inter Apostolos, quomodo Plato fuit quoad doctrinam & scientiā Princeps Philosophorū. Sed Plato opinione Hieronymi fuit vere doctrinā & scientiā princeps omniū Philosophorū. Igitur Petrus fuit princeps inter omnes Apostolos in officio & dignitate fundamēti Ecclesiæ Christianæ, que est secundu Cyprianum, *omnes Ecclesia actus gubernare.*

Chrysost. ho. 87. in Ioan. 7. Tertium testimonium est Chrysost. n. 30. qui quærit cur Christus omissis cæteris Apostolis soli Petro dixerit, *Amas me? pasce oves meas.* Respondebat quia Petrus erat eximius & præcipuus, eorumque os & coryphaeus. Hoc dictum Chrysost. vocas insigne contra Petri primatum; cum tamen Petri primatum apertissimè contineat, præsertim si verba Chrysost. vera & Integra ponantur. Os, inquit, *Apostolorum erat Petrus & princeps & vertex ipsius cœrius,* & ideo Paulus eum præ alijs visurus ascendit. Ex quibus verbis colligo primò loqui Chrysost. de dignitate Petri, quam habuit in Ecclesia post

post Christi ascensionem, quando eum Paulus inuisit. Secundo colligit Petrum fuisse os Apostolorum & Principem & verticem seu caput cætus, id est, Ecclesiæ primitiæ. Sensus igitur Chrysost. est: Petrum quidem dum Christus vixit in terris fuisse Principem Apostolorū delatione Christi, qui eum reliquis præferebat: vt igitur iam Christo discendente firma & certa lege Princeps Apostolorum & vertex seu caput Ecclesiæ esset, dicit ei Christus, *pasce oves meas.*

Quartum testimonium Augustini nu. 30. qui sæpe 8.
 vocat primum Apostolum, qui caput, inquit, negat quomo^{dum} membrum. neque tamen hoc dicimus, quod primum Apostolorum accusare delectat. nihil aliud, inquis, Petrus Augustino est, quam membrum Christi. de capite visibili ne verbum quidem. Itane, Antoni? Augustinus Petrum tantum membrum agnoscit his verbis, quibus eum vocat tale membrum, vt primus Apostolorum sit, id est, totius Ecclesiæ post Christi diœcœlum primum visibile membrum quale autem membrum? te fatente membrum potestate vniuersali amplissima in Ecclesiam Christi quā latē patet instructum. quid vero est primum membrum visibile cū potestate vniuersali amplissimā in totum Ecclesiæ corpus, nisi visibile totius Ecclesiæ caput? Itaque nunquam dignitatem capitis visibilis toties in August. requireres, nisi vel defectu capitis visibili, vel odio successoris Petri, dignitas capitis visibilis in Petro tibi esset inuisa.

Quintum testimonium eiusdem Augustini ibid. 9.
 Petrus naturā vñus homo erat, gratiā vñus Christianus, abū-
 dantiori gratiā vñus idemque primus Apostolus. Quid hic Tract. 108.
 non magnificum de Petro? Car altius, inquis, non ascen-
 dis, Augustine? Vbi dignitas visibilis capit is Ecclesiæ Ibi, An-
 toni: abundantiori gratiā vñus idemq; primus Apostolus, nisi totius Ecclesiæ
 Princeps? quid vero summus & primus Apostolus,
 nisi
 Not. N 3

*Aug. tract.
66. lib. 6.*

180 MONARCHIAE ECCLESIASTICAE,
nisi totius Ecclesiæ, etiam Apostolorum Princeps
cum potestate amplissimâ? primus, inquis, ètate & vo-
catione. sed hanc dignitatem Petrum in capite tuo
habere, non in mente Augustini iam supra satis ostendimus.

TESTIMONIA QVINQUE INEPTA NE QUI-
dem vniuersalium argumenti habentia.

io. **E**X his primum est Iustini, nu. 28. qui Petrum vo-
*Iustin. ad-
uer. Ind.* lcat vnum Apostolum : quod dictum, inquis, non
videtur valde cohærente cum Petri Monarchia ? acutè
vides, Antoni.

*Tract. 59. in
Ioan.* Secundum Augustini nu. 30. qui dicit Petrum esse
Christi discipulum ; quo dicto scilicet Petri primatu
in puluerem redegit.

*L. 5. in Is. c.
54.* Tertium Cyrilli Alexand. nu. 31. qui explicans lo-
cū Apocalypsis de fundamēntis cœlestis Hierusalē & illius portis quæ singulæ singula margarita sunt.
Hæc, inquit, de ciuitatis illius præfectus, quos nobis
hæc describit oratio. Vnde sic infers, præfecti sunt
Apostoli Ecclesiæ ex æquo omnes. Sed illud ex aquo
ex capite tuo appositum est, quod in Cyrillo non
est : nec sequitur, si præfecti sint ex aquo præfectos
esse.

II. Quartum Petri Bleſen. nu. 33. grauius (inquis) autho-
rū. Hic dicit Christum cum dixit Petro, *Vado Rōmam*
iterum crucifigi, significasse se in eo crucifigendum, quæ
sibi adoptauit in membrum. Si author hic agnouisset Petrum
supremum Christi Vicarium, procul dubio dixisset ideo Christum
in Petro fuisse crucifixū, quia Petrus eius persona tan-
quā supremus eius vicarius gestaret. Sed semper in te mem-
tem desidero, Antoni. Petrus enim Bleſensis explicare
vult, quomodo Christus suis martyribus compatiatur. Christus autem in Martyre suo pati dicitur,
non quia Vicarius eius est, sed quia membrum illius
est.

est. Nam qui crucifigitur in Vicario suo , verè non crucifigitur ; sed si quis cruciatur in membro verè poenam sentite & cruciari dici potest. Itaque Christi charitas compatientis seruo suo , quando cruci affigitur , multo melius explicatur si dicamus eum pati in membro , quam si dicamus pati in Vicario suo .

Quintū Ambrosij. Non debebat didrachma Christus. non debebat & Petrus in adoptionem assertus à Patre. *Ex Ambroſio, inquis, Petrus non debebat tributum, quia erat filius Dei adoptivus, non quia erat Ecclesia caput & Monarcha. Cur Ambroſius quod longe maius est taceat, & quod minus est, commemorat? quia illud maius non noſterat.* Hæc tu. quibus verbis incautè detegis , quam prosanus & impius sis , qui Monarcham esse Ecclesiæ longè maius existimas , quam sit esse filium Dei adoptivum ; quamque abhorreas à sanctissimi Apostoli mente , qui sic exclamat ; *Videte qualēm charitatem dedit nobis pater ut filij Dei nominemur & simus.* Non est ita , Antoni ; dignitas Ecclesiæ Monarchæ , quanta quanta sit , longè minor est , quam sit dignitas filij Dei. Illa humana, hæc diuina est ; illa temporaria, hæc æterna ; illa potestas , hæc sanctitas est ; illa apud homines, hæc apud Deum sublimes facit ; illa regni cœlorum ianuam aperit , hæc ingreditur & cum Deo perenniter regnat à Patre. Non igitur supremam Petri dignitatem Ambrosius omisit , cùm à patre adoptatum dixit ; sed expressit illam ipsam causam , ob quā Christus eo loco , quem exponit Ambrosius , Apostolos liberos à tributo esse affirmat , ergo filij liberi sunt . quam sententiam non est huius loci explicare .

Ex dictis patet testimonia , quibus asserere conaris Petri primatum antiquis Patribus penitus ignotum fuisse , ineptissima esse .

ARTICVLVS II. *De primatu Petri verum antiquitati cognitum fuisse ex An-*
to 10. c. 10. n. 28. vbi ita scribis. Demus. Mo-
narchici, et à sexto cento anno possint proferre autores, qui

primatum Petri affirant & affirmant, certe reliqui sunt
mille anni à Christo, in quibus cuiquam ex Catholicis Docto-
ribus ne invenient em quidem venerit magna illa Petri Monar-
chia. Excipiunt semper Romanos Pontifices, qui in propria
cavitate non sunt iudices facile admittendi. Hęc tu: quae quā
falsa sint ex tuis dictis equino.

PRIMUM ARGUMENTVM.

Lib. 4. c. 10 n. 95. respondens ad Bedę testimoniū
 13. nium pro Romano primatu. *Non negamus, inquis,*
Monarchiam Romanam illis sacerulis cōpisse altas radices age-
re, & credi, & defendi; ac exinde scriprores, ut plurimum
Romanizantes suspectos habemus &c. Atque ita Bedam,
Anselmum &c. inter Monarchicos reponis: successio-
nem enim, inquis, Petro specialem & papificam concessam
putant. Hic bis tibi in terminis contradicis. Primo
dicit Romana Monarchiam Bedę sēculo altas ra-
dices agere cōpisse: & tamē lib. 1. c. 10. n. 26. Romana,
inquis, Monarchia, aliquas sed non admodum altas radices
fixerat Bernardi sēculo. Beda quatuor ante Bernardum
integris sēculis vixit. Quomodo igitur Bernardi sē-
culo Romana Monarchia non admodum altas ra-
dices egerat, si quatuor ante Bernardum sēculis altas
radices agere cōpīt? & l. 1. c. 11. n. 33. Petrus Blesensis, in-
quis, tempore scribēbat, quo Romana Monarchia se plu-
rimum

timum erexerat, fuit enim Bernardo Clareuallensi contemporaneus. Si Petrus Blesensis & Bernardus cōtemporanei sunt, quomodo Romana Monarchia tempore Bergardi non admodum alte fixa, si tempore Petri Blesensis fuit plurimum erecta? Imo & Bedæ sēculo illius altæ radices agi cæptæ sunt? An aliud est altè radices figere, aliud altas radices agere, aliud plurimum se erigere? an potius verba fundis, quæ non intelligis? Secundo cum dicas Bedæ sēculo authores ut plurimum Romanizare, successionem Petro specialem papificam tribuere, apertè pugnat cum eo quod antea dixeras magnam Petri Monarchiam nulli Catholico vel semel venisse in mentem, nisi post mille à Christo annos. Quid enim est magna Petri Monarchia, nisi Papatus, id est, monarchicum regnum Romanii Pontificis, cui reliqui Episcopi subiçiantur? sed te fatente, à Bedæ sēculo, hoc est, à quatuor sēculis ante millesimum à Christo annum, authores ut plurimum Papatum in Petro ponebant, quem ab eo ad Romanum Pontificem deriuabant. Igitur stare non potest, tūq; ipse euertis, quod dixeras, his sexcētis postremis annis Petri Monarchiam seu Papatum cēpisse asseri & defendi; antea nulli Doctori Catholico vel venisse quidem in mentem.

SECUNDVM ARGUMENTVM.

Quam sis in dictis tuis inconstans, & tui immē-^{14.}
mor, quamque verè facias, quod Baronio & Belarmino falso tribuis, quibus lib. 4. c. 1. n. 3. familiare esse dicas eundem authorem modo approbare & in calum ntolere, ubi eis fauere videatur; modo dicas deuouere & execrari illum eundem ubi ipsis aduersantem offenderunt. Hoc, inquam, quod illis imponis te facere patebit hoc exemplo. Exstant epistolæ, quæ Romanis Pontificibus antiquissimis tribuuntur, Clementi, Ana-

cleto, Euaristo, Alexandro, Pio, Aniceto, Victori, Marcello, Melchiadi & alijs. Ex harum vnâ, cum l.i. c. 5 n. 17. quidpiam attulisses, quod tibi arridebat, in harum epistolarum laudes his verbis effunderis. **Hæ antiquæ epistolæ et iam si illorum Pontificum, quibus adserio buntur; vix esse credantur, sunt tamen satis ANTICVÆ;** & ad Romanas traditiones oppugnandas, non ad confirmandas **VALIDÆ.** Magnæ laudes. Igitur videamus an in his Epistolis Petri Monarchia contineatur? nam si continetur neque antiquitati ignota, neque Romana traditio, sed Christi institutio erit. Lib. 4. c. 10. n. 13. varia testimonia ex illis epistolis citas. Alexander dicit; *Huic sancta & Apostolica sedi summarum dispensationes causarum & omnium negotia Ecclesiarum ab ipso Domino tradita sunt, quasi ad caput ipso dicente Principi Apostolorum Petro. Tu es petrus & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claves regni calorum.* Idem habet Anacletus, Marcellus & alij: denique **hoc citas l.i. Melchiades, Privilégium, inquit, iudicandi Episcopos** c. 10. n. 29. **beato Clavigero Petro solummodo Christi vice commissum est.** Tantum tibi constes, Antoni, & Petri Monarchia iam vicit. Sed frustra hoc à te petimus: nihil enim tu tam affirmate dices vñquam, cuius contrarium non sis pari confidentia dicturus.

15. Quid enim ad ista respondes? **Hæc, inquis, nos facile** vt ab illorum temporum stilo aliena, & antiquitati ignota atque adeo vt ex posteriorum Papicolarum officina prodeuntia, eandemque prorsus manum redolentia fastidimus. Non vides Antoni? non manu palpas inconstantiam tuam? quas epistolas prius ad cælum vsque laudieras, iam diris deuoues & execraris. dum tibi fauebant, antiquæ erant, & satis antiquæ, vt antiquiores ne quidem desiderares: nunc quia aduersantur, antiquitati prorsus ignotæ sunt & ex posteriorum Papicolarum officina prodierunt. Dum tibi fauebant,

bant à Romanis traditionibus erant puræ:nunc, quia aduersantur, Papicolarum manum redolent, vt eas propterea fastidias. Dum tibi fauebant, erant firmæ, valide, non reiiciendæ:nunc, quia aduersantur, facile eas contemnis, & firmæ tibi adeo non videntur. vt l. 2. c. 2. num. 6. *arenam volubilem* voces. Nimirum ius tuum, vt authorem pro libitu tuo vel antiquum vel recentiorem facias, exerces; quod tibi suppeteret l. i. c. 10. n. 10. insinuas, de Damasceno cum sic scribis. *Non est tanta authoritatis, vt inter recentiores & dormitantes aut adulantes non posset interdum reponi.* Hæc tu & alia ineptiora, quibus contemptis illud assumimus, quod tibi dictum veritas exprefsit, has epistolas Romano-rum Pontificum esse antiquas, à Romanis traditionibus alienas, & ad arguendum theologicè firmas: quæ cum Petri Monarchiam apertissimè contineant, illum & antiquam & Christi institutionem esse concludimus.

TERTIVM ARGYMENTVM.

16.

Nulli Catholico Doctori, nisi post mille à Christo annos Petri Monarchiam venisse in mentem, quam temere dixeris, probatur ex testimonij quatuor Patrum, quibus satisfacere conaris; sed quia nec quidem tibi ipsi satisfacis, tandem reiwcere cogeris.

Primus est author quæstionum Noui ac Veteris testamenti, quem sèpissimè citas sub nomine Augustini vt lib. 4. in procœlio n. 4. *Augustinus (inquis) sue aliis, vir sane magni iudicij & authoritatis in Ecclesia.* *Auct. q. 9.* Hic ita de Petro scribit, sicut in *Saluatorē erant omnes causa magisterij: ita & post Saluatorem in Petro o-* *ver. & no. test. q. 75.* *mnes continentur: ipsum enim constituit caput eorum* vt esset pastor gregis dominici. *Manifestum est ergo in Petro omnes contineri: rogans enim pro Petro pro omnibus rogasse dignoscitur; semper enim in preposito populus aut corripitur, aut laudatur. Hæc ille; nec potuit clarius*

clarius loqui. Tū l.i.c.9.n 6. *Hic author*, inquis, intellexit Petrum fuisse caput, id est, primum & procuratorem & representatorem ceterorum. Certè. quid enim aliud intelligere potuit, si Monarchiam voluit intelligere, quam cum qui tanquam Princeps & præpositus totam Ecclesiam, ipsos etiam Apostolos iure diuino & institutione Christi repræsentaret, Ecclesiæq; negotia publica curaret, tanquam omnium voluntates in suâ continens? Pergis igitur & addis: *Quod si hic author propriè intellexit petrum fuisse solum pastorem gregis Dominici, & præsertim ceterorum Apostolorum pastorem, valeat; nam contra Sacram Scripturam & Patres nemo audiens.* Ita tractare cogēris Patres Antiquos, quia Petri Monarchiam clarius asserunt, quam ut eos possis exponere. Et tamen hoc cum facias tam excors es, ut simul clamare non verearis Petri Monarchiam nulli Doctori antiquo vel venisse quidem in mentem.

17. Secundus Arnobius est, qui scripsit in Psalmos: non ille antiquissimus Magister Lactantij, qui vixit tempore Diocletiani; sed recentior, qui vixit tempore Augustini, & quem floruisse ante mille annos constat, cum à Beda ut antiquus Psalmoruni expositor citetur: hic, inquam, de Petro sic scribit. *Ecce Apostolo Arnob. in psal. 138.* pœnitenti succurritur, qui est Episcoporum Episcopus, & maior gradus redditur ploranti, quam sublatus fuerat deneganti &c. Hoc enim nomen sanctum (pastoris) & ipsius potestatem nominis, post resurrectionem Petro pœnitenti concessit, & negatus negatori suo hanc, quam solus habuit tribuit potestatem. Ita Arnob. cui nihil habes, quod respondreas, nisi cum errare; cum Cyprianus Episcopum Episcoporum non admittat; & falsum sit Petrum maiorem gradum recepisse pœnitenda, quam peccando perdidera. Ita tu dictū Arnobij, & inconstanter tanquam Monarchicum admittis & inepie impugnas. Nam Cyprianum non negasse vel hominem vel

*vide Posse-
natum in
apparatu.*

Arnob. in psal. 138.

vel officium Episcopi Episcoporū, sed illius potestatis exercitium ager tulisse, quod suo aduersaretur erori, in Synopli mea ostendi. Petrum vero pænitentem maiorem dignitatem pænitendo recuperasse, quam peccando perdiderat tu verbo negas, contraria autem Arnobius demonstrat. Nam Petrus ante negationem fuerat Princeps Apostolorum, sed illi tunc Episcopi non erant, sed ad summum in ultimā cēnā facti Presbyteri: at vero in die resurrectionis ordinati sunt a Christo Episcopi, & postea Petrus illis iam factis Episcopis pastor datus. Itaque qui peccando dignitatem Principis Presbyterorum amiserat, hoc est, ea se indignum reddiderat; & ea priuari meruerat: pænitendo meruit & obtinuit officium pastoris & episcopi Episcoporum. Nihil potuit verius, nihil elegantius ab Arnobio dici. Quanquam non iam quærimus an tu sapientior Arnobio, sed an te ipso insipientior sis, qui cum nulli Doctori Catholico Petri Monarchiam nisi post mille a Christo annos venisse in mentem aspergas, tamen Catholicos Doctores antiquos quod eam afferant reprehendis.

Tertius est author *Comment.* in epistolas Pauli, qui tribuntur Ambrosio, quem tu s̄apere tanquam magnæ authoritatis citas & dicis esse satis antiquum. Hic in c.3. primæ ad Timoth. Damasum Ecclesiæ pastorem appellat, cum quibus verbis diu luctaris l. 4. c. 10. n. 84. sed tandem cedis, & ita concludis: *Si non possunt hæc verba à Papificâ significazione abstrahi, tunc dixerimus authorem hunc existimasse, ad Romanos Pontifices per Petrum totius Ecclesiæ regimen deuenisse.* Igitur Papatus seu regimen totius Ecclesiæ fuit a Christo in Petro institutum velut in capite, a quo ad Romanum Pontificem peruenit opinione huius authoris, quem Catholicum fateris & satis antiquum.

Quartus Origines. Petro, inquit, cùm summa re- 19.
sum

*Epist. ad
Rom. c. 6.*

rum de pascendis ouibus traderetur , & super ipsum, velut super terram fundaretur Ecclesia. Cenit, inquis, l.i.c. 10. n. 13. verba illa Latini interpretus , puto Ruffini, (summarerum traderetur) latimè amplam habent significati synem, lubentius Gracum Orig. dictum considerarem, si exstaret: arbitror enim aliquid modestius dici. Ita ad Græcum prouocas Orig. dictum, quod non exstat, putasq; non fuisse Orig. vel à Ruffino vel ab alijs Latinis authoribus intellectū. Itaq; in Latino Origine tredecim s̄eculorum consensu approbato exstitisse fateris Petri Monarchiā cum suminā rerū totius Ecclesiæ illi traditā verbis adeo amplis & magnificis, vt in illis modestiā requiras. Hæc omnia cum videas & fatearis, tamen adeo mente cares, vt vel venisse in mentem cuiquā Doctori Catholico antiquo Petri primatū neges.

Q V A R T V M A R G V M E N T V M.

20. Patres omnes antiquos Petri primatum agnouisse tu fateris apertè; quod hoc argumento probo. Qui Petro officium fundamenti, claves regni cœlorum, officium pastoris, regimen & curam totius Ecclesiæ præcipue & singulariter præ ceteris Apostolis tribuit, eum constituit totius Ecclesiæ Monarcham, vt iam ostēsum est. Sed concedis Patres antiquos omnes, officiū fundamēti, claves regni cœlorū, officiū pastoris, & regimen & curā totius Ecclesiæ Petro præcipue & singulariter tribuere; huius rei decē profero exēpla.

*Orat. do
mod. Ieru.* Primus Gregor. Nazianzenus, qui Petrum inter Apostolos fundamenta Ecclesiæ fidei suæ credita habere dicit, & quod reliqui discipuli se posthaberi trāquillo animo sināt. Respōdes l.i.c. 10.n.4. in hęc verba, omnes Apostolos aq; fundamenta fuisse iam probatum est, quod vero Dominus maximē & præcipue id Petro cōtulerit, non agre ceteri ferebant: Hæc tu: que non video inter se qui cohærent. Nam si fundamenta Ecclesiæ aq; fuerant omnes Apostoli inclusiō Petro, quomodo Petro

Petro hoc Christus maximè & principaliter contulit? & si Petrus regimen totius Ecclesiae maximè & præcipue habuerit, quomodo non Pontifex totius Ecclesiae maximus fuit?

Secundus Epiphanius ib. n. 5. *Hic est qui audiuit, pasce agnos meos, cui creditum est ouile*: non soli, inquis, sed *Anchorate.* Epiphanius in
præcipue & principaliter. Ita est.

Tertius Chrysost. Petrum Christus Ecclesiae futurę pastorem constituit. *præcipuum quidem*, inquis l. i. c. 6. n. 43. sed non solum Recte. Idem Chrysost. Petrum pescatorem dicit fuisse caput & pastorem totius Ecclesie. loquitur (inquis ibid. n. 14.) *de supra Petri Apostolica potestate, quā tamen minorem ceteri Apostoli non habuerunt.* Hæc tu: quæ non satis secum ipsa constant: Nam si Petri potestas inter reliquas Apostolicas sit suprema, quomodo ceterorum potestas Petri potestate non minor in eadem specie potestatis? Quod si Petrus inter Apostolos habuerit supremam potestatem, quomodo non totius Ecclesiae supremus princeps, id est, Monarcha?

Quartus Theophylactus Christum facit Petrum in *Luc. 22,* sic alloqui: *Quia te habeo in principem Apostolorum meorum postquam negato me fleueris confirma ceteros: hoc enim decet te, qui post me futurus es Ecclesiae peira & fundamentum.* Petra præcipua, inquis l. i. c. 10. n. 9. fuit Petrus, sed non sola, & præcipuum fundamentum.

Quintus Damascenus Petrum dicit *prædestinatum, tanquam qui Princeps futurus esset & totius Ecclesiae clavum suscepturus.* Hæc, inquis, Petrum ut præcipuum non autem vt solum Ecclesiæ præsidem extollunt.

Sextus Origenes, quem fateris l. i. c. 10. n. 13 dicere Petro, *principaliter & maximè pasturam ouium seu officium pastoris committi.*

Septimus Ambrosius, *Dignum fuit (inquit) ut Paulus in c. 1. ad cuperet videre Petrum, qui primus erat inter Apostolos, cui Gal. 1. 18. Salua.*

Saluator delegauerat curam Ecclesiarum. Specialiter, inquis l.i.cap. 9. num. 26. intellige & principaliter per illa verba pasce oves meas fuit Petro cura Ecclesiarum delegata.

21. Octauus Leo magnus. *De toto mundo unus eligitur, qui & vniuersarum gentium vocationi & omnibus Apostolis cunctisque Ecclesia Patribus præponatur, vt quamvis in populo Dei multi Sacerdotes sint multique pastores; omnes tamen propriè regat Petrus, quos principaliter regit & Christus.* Respondes l.i.cap.10.nu.22. Leonem intelligere maxime & præcipue, & vt alibi dixit specialius omnium gentium curam Petro dematidari.

22. Nonus Beda. *Vocauit Petrum Christus vocabulo, quod totius Ecclesie Præsuli congrueret, & alibi vidit Christus Petri simplicitatem eius merito cuncte esset præferendus Ecclesia. Petrus, inquis, toti fuit prælatus Ecclesiae, sed non solus, solus tamen maxime & principaliter. Si solus maxime principaliter præcipue, specialiter totius Ecclesiæ Prælatus, Præses, Pastor, Sacerdos, Curatus, fundamentum, rector, caput: certè solus supremus Princeps, id est, Monarcha.*

23. Decimus Optatus Mileuitan. *qui sic Parmentium alloquitur. Negare non potes, te scire in Urbe Româ Petro primo Episcopalem cathedram esse collocatam, qua se derit omnium Apostolorum caput Petrus, unde & Cephas est appellatus: in qua vna cathedrali unitas ab omnibus servaretur, ne cateri Apostoli singulæ sibi quisque, defendere: ut iam schismaticus & peccator esset, qui contra singularem cathedrali, alteram collocaret.* Respondes l.i.c.10.n.18. *Optatum non intelligere cathedrali singularem Romanam, sed vniuersalem totius Ecclesiæ Catholice, quod constat (inquis,) quia se reducit ad Petrum non quia Petrus erat unus singularis & primus Apostolus, sed quia erat Apostolus. Hæc tu textum Optati non explicans, sed euertens. Aperte enim Optatus*

tus cathedrā Petri dicit singularē fuisse, & ita singularē, vt Apostoli non potuerint sibi cathedras singulas, i. e. à Petri singulari cathedra independētes cōstituerē. & huius singularitatis & eminētiæ causā dicit esse, quod Petrus, qui sedidit in eā, fuerit omnium Apostolorum primus & caput. Loquitur quidem non solum de cathedra Romana, sed etiam de cathedra Petri vniuersali, quæ cum Romana coniuncta est. Nam ut diximus supra, cum Cyprianum explicuimus, Ecclesia vniuersalis folius Petri ex Apostolis cathedra fuit, quia solus praeſuit toti Ecclesiæ vniuersali, tam clero, quam plebi illius. nullus autem in Ecclesia cathedralm habet, qui non sit in ea pastor omnium supremus. Singularis igitur fuit cathedra Petri supra reliquas Apostolorum cathedras, præcipua, eminens, principalis. Quare & Petri Monarchiam ne semel quidem ylli Sanctorum Patrum venisse in mentem, quam temere & imprudenter dixeris, iam opinor intelligis.

ARTICVLVS III.

Petrum primatum suum exercuisse,

PETRVS in primitiua Ecclesia Monarchicum principatum gessit & exercuit. Probatur ex varijs signis Monarchiæ Petri, quæ apparent in Act. Apostolorum. Octo colligit Bellarm. ego quatuor, nec nūl per tua dicta vrgebo.

Primo, Petrus statim post Christi ascensum coligit gregem eumque pascit loco Christi & consolatur. Qui locus illustratur testimonio Chrysostomi, quem dicas adeo à Petri primatu abhorruisse, vt pene blasphemum sit dicere quod illum agnoverit; videas igitur qui in hunc locum scribat Chrysostomus. Tria dicit

homil. 3. in act. Apost.



192 MONARCHIAE ECCLESIASTICAE,
dicit, quē Petro primatum absolutissimum tribuit.
Primum est quod tota multitudo, quam Petrus allo-
quebatur, atque adeo Apostoli erant in grege, quem
Petro Christus credidit. Ita sribit: *surgens Petrus in
medio discipulorum dixit , &c. Quam est feruens ! quam
agnoscit sibi creditum à Christo grege ! quam in choro prin-
ceps ! & ubique primus incipit loqui.* Hæc Chrysost. Tu-
l. i. c. 9. n. 19. ita respondes. Collegium Apostolicū non fuit
grex, quem Petrus pascendum suscepserat. *Quorsum ergo di-
cit Chrysost. quam agnoscit sibi creditum à Christo gregem ?*
*Si actus hic tertiū actus fuisset pasturæ optimè diceret ; cum
tamen nō sit actus pasturæ seruiunt tantum ad ornatum.* Ita
tu: Chrysostomo teipsum, & illius authoritatī tuam
opponis. Apostolos fuisse de grege Christi, quem Pe-
tro tradidit Chrysostomus asserit, tu negas. cui cre-
demus? vel potius, quomodo satis admirari cæcitatē
tuam possimus, qui cū dixisses, magnā Petri Monar-
chiam, qua pastor fuerat totius Ecclesiæ, etiā Aposto-
lorū cum sacra Scriptura pugnare, nulli sanctorū Pa-
trū vel venisse in mētem, omniū verò minimè Chry-
sostomo; hunc Chrysost. illam afferenti resistere in os
cogare. *Quorsū ista Chrysost. oratoriè nō Theologicè loqui-
tur. que dicit seruiunt tantū ad ornatū.* Scilicet dogmata
blasphema & cū Scriptura pugnantia, quale dicis hoc
esse, Christianā eloquentiā ornent. Sed Chrysostomū
hæc optimè scriptile ex tuo dicto potest probari, si
Petrus (inquis) tunc exercuit actū pasturæ, optimè dixit
Chrysost. Apostolos fuisse de grege quē Petro Christus cōmisit.
Subsumo; sed Petrus tūc exercuit actū pasturæ seu of-
ficiū pastoris. Primò, lustrando & recensendo gre-
gē statim initio pastoratus. Secundò, vt ait Chrysost.
discipulos consternatos casū Iudea consolando. Tertio cu-
rando, vt numerus pastorum, qui propagandæ & re-
gendæ Ecclesiæ necessarius erat, suppleretur. An non
hi actus pasturæ? an nō hoc officium pastoris & Prin-
cipis

cipis Ecclesiæ? igitur optimè dicit Chrysost. Petrum fuisse à Christo institutum pastorem Apostolorum.

Secundum quod dicit Chrysostomus, ex quo colligatur Petri primatus, est; Petrum potuisse solum per se pro sua potestate vnum in locum Iudeæ substituere, sed ex modestia noluisse. *Iam, inquit, & illud considera;* quam Petrus agit omnia ex communi discipulorum sententia; nihil auctoritate suâ, nihil pro imperio, neque simpliciter dixit hūc in locū Iudeæ sufficimus. An non licebat illi eligere? licebat, & quidem maximè; verum hoc non facit, ne cui gratificari videretur. Quid clarius? Non possum nō subridere, cum lego quid tu respondeas, vbi supra. An non (inquis) tibi videretur, Lector, Chrysost. esse in ea sententiâ, vt putet Petrum solum habuisse auctoritatem Apostolum vnum pro sua potestate substituendi? quod si esset verum, certè Petrum putauit supremum & absolutum Ecclesiæ Monarcham. Prorsus, Antoni, hoc dicere Chrysostomus nobis videtur; & hoc eū sentire verba ipsius clamant. Quid tu vero? Absit, inquis, vt hoc cogitemus de eo, qui saepius contrariū tradidit ex professo. Quis te ita disputat, qui audit, risum teneat? & vbi tradidit Chrysost. ex professo Petrum non fuisse totius Ecclesiæ, etiam Apostolorum principē? in toto opere tuo ne verbum quidē affers ex Chrysostomo, nisi magnas Pauli laudes comparationesq; cum Petro, præsertim in Orationibus, quas de Paulo habuit; vbi quia nō dixit Petrum fuisse Paulo auctoritate superiorē, argumentaris hoc ignorante Chrysostomum, vel per summam inuidiam tacuisse. Hoccine est ex professo Petri primatū negare? An Chrysostomo in Orationibus, quas de Pauli laudibus habuit, propositum erat dignitatē Petri supra Paulum asserere, & non potius omnia tegere, quæ Pauli gloriam obscurare possent? An non eadē panegyri Paulum Angelis confert, aut præfert, vbi multa omittit apud Christianos notissima, qui-

bus Paulum Angeli superant? An inde concludes illa Christianæ fidei prima principia ignorasse Chrysost. vel summa in Angelos inuidia tacuisse? An non intolerabilis infiditatem dicere Chrysostomum in Scripturæ sacræ expositione, cùm loquitur de Petri primatu semper exundasse; non modo vera reticuisse, sed etiam falsa dixisse, quæ seruant ad ornatum: in orationibus vero de Paulo, ubi in illius laudes aureo eloquentiae flumine totus incumbit, pressum & seuerum Theologum fuisse, ut non modo de Paulo nihil in Theologico rigore nimium dixerit; sed neque de Angelis, vel de Petro quidpiam subticuerit, quod Pauli laudibus officere posse videretur?

26. Tertio Chrysostomus Petri primatū asserit dicens, *petrum quamus haberet ius constituendi par omnibus, tamen ex virtute & modestia congruenter non hoc fecisse. Merito autem, inquit, auctoritate primus usurpat in negotio, vt, qui omnes habebat in manu: ad hunc enim dixit Christus, confirm a fratres tuos.* Perstringit oculos tuos hoc clarissimum dictum, Antoni, veluti queritis, quod illis obducas. Dicis Chrysostomum sibi videri contrarium, quia dicit Petru omnes Apostolos habuisse in manu, & tamen omnes Apostolos pares Petro fuisse. Nam dicit ius constituendi Petrum habuisse par omnibus. ergo, inquis, singuli in iure eligendi pares Petro erant. Semper, Antoni, dormitas; singulos in iure eligendi fuisse pares Petro, quia Petrus fuit par omnibus. Quām ineptè disputes, disce hoc exemplo. Sampson fortitudinem habuit parem omnibus Philisteis, quis tamen qui sapit ex eo inferat singulos Philisteos fortitudine pares Sampioni fuisse? Chrysostomus asserit Petrum per se solum potuisse, quod ex communī discipulorum sententia pro suā modestiā agebat, vt unus loco Iudæ Apolloli substitueretur. Hoc potuisse per se Petrum probat ex eo, quod solus

solus Petrus ius constituendi par omnibus simul sumptis haberet, & tu inde concludes ex Chrysost. mente singulos Petro pares fuisse? non sapis. Quare quod dicit Chrysost. Petrum iure eligendi & tractandi negotia publica Ecclesiæ parem fuisse omnibus Apostolis simul sumptis, non pugnat, sed optimè conuenit cum altero eius dicto; Petrum Apostolos omnes habuisse in manu. Cum vero respondes Petrum omnes habuisse in manu, non quia Monarcha erat, sed quia Petrum omnes ob personalia priuilegia ita reuerebantur, ut ab eius sententia nunquam discederent, hocque Petro exploratum erat, hoc inquam cū dicis in meridiana luce velut in media nocte palpas: nam causam, cur Chrysost. Petro Apostolos subiecerit incertis coniectatiunculis venaris, quā ipse Chrysost. verbis clarissimis afferit fuisse officium, quod in reliquos Apostolos Christus Petro mandauit. *Omnes, inquit, habebat in manu; ad hunc enim dixit Christus, confirma fratres tuos.* Et tu in his verbis de personali Petri primatu, & voluntariâ Apostolorum erga eum reuerentiâ somnias.

Secundum signum Primatus Petri ex Act. Apost. 27.
hoc est, quod absolutè & simpliciter Apostoli facere dicantur, quod tamen solus Petrus ficeret, Apostolis absentibus, nec quid ficeret scientibus: quod euidenter conuincit Petrum absolutum Principem & Monarcham fuisse. Act. 9. agens Lucas de Pauli aduentu Hierosolymam post triennium conuersionis suæ, cùm reliqui discipuli ab eo fugerent, Barnabas apprehensum eum, inquit, duxit ad Apostolos, & narravit illos, quomodo in via vidisset Dominum. & erat cum illis intrans & exiens & fiducialiter agebat in nomine Domini. Hæc Lucas: vbi narrat Paulum Hierosolymam venisse ad Apostolos, exceptum esse ab Apostolis, approbatum fuisse ab Apostolis: & tamen, cum Pau-

Ius loquens de hoc ascensu dicat se ascendisse ut videret Petrum, alium autem Apostolorum tunc vidisse neminem, nisi Iacobum fratrem Domini. Hæc, inquam, cùm Paulus scribat fateri debes Paulum à solo Petro ex Apostolis exceptum, admissum & approbatum fuisse; nec tunc vidisse quidem ullum præterea ex Apostolis duodecim, cum Iacobum fratrem Domini ex duodecim Apostolis non fuisse dicas l.z.c.z.n.44.

28. Hinc colligitur, cum Paulus postea circa quæstionem de obseruatione legalium dicitur Hierusalem ascendisse ad Apostolos, ad vnum Petrum ascendisse, ad quem eum ascendisse scribit Theodoretus, significatque Hieronymus cum dicit Petrum consilij illius & decreti Apostolici principem fuisse. Apostoli enim per orbem tunc dispersi erant, nec præterquam Petri mentio fit ullius Apostoli, si (quod tu ut certum assleris) Iacobus frater Domini Apostolus non fuit. Quod vero dicatur Paulus exceptus ab Apostolis, non impedit quin à solo Petro exceptus fuerit, sicut in primo ascensu dicitur ductus absolute ad Apostolos, cum tamen ductus fuerit ad solum Petrum, qui velut Princeps & Monarcha in se omnes continebat.

29. Secundo hinc colligitur te non nisi ineptias conglobare, cum varia argumenta contra Monarchiam Petri ex Concilio primo Hierosolymitano ducis l.x. c.ii.n.19. In grauiſſima quæſtione, inquis, ascenditur ad Apostolos, non igitur ad vnum Petrum. excipitur Barnabas & Paulus ab Apostolis, non igitur ab uno Petro. Conuenerunt Apostoli videre, non igitur ſolus Petrus. Paulus præcipiebat ſenari decretum Apostolorum, non igitur ſolus Petri. placuit Apostolis & senioribus (aut sacra historia) mittere Antiochiam Silam & iudam, qui cognominabatur Barsabas, viros primos in fratribus; non igitur Petrus legato tam gratus in

ues in grauißimā causā mittit, sed omnes Apostoli. Hæc tu: quæ si vera essent, nihil tamen Monarchiæ Petri offi- cierent, quem non solum sed supremum Ecclesiæ principem facimus; nec per se solum, sed simul cum Apostolis & Episcopis regere Ecclesiam Christi De- inde hæc consequentia, excepti sunt ab Apostolis. er- go non ab uno Petro, vana esse conuincitur hac vnâ instantiâ: Paulus dicitur post triennium conuersionis ascendisse Hierosolymam ad Apostolos, & tamen as- cendit ad solum Petrum; dicitur à Barnaba ductus ad Apostolos, & tamen ductus est ad solum Petrum: di- citur exiſſe & intrasse cum Apostolis; & tamen cum solo Petro ex Apostolis verſabatur, & solius Petri præsentia honorabatur. Igitur Petrus fuit ita totius Ecclesiæ etiam Apostolorū princeps ut in eo omnes continerentur; quodque vñus Petrus faceret hoc A- postoli absolutè facere dici merito poterant.

Tertio colligitur non posse ostendi septem primos 30. Diaconos fuisse ab omnibus Apostolis aliter ordinatis, quam quod Petro eos ordinanti astiterint, ordi- nationemque Petri ratam habuerint. Probatur, quia sicut duodecim Apostoli dicuntur Diaconos septem ordinasse, ita dicuntur eo loco multitudini dixisse, *non est aquum nos derelinquere verbum Dei &c.* atque adeo non magis ordinarunt septem diaconos quam di- xerint ea verba. Sed nō omnes simul dixerūt illa ver- ba sed vñus tātū, nimirū Petrus nomine omniū; omnes autē ea dixisse referuntur quia Petro loquēti astiterūt, sicut Petrus dixit omniū nomine, *Tu es filius Dei viui;* ne si omnes simul & certatim respōdissent clamare eos facere- mus more stultorū ut tu loqueris l.i.c.n. 36. Igitur cum dicitur duodecim Apostolos septē Diaconos ordinata- se, nō potest colligi eos ordinasse aliter, quā quod Pe- tro eos ordinati adstiterint, sicut locuti sūt; quia Petro loquēti astiterūt, præsertim cum Diaconorū ordinatio-

peracta fit non solum manuum impositione; sed etiam sermone, quo declarabatur quæ potestas & quod ministerium ipsis committeretur. omnes autem duodecim Apostolos simul verba ordinationis protulisse videtur indecens, *clamassent enim* (ut tuis verbis utar) *more stultorum.* Vnus igitur eorum princeps & locutus est ad multitudinem; & manus Diaconis imposuit, & verba ordinationis protulit: reliqui vero ei ista facienti adstiterunt, factumque approbarunt; ideoq; quod ille dixit & fecit, dixisse & fecisse narrantur. falsoque est, quod tu sine probatione assunmis Petrum seorsim in illa ordinatione nullam actionem habuisse.

31. Tertium lignum Monarchiæ Petri habetur Act. 9.
factum est autem cum Petrus pertransiret vniuersos.
Tanquam dux, inquit Chrysost. obambulans considerabat, quæ pars sit coadunata, qua suo aduentu egeat: vide ubique cum circumcursare & primum inueniri. Ex quibus sequitur Petrum non tantum fuisse operarium in Christi vineâ; sed etiam operarijs præfectum, qui eorum opera consideraret, corrigeret & emendaret. Quod Petri officium tu l.4.c.1.n.24. dum obscurare vis valde illustras, cum Paulum visitantem Ecclesias cum Petro comparas. Paulus enim Act. 15. reuertentes, inquit, visitemus fratres per vniuersas ciuitates, quibus prædicauimus verbum Domini. Hic cerno, inquis, multo magis Paulum factum vniuersalem visitatorem, quam Baronius faciat Petrum in illis verbis; factum est dum Petrus pertransiret vniuersos. Quod cupis, Antoni, facile vides; neque enim quod in rebus est, sed capitioli figmenta vides. Verba enim Lucæ de Petri visitatione multo sunt vniuersaliora quam eiusdem de visitatione Pauli. Nam Paulus non simpliciter vniuersas Christianas Ecclesias visitauit, nec alias quam quas ipse fundauerat; vniuersas ciuitates (inquit) quibus præ-

bus prædicauimus; at Petrus dicitur simpliciter & ab-solutè visitasse vniuersos; non solum Ecclesiæ, quas ipse fundauerat, sed etiam ab alijs Apostolis fun-datas, tanquam operi Christiano vniuerso præf-etus, qui que non solum laborare ipse, sed etiam alio-rum Apostolorum labores inspicere & vniuersæ Ec-clesiæ inuigilare debebat.

Quartum signum Monarchiæ Petri Act. 12. vbi 3². pro Petro coniecto in carcerem ab Herode, oratio siebat sine intermissione ad Deum, quod neque pro Iacobo factum legimus, qui paulò ante Petrum vin-ctus fuerat ab Herode; nec pro Paulo, qui non ita multo post Hierosolymis coniectus in vincula est. Hic tu nihil habes, quod verè respondeas, sed huic argumento satisfacere dum cupis, quod prius sæpe asserueras euertis. *Quia erat (inquis) primus & maxi-mus Apostolus, & Ecclesia utileissimus, qui sua incredibili solicitudine & immensis laboribus pro Ecclesia toleratus, ma-ximum etiam erga se Ecclesia conciliauerat amorem;* ideoq;_z ab ea siebat oratio sine intermissione pro eo. Hæc tu. Sed quomodo Petrus pro Ecclesia tā immēsos labores to-lerarat, qui extra Iudæam ante vincula Herodis, ne-pedem quidem, si tibi credimus extulerat. Deinde l.i.c.6.n. 47. dicis Paulum charitate, solicitudine & laboribus in conuersione animarum exantlatis Pe-trum longe superasse: & ideo hoc nomine longè Eccle-siæ utileior erat, & charior esse debebat; nec tamen eo coniecto in carcerem oratio siebat ab Ecclesia sine intermissione pro eo. Igitur pro Petro siebat oratio oratio sine intermissione ad Deum, qui Ecclesiæ utileissimus erat & maximè necessarius, non tam propter labores, quam ratione officij, quod illi incum-bebat vniuersam Ecclesiam omnesque illius & Pa-tres & Episcopos in vnitate conti-nendi.

ARTICULUS IV.

De comparatione Pauli cum Petro.

33. **D**uo supersunt in hoc capite tractanda. Primum de paritate Pauli cum Petro. Secundum de Petri lapsu, an eius Monarchiae officiat. De primo quatuor tanquam certa statuo.
- Primo non fuit Paulus à Petri subiectione exemptus communis iure Apostolico. Probatur, quia si communis iure Apostolico fuisset exemptus, reliqui Apostoli omnes fuissent exempti: quod falso esse iam demonstrauimus.
34. Secundo si Paulus fuit singulari priuilegio exemptus, hoc non officit Petri Monarchie. Probatur, nam Petrus fuit Ecclesiae Monarcha & sub Christo Monarcha, quia totius Ecclesiae Monarcha ab eius obedientia ordinario iure nullus eximitur: neque humana potestate quenquam eximi fas est: quia tamen Petrus Monarcha sub Christo est, Christus ab eius obedientia singularibus priuilegijs quos velit eximere potest. Quod si Paulum Christus exemit, si propterea Petro se Paulus comparat, quia singulari priuilegio ab eius obedientia exemptus fuit, si hanc ob causam princeps Apostolorum cum Petro dicitur, & à Patribus toties cum Petro comparatur; admirari libet diuinam prouidentiam, quæ quo Monarchia Ecclesiae sarta tecta esset, nec quisquam à Romanis Pontificis obedientiam per Paulum se eximeret, Paulum Romanum adduxit, Romæq; mori cum Petro vna voluit, ut utriusque Principis Apostolorum priuilegia non nisi ad Romanum Pontificem successione deuenirent.
35. Tertio nullum est sufficiens fundamentum, cur Paulus Petro non fuisse subditus dicatur. Nam quod parem

parem Petro se dicit & à Patribus toties Petro æque-
tur, optimè intelligitur par Petro fuisse, sicut cæteri
Apostoli pares erant: Primo quoad genus potestatis
Apostolicæ. Secundo quoad vniuersalitatem, quia
curam habebat omnium gentium. Tertio quoad mo-
dum, quia factus Apostolus est immediate à Christo.
Quarto quoad reuelationem Euangelij quā habuit à
Christo, nō à Petro. Quinto quoad labores, quia plus
omnibus laborauit. Hęc tamen non impediunt, quin
Petrus habuerit eminētiā potestatis Apostolicæ, &
singularitatem seu principatiū in eadem tamen specie
potestatis, qui sufficiat ad Monarchiā, vt iā dictū est.

Quarto contentio Pauli cum Petro non officit e- 36.
ius primatui sed potius eum confirmat. Primò quia l.
1.c.ii.n.18. *Pauli auditores, inquis, Petri exemplum ma-*
gis sibi sequendum putabant, quam Paulo contrarium do-
centi credendum: quin etiam Barnabas, qui Paulo vnicē
adhærebat, qui proprius gentium Apostolus erat, Petri se-
quens exemplum à Paulo discebat; hoc autem non fecis-
sent, nisi summam in Petro Ecclesiæ regendæ pote-
statem, & autoritatem supra Paulum agnouissent.
Secundo quia Patres laudant Petri modestiam, quod
ab inferiore se corripi passus sit. *Quia cum is esset, in epist. ad*
quit Cyprianus, super quem Deus adificauit Ecclesiam, Quinsum.
non tamen se à Pauli correptione vindicauit; nec dixit, so
Primatum tenere, & obtemperari sibi à nouellus & posteris
potius oportere. Augustinus vero modestiam Petri ita
admiratur, vt Deum lapsum Petri permisisse cen-
seat, quo posteritas haberet exemplum sanctæ liber-
tatis in Paulo, sed modestiæ longè sanctioris in Pe- epist. 19. ad
tro. *Sanctius, inquit, & rarius exemplum Petrus posteris*
prabuit, quo non dignarentur à posterioribus corripi,
quam Paulus quo confidenter auderent minores maiori-
bus pro defendenda Veritate salua charitate resistere.
Ita AVGVSTINVS. Iam si PAVLVS non fuit
Petro

Petro vere subditus; si (quod l.i.c.ii. nu. 20. asteris) nulla prorsus sit inter ipsos distantia ; certè neq; magnum neque rarum humilitatis exemplum Petrus præbuit posteris: quis enim ob vnius aut alterius anni antiquitatem ita superbiat , vt se moneri & reprehendi nolit. Imo si Petrus Pauli superior non fuit, nullum exemplum præbuit Ecclesiæ Principibus verisque superioribus, vt à suis subditis se corripi & reprehendi paterentur ; quale tamen exemplum Petrum præbuisse Patres ut certissimum supponunt.

37. At inquis l. i. c. ii. num. 13. si Petrus summus Ecclesia princeps fuit , Paulum defendi ab arroganta & procacitate non posse: superior enim potest quidem à subdito , sed cum debita reverentia corripi ; quomodo autem Paulus debitam seruauit reverentiam erga supremum totius Ecclesiæ caput , vbi palam ei in faciem resistit , obiurgat , increpat ? Quibus verbis ostendis te Pauli illud , in faciem ei restitu , sic accipere quasi os suum ori Petri contulerit , signoq; aliquo incomposito , quem gerebat animo Petri contemptum , in faciem eius effuderit. Sanctissimum Apostolum tuò pede metiris ; vt tu contumax in Petri successorem es , sic Paulum proteruire singis in Petrum. Sed absit , vt ita iurgatum Apostolum putemus , quomodo iurgari mulierculæ solent. Illud enim , in faciem restitu significat palam feci , coram multitudine eum reprehendi; quod postea explicuit his verbis ; *Cepha coram omnibus dixi. Neque vllā ysus est Paulus verborum acrimoniā , neque Petrum nisi suo exemplo & autoritate redarguit. Si tu Iudæus cum sis , gentiliter viuis & non Iudaicē , quomodo gentes cogis Iudaizare ?*

* *

ARTI-

ARTICVLVS. V.

Blasphemia Antonij de Petri lapsu in fide.

LI.B.I.C.6.n.35.& c.11.n.19. Petrum dicis errasse in ^{38.} fidei, atq; adeo ruinosum fuisse Ecclesiæ fundamen-
tum, quam destruxit potius quam ædificauit dum gentes cogeret Iudaizare. affirms enim Petrum existimasse, circumcisionem gentibus Christianis obseruatu necessariam fuisse, legalium obseruationem in Ecclesiam introducere voluisse. Et l.4.c.1.n.22.
& 23. addis, Antiochenæ seditionis (de qua Act. 15.) Petrum vel authorem vel actorem fuisse. Nam dicis eum elapsum ex vinculis Herodis perrexisse Antiochiam, hocq; certissimum videri; ibi integrum annum & amplius mansisse, quo tempore Paulus & Barnabas missi gentibus prædicarunt. Paulo vero reuerso, factum est, inquis, scandalum Antiochia ab ipsis fratribus, qui descendentes de Iudea docebant gentibus Christianis circumcisionem necessariam esse. Inter eos porro, qui Antiochia hoc scandalum excitarunt, proculdubio suo exemplo fuit etiam Petrus. Hæc tu: nec intelligis adhuc sat scio, quam sint hæc temeraria & impia quæ dicis: sed ego tibi liquido commonstrobo. Quinque enim peccata, eaq; grauissima incurris. Primo quæ dubia sunt tāquam certissima assumis. Secunda quæ sunt vel incerta vel falsa ita assertis, vt Augustinus & Hieronymus te censore Sacrae scripturæ penitus ignari sint. Tertio vt Petrum inter Pseudo-apostolos ponas, sacre narrationi apertissimè contradicis. Quartò vt Petro errorem in fide impingas, Paulo in faciem resistis. Quinto ne Petro pareas, ipsa Christianæ fidei funda-
menta cuertis. Hæc singula ostendo.

Inpri-

39. In primis dubia tanquam certissima assumis, cum dicis certissimum videri Petrum ex vinculis Herodis statim perrexisse Antiochiam; ibi annum & amplius mansisse, & Paulo ex primâ suâ peregrinatione Antiochiam reuerso proculdubio ibi fuisse. Quis enim non statim videat hæc dubia esse, neque probari certâ aliquâ ratione, nedum certissima posse? Imo cum dictis tuis alibi pugnant. nam si Petrus liberatus ex carcere perrexit Antiochiam, ibique annum integrum mansit; si Paulus, qui tempore liberationis Petri Hierosolymis fuit, quod fateris, simul rediit Antiochiam; si quod l.4. c.1. n. 22. asseris, statim fermè post Petri vincula Prophetæ & Doctores Antiocheni Paulum & Barnabam miserunt ad opus ad quod eos vocabat Spiritus Sanctus imponentes eis manus: certè ex his dictis tuis euidenter est Petrum cum Doctores Antiocheni Paulo & Barnabæ manus imposuerunt Antiochiæ fuisse. At l.2. c.2. n. 10. hoc negas. Ordinatio, inquis, Pauli vera non fuit, nec ab Apostolis facta est, sed tantum à Doctoribus & Prophetis Antiochenæ Ecclesia, vbi tunc nullus aderat ex duodecim Apostolis.
40. Secundo supponis contéctionem Pauli cum Petro ante celebratum primum Concilium Hierosolymitanum, quo definitum est, non esse seruanda legalia contigisse; & ita supponis ut qui contra sentiunt id est Augustinum & Hieronymum Sacræ Scripturæ penitus ignaros censeas. Nam l.4.c.1.n.23. ita scribis: Porro demonstratio est meo iudicio dissensionem ante Concilium contigisse, quia nimis si definitio praecessisset, non erat cur inter se discederent, sed uterque definitioni stetisset. Vnde concludis: quis igitur adeo diuina Scriptura cognitionis expers asserat post Concilium iam peractum & questionem de legalibus definitam Petrum Antiochiam venisse

venisse & ibi Paulum sua Iudaizatione turbasse? Hæc tu: igitur, te censore, diuinæ scripturæ agnitionis penitus expers est, qui asserit Paulum post Concilij definitionem de legalibus non seruandis cum Petro contendisse: & multo magis Sacrae Scientiæ penitus expers est qui dicit Petrum & Paulum, quando contendeant, diuersa circa obseruationem legalium non sensisse. Sed primum asserit Hieronymus, secundum Augustinus. Igitur te censore Augustinus & Hieronymus diuinæ Scripturæ cognitionis expertes penitus sunt. Minor propositio probatur ex Hieronymo, qui epist. II. inter epistolatas Augustini dicit expresse reprehensionem Petri à Paulo contigisse post Concilium. cum enim fuisse narrasset quid in Concilio Hierosolymitano factum fuerat à Petro, concludit; *Hec non debent molestia esse Lectori sed & illi & mihi utilia, ut probemus ante Apostolum Paulum, non ignorasse Petrum, immo principem fuisse illius decretis; legem post Euangelium non esse seruandam.* Hæc Hieronymus, qui clare affirmat Petrum à Paulo reprehensum postquam definitiisset in Concilio legalia non esse seruanda. Igitur censuit Hieronymus conventionem Petri & Pauli post Concilium contigisse; quod te censore nemo sentire potest, qui non diuinæ Scripturæ cognitionis penitus expers est.

Nec mitior es in Augustinum, qui Hieronymi 41. sententiam de Concilio ante Petri & Pauli dissidium celebrato non improbat; & quamuis in contrariam magis propendeat, tamen quoad doctrinam de non seruandis legalibus Petrum & Paulum paria sensisse clarissime affirmit, atque adeo ex hoc non demonstrari post Conciliū contingere nō potuisse ita scribit ep. 19. *Si post hoc Apostolorum decretum, Petrus habuit illā in Antiochia simulationem; quid mirum si constringebat eū*

Paulus libere afferere, quod cum ceteris Apostolis Hierosolymis se decreuisse meminerat? Quod si hoc (quod magis arbitrator, ante Concilium Petrus fecit, nec sic mirum est, quod eum volebat Paulus non timide obtegere, sed fidenter afferere, quod eum pariter sentire iam nouerat. Neq; enim negamus in hac sententia fuisse iam Petrum, in qua & Paulus fuit. Hic aperte afferit Augustinus Petrum & Paulum cum contenderet de legalibus seruandis non diversa sensisse; atque adeo eorum contentionem talim fuisse, quæ definitionem Concilij subsequi potuerit, hoc autem qui afferit demonstrationes ex Sacra Scriptura negat, te iudice, & diuinæ cognitionis expertus est. Quid igitur, te iudice Augustinus? Pudeat te, si non centuræ saltem insipientiæ tuæ.

42. Tertio multò adhuc grauius peccas, qui ut Petrum inter Pseudo-apostolos numeres sacræ narrationi apertissimè contradicis. Nam Antiochenæ seditionis authores Paulus ad Galatas Pseudo-apostolos appellat, & Concilium Hierosolymitanum euersores animarum, sine mandato Euangelizantes. Inter hos ut Petrum reponas, seditionem Antiochenam, quæ narratur Act. 15. dicis esse ipsam contentionem Petri & Pauli, quam describit Paulus ad Galat. cap. 2. quas tamen contentiones diuersas esse ex Sacra Scriptura aperte colligitur. Nam in contentione, quæ fuit inter Petrum & Paulum, Barnabas relicto Paulo adhæsit Petro, teste Paulo; ut etiam (inquit) Barnabas duceretur in eam dissimulationem: sed in seditione Antiochenâ contra Paulum Act. 15. Barnabas cum Patulo constanter aduersus Pseudo-apostolos consilit: imo non minus aduersus ipsum quam Paulum seditione concitata est. Quidam (inquit Lucas) de Iuda docebant fratres, quia nisi circumcidamini non potestis salvare: facta autem seditione non minima Paulo & Barnaba aduersus illos, statuerunt ut ascenderef Paulus & Barnabas & qui-

& quidam alijs ex illis ad Apostolos. Igitur seditio Antiochena contra Paulum à contentione Petri cum Paulo diuersa est , quas tu contra sacram historiam confundis impiâ mente , vt inter Pseudoapostolos Petrum reponas.

Quarto, vt Petrum facias serium necessariæ legaliū obseruationis assertorem, Paulo in faciem resistis, qui dicit Petrum non legalia seruāda iudicasse, sed ea se seruare simulasle, non male sensisse, sed non rectè ambulasle. Vnde iam pridē hæreticis Petri lapsum obijcientibus Tertullianus respondit, conuerstationis non prædicationis errorē illum fuisse : constat enim ex Scripturis Petrum à Paulo quoad doctrinam de legalibus seruandis vel non seruandis eiusdem mentis fuisse ; nam legalia & non esse obseruatu necessaria Petrus sciebat ; & Paulus illa pertuisse adhuc tunc temporis licite obseruari non ignorabat. Sed controuersia erat , an seruanda legalia cum gentium scandalō , an potius negligenda cum Iudæorum offensione essent? Historia enim ita se habet. Cum Petrus Antiochiae cum gentibus versaretur, eorumque cibis Christiana libertate vesceretur, ad eum Iudei Hierosolymis à Iacobo missi venerunt; Christiani illi quidein, tamen gentilium cibos quodam , quem cum lacte súixerant horrore respuebant. His hospitio Petrus exceptis à gentilium cibis, quibus antea vescebat, non Iudaica superstitione, sed ad hospitium suorum infirmitatem quorum Apostolus erat , velut gallina infirmata cum pullis, Christianâ charitate abstinuit. Petri facto commoti gentiles, apud quos Petri , quam Pauli proprij ipsorum Apostoli, erat haud paulò maior authoritas discedere à Paulo cæperunt, Petrum rati abstinere, quod cibos immundos censeret. Hoc est illud scandalum Petri, cuius accepta potius à gentibus , quam à Petro

208 MONARCHIAE ECCLESIASTICAE,
data iusta occasio fuit: facile enim gentiles Christia-
ni, ex eo quod Petrus antea eorum cibis vteretur, in-
telligere potuisent hanc subitam illius abstinen-
tiā, non Mosaicæ legis vigenti adhuc sanctitati; sed
Iudæorum, qui necdum ab ea penitus desiscere no-
uerant, infirmitati dari.

44. Et quamuis doctissimi Ecclesiæ Patres tam La-
tini, quam Græci Petrum ne in facto quidem nedum
in fide errasse defendant; Augustino tamen libens
concesserim Petrum non recte fecisse vel ex inadver-
tentia, quod scandalum non præuiderit, quod tamen
præuideret poterat & debebat; vel ex ignorantia,
quod quamuis gētilium offenditionem aduerteret, ta-
men Iudæorum potius offenditioni, sibi singulari eo-
rum Apostolo occurrentum putarit. Errauit igitur
Petrus in facto non ita consideratè vel prudenter à
gentilium cibis abstinentis. At Petrum in fide errasse,
legaliaque obseruanda existimasse pugnat aperte
cum Pauli narratione, qui Petrum quamuis Iudæum
se fingeret Iudæis, ut ipsos lucrifaceret, tamen adeo
eorum cæmonias à gentibus non necessariò obser-
uandas iudicasse austerit, vt eas ne quidem ipse natura
Iudæus obseruaret. Quare Augustinus, cum dicit Pe-
trum lapsum esse *in simulationem superstitionem*, super-
stitionem vocat, quia gentibus occasio fuit superstitionis
opinionis, non quod ex Petri animo superstitionis
opinione imbuto processerit: nam tunc simulatio
non fuisset. Cyprianus vero cum dicit Paulum cum
Petro de circumcisione disceptasse, circumcisionem
phrasí Paulinâ Iudæos appellat, de quibus Petrus &
Paulus disceptabant, quia Petrus eorum scandalo
consulendum, Paulus illud eo tempore negligendum
censebat.

De agm.
Christ. c. 30

Cyprian. ep.
ad Quint.

45. Quinto cum dicas Petrum errorem superstitionis,
qui destrueret Ecclesiam contentiosè defendisse &
in Ec-

in Ecclesiam inducere voluisse, ipsa fidei Christianæ funda-
menta, quæ alibi agnoscit, euertis. Nam si Pe-
trus errauit & errorem suum stabilire in Ecclesia vo-
luit, quomodo verum, quod tu scribis l.z.c.2. n.1. A-
postolos omnes singularia priuilegia, que ad fundandam
Ecclesiam necessaria erant accepisse, copiam Spiritus, doctrinae infallibilitatem, confirmationem in gratia, plenitudinem scientia, donum linguarum & miraculorum? Non exigitio
inconstantiam tuam, quod Petrum, quem in die Pen-
tecostes confirmatum in gratia dicas, postea errasse
grauissimè afferas : hic enim stupor, quo tecum ipse pugnas ita frequens occurrit, ut ad eum
iam nec ipse obstupecsam. Hoc dico, si Petrus cæ-
terorum Princeps post illapsum Spiritus sancti nec
scientiâ perfectus, nec in gratiâ confirmatus, neque
fidei & doctrinæ certus fuit, qui tibi constat reliquos
à Petro talibus priuilegijs auctos fuisse? Si Petrus
fuit, ut eum tu vocas, ruinosum Ecclesiæ funda-
mentum, cur non reliquos etiam ruinosa funda-
menta & erroribus obnoxios putemus? Quod si non
solum Petrus sed etiam reliqui priuilegijs infal-
libilitatis, & confirmationis in gratiâ; & scientiæ
plenitudine caruerint, quomodo bene fundata
Ecclesia, quæ ruinosa fundamenta habet, qui in
fide errabant, falsa docebant, superstitiones in Ec-
clesiam inducebant easque stabilire contentiosè la-
borabant? Si Petrus errauit in fide, errare potuit;
si potuit errare Petrus, potuerunt cæteri, si potuerunt,
qui constat non errasse? vel quomodo certa & firma
Ecclesia quoad fidem, quæ doctrinæ ab Apostolis
traditæ tota incumbit?

Blasphemus es, Antoni, & nimis impius, si tua 46.
verba spectentur; mentem tamen tuam semper ex-
cuso, quia nunquam intelligis, quid scribas. Nihil pê-
si, nihil meditati affers: quicquid tibi vel dormitanti

venit in mentem statim festinato calamo effundis.
 De libri tui magnitudine vnica tibi cura est : laboras
 vt multa , non vt vera scribas ; corradisq; ex omni-
 bus authoribus omnia ; sed an cohæreant vel inter
 se , vel cum fidei principijs , vel cum diuinis literis ,
 vel cum SS. Patribus , vel deniq; cum alijs tuis dictis
 haud cogitas , vt perspicue nimis multis etiam ex-
 amplis mihi videor ostendisse. Nomen magni Scrip-
 toris , quod exquisitione doctrinæ apud peritos ar-
 bitros , qui sententias & verba trutinant , obtinere te
 posse diffidis , vastitate voluminis apud imperitos ,
 qui libros mole non pondere æstimant , neque legunt
 quæ laudant , aucuparis. Hac mente cum sis , pugnan-
 tia inter se apertè falsa , impia & blasphemæ scriberet
 te non miror : Ecclesiam Anglicanam , quo te recepi-
 sti , miror adeo vel cæcam esse , vt hæc quæ scribis qua-
 lia sint non videat , vel adeo famæ suæ prodigam &
 honoris , vt talia in lucem Christianam efferri sua sub
 vmbra patiatur. Atq; hic primi libri , quo Monarchia
 Petri , fundamentis Reipub. tuæ per tua dicta euerfis ,
 asseritur , finis esto.





LIBER SECUNDVS.

*De Monarchia Petri in Romano Pontifice perpetua
successione continuata.*

EX dictis libro primo constat Christum Monarchiam Ecclesiasticam instituisse. Erecta autem in Petro Monarchia , nunquam deficere, sed in Ecclesia perpetuo continuari debuit. Quod tu clare affirmas, sed tuo more inconstanter , vt etiam non minus clarè neges: Nam I.4.c.6.num.8. Faciant , inquis , Petrum nostri Monarchici Papam vnicum totius Ecclesiae , quod tamen verum non est ; inducunt etiam , vt lubet , necessitatem successionis in Papatu Petri : adhuc tamen Romanum Pontificem Petro in Papatu succedere nunquam demonstrabunt. Hic tria dicis ; Primo Petrum non suisse Papam seu Monarcham Ecclesiæ : Secundo posito Papatu Petri nullam esse necessitatem successionis in Papatu Petri: Tertio posita successionis necessitate , tamen Romanum Pontificem non Petro succedere. At ibidem n. 10.necessitatem successionis posita Monarchia clarissimè affirmas & probas. *Si verum esset* , inquis , *Christum voluisse vnicum Vicarium suo loco in terris ad regimen vniuersale substituere* , *proculdubio* , *sive pauci* , *sive multi sint fideles* , *sive boni* , *sive mali nihil interest* ; *semper vnicus esse debet* , *qui toti Ecclesia præsit*. Malè ergo , concessa Petri supremo Pontificatu , negatur ei perpetua successio à Caluino vt est apud Bellarminum.

P 3

Hæc

2. Hæc tu : & ratio euidentis est , quia regimen , quod Christus instituit , vt Ecclesia in vnitate & pace conseruaretur tamdiu seruari debet , quamdiu Ecclesia durat & in vnitate & pace conseruari debet . Sed Petrus factus est Ecclesiæ totius singularis Princeps seu Monarcha , vt Ecclesia in pace conseruaretur . *Bono vnitatis* (inquit Optatus) *preferri ceteris meruit , & claves regni cælorum solus accepit . Vnus elitur , teste Hieronymo , vt capite constituto , schismatum tolleretur occasio . Leo vero Magnus , vni datum est , inquit , vt ceteris preemineret , vt ad Petri sedem vniuersa corporis membra confluarent , & nihil à suo capite dissideret . Ecclesia vero nunquam deficere debet ; & quamdiu est , vna esse debet , nec in partes scindi . Igitur usque ad finem mundi à Monarcha regi & gubernari debet . & ideo Petrus monarchicum successorem habere debuit .*

3. Quo posito , iam quæstio est , quis ille sit . Negas autem esse Romanum Pontificem : & hoc tribus sequentibus libris probare contendis , paucis argumentis , multis verbis , earundemq; rerum & testimoniorum perpetua repetitione . Septem autem tantum sunt quæ dicis ad hoc propositum spectantia . Primo Episcopos cum sint ordine pares , iurisdictione impares esse non posse . Secundo *Apostolos non habere successionem singulos sed omnes* , & *Episcopos singulos succedere omnibus Apostolis* . Tertiò : saltem Romanum Episcopum peculiarem Petri præ ceteris successorem non esse . Quarto Romanam sedem esse particularem , & solum priuilegii humanis alias excedere ; Quinto : Potestatem Episcoporum cum diuini iuris sit à Romano Pontifice deriuari non posse , nec ei subijci . Sexto *antiquos Episcopos Monarchia Romana restitisse , nec antiquæ Ecclesiæ cognitam fuisse* . Septimo Monarchiam etiam à quibusdam Monarchicis euerti , dum potestatem ponunt in Ecclesiâ primariò , in Pontifice secundario . Hæc omnia ,

*I. I. contra**Parm.**Hieron. I. I.**aduer. Io.**uinian.**Leo L. 4. ep.*

nia, si falsa esse ex tuis dictis euicero, omnia opera
tui fundamenta à te euerteri constabit.

CAPVT PRIMVM.

*Distinctio inter potestatem ordinis & iurisdictionis, &
vtriusq; natura explicatur.*

OMNES prorsus Episcopos, quod attinet ad po-
testatem ordinis, pares inter se esse Catholici cō-
sentient. Hinc tu recte confici putas, et iam iurisdi-
ctione pares esse, nec vnum supra cæteros eminere.
Quæ tua consequentia fundatur in quodam dogma-
te falsissimo, quod sæpè repetis, & in quod anarchia,
quam singis inter Episcopos Apostolorum successo-
res, tibi incumbit.

PRIMVM M. ANTONII FVNDAMENTVM.

*Totam potestatem Ecclesiasticam sola ordinatione dari, atq;
ad eo Episcopos, cum sint ordine pares, iurisdictione
impare esse non posse.*

HOC tuum fundamentale dictum, sæpius à te re-
petitum lego, sed nullibi inuenio à te directe &
ex professo probatum. Semper enim cum illud repe-
tit, à te alibi probatum dicis: alibi autem illud ex pro-
fesso nusquam est. Ego igitur quæ facere ad illius pro-
bationem possunt in vnum colligam ex dictis tuis.
Igitur totam potestatem Ecclesiasticam sola ordina-
tione dari probas lib. 2. ca. 5. nu. 16. dupliki argu-
mento. Primum est. *Verba Christi quibus Apostolos* Lib. 12. in
ordinauit (vt loquitur *Cyrillus*) *sunt illa: sicut misit me* Ioan. c. 55.
pater & ego mitto vos. Dedit ergo eis plenam po-
testatem & ordinis & iurisdictionis; cum pote-
state

214 MONARCHIAE ECCLESIASTICAE,
state simili alios mittendi; & consequenter, cum diuina ope-
ratione qua tribuit potestatem tam ordinis, quam iurisdi-
ctionis si sint varia, atque distincte.

Secundò, potestas iurisdictionis, vel est necessaria mino-
stro Christi, vel non: si non potest contemni, & regi Ecclesia
ab Episcopis sola Ordinis potestate: si est necessaria, cur Christus
cum dat ipse inmediatè ordinem, non dat etiam iurisdi-
ctionem, nempe Episcopo Episcopalem, Presbytero Presbyte-
ralem? Facit ergo Ministrum & non facit: nec indicium ul-
lum est in tota Scriptura, vnde colligamus separationem
hanc potestatis iurisdictionis à potestate Ordinis.

Tertiò, si distingueretur ordo & iurisdictionis, hoc
esset quia ordo inamisibilis est, potestas vero iuris-
dictionis amitti potest. Sed quando ordo amittitur
etiam iurisdictionis amittitur, vt afferis & probare ni-
teris varijs Patrum testimonijs l.2. ca. 4. quæ postea
expendemus.

2. Quartò, si distinguerentur ordo & iurisdictionis, hoc
esset quia ordo Sacramentum est characterem impri-
mens, iurisdictionis vero mera deputatio potestatiua ad
ministeria & regimen Ecclesiæ. Sed ordo non est ve-
rum Sacramentum, sed mera deputatio ad ministe-
rium sine characteribus impressis: ergo. Minoré hu-
ijs argumenti probas varijs argumentis l. 2. c. 4. In-
primis enim nullum Sacramentum admitti debet cu-
ius expressa institutio quoad necessitatem, effectum,
materiam, formam, non extet in Euāngelio ipsius
Christi ore prolata, sed talis institutio Sacramenti
ordinis nulla extat, imò Catholici de materia huius
Sacramenti varie sentiunt, quam quidam statuunt
esse traditionem instrumentorum, quidam vero
manuum impositionem: igitur cum nulla hu-
ijs Sacramenti institutio in Euāngelio scripta habeat-
tur, non est tanquam verum Sacramentum admit-
tendum. Deinde si foret ordo Sacramentum impri-
mene

mens characterem, semper & infallibiliter characterem & potestatem ordinis acciperet, quicunque ordinatur. Sed non omnes qui exterius ritè & legitimè ordinantur, accipiunt characterem, seu potestatem ordinis, non enim illiterati, non simoniaci, immo genus quoddam Ministrorum ordinatorum à solis hominibus Patres constituunt: igitur non omnes qui ordinantur accipiunt characterem. Denique si Ordo esset Sacmentum, omnes ordinati actus ordinis infallibiliter exercecerent, validè quoad substantiam, quamvis exercendo peccarent. Hoc autem falsum esse conatur ostendere varijs Patrum sententijs, quas solent congerere Hussitæ, easque nos statim explicabimus.

PRIMVM M. ANTONII FUNDAMENTVM
per ipsiusmet dicta euertitur.

HAEC questio multa continet ad questionem de 3. Primitu Romani Pontificis nō multū spectantia, quia tamen tota disputatio nostra multum obscuritatis habitura sit, nisi distinctio ordinis & iurisdictionis stabiliatur, & explicetur, quæ dicis (quasi præfandi causa) examinabo. Quatuor in hoc capite discutienda sunt. Primò, an Ordo & Iurisdictionis distinguantur ut separatim à se inuicem existere possint? Secundò, quid sit potestas Ordinis: & an amitti possit? Tertiò, quomodo detur; an per externam deputationem humanam; an per veram Sacramentalē consecrationem? Quartò, Patrum testimonia qui videntur dicere Ordinem posse amitti, nec ordinatos externè semper actus Ordinis exercere: quomodo explicanda sint?

(..)

P 5

ARTI-

ARTICVLVS PRIMVS.

An potestas Ordinis, & Iurisdictionis distinguantur.

Hanc quæstionem tribus conclusionibus explicabo.

4. **D**ico primò, potestatem Ordinis & Iurisdictionis distinguui. Hanc Conclusionem de qua nonnunquā dubitas, eamq; aliquando negas; apertè asseris l.2.c.2. n.3. Respondeo (inquis) in Apostolis meritò duplē distingui potestatē, viramq; Spiritualem: alteram ordinis, alteram (ut ita nunc loquar) Iurisdictionis. Ordinis potestatē intelligo, ad conficiendam Eucharistiam, & Sacrificiū in cruce peracti memoriam celebrandam, ad quod Sacerdotiū quoddam est necessarium. Ad hoc Sacerdotium promoti sunt Apostoli à Christo Domino in ultima Cœna, quando dixit eis:

Luc. 22. Hoc facite in meam commemorationem. Potestatē iurisdictionis intelligo potestatē predicandi, docendi, baptizandi, peccata remittendi, ligandi & soluendi, excommunicandi & ordinandi. Et hanc Christus tradidit Aposto-

Math. 18. lū, partim quidem vbi eis dixit. Quæcunq; ligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlis, &c. partim quando Apostolos insufflavit dicens, Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quando Petro & omnibus prælatis in Petro dixit, Pasce oves meas; & vniuersaliter, quando dixit eis, Sicut misit me Pater & ego mitto vos: & Euntes docete omnes gentes. Et ex utraq; potestate completur plenè totus & integer ordo Episcopatus. Hæc tu: ex quibus duo infero.

5. Primum est, falsum esse quod scribis l.2.c.5.n.16. Solus Ordo dat omnem prorsus potestatē, quæcunque Ministero Ecclesiastico pro regimine Ecclesia necessaria est. Hoc enim si verum est, sequitur omnem prorsus potestatē, Ordinis esse; Potestas enim quæ vi solius ordinis datur, nec potest auferri nisi ablato ordine, ordinis

dinis est. Et talem esse dicis omnem prorsus potestatem Ecclesiasticam; omnem scilicet vi solius ordinis dari. nec nisi eo sublato auferri; ergo omnis prorsus potestas Ecclesiastica, ordinis est. & nihilominus dicis potestatem Ecclesiasticam in duplicem potestatem, vtramq; spiritualem; unam ordinis, alteram iurisdictionis merito distingui. certè non cohærent hæc tua dicta Antoni.

Secundò infero falsum etiam esse quod asseris l.2. 6.

c.5.n.16. Christum per verba ista, *sicut misit me Pater Ioan.20.*
& ego mitto vos, dedisse Apostolis omnem prorsus potestatem tam ordinis quam iurisdictionis. nam si verum est quod in testimonio nuper à me recitato dicas, Christum dedisse Apostolis potestatem ordinis ad conficiendam Eucharistiam in ultima cena antequam proferret illa verba. *Sicut misit me Pater & ego mitto vos,* & post illa verba prolata insufflans illis dedit potestatem peccata remittendi; Hæc si vera sunt, ut sunt verissima & à te iterū affirmātur l.1.c.9.n.26. vbi dicas, *Christum totam potestatem Episcopalem iurisdictionis dedisse Apostolis per verba, sicut misit me Pater & ego mitto vos,* cui addidit seorsimq; tradidit duas accessorias quas ordinis solent nuncupare, unam cōficiendi Corporis Christi, alteram remittendi peccata. Hæc inquā, quæ dicas, si vera sunt, certè falsum est quod etiam tamen dicas Christū per verba illa, *Sicut misit me Pater, omnem Apostolis tradidisse plenissimè potestatem tam ordinis, quam iurisdictionis.* Iterum tibi ipse non constas Antoni.

Dico secundò, *potestatē iurisdictionis existere posse in persona aliqua in Episcopū electā necdū cōsecratā, atq; adeo sine potestate ordinis.* Hæc cōclusio probatur ex eo quod in superiore cōclusione te dicentē audiuiimus Apostolos potestatē iurisdictionis partim accepisse per illa verba Christi, Matth.18. quæcumq; alligauerit in super terrā erunt ligata & in cælis &c. Nam quā potestatē tradidit tunc

tunc Christus Apostolis? certè tradidit potestatem ligandi & soluendi, quam dicis esse claves cœlorum. Petro commissos Matt. 16. id est, amplissimam potestatem regiminis Ecclesiastici. Iam verò quis adeo historiæ Euangelicæ rudis est, vt nesciat verba illa: *Quicumq; alligaueritis*, prolatæ à Christo Domino fusile ante vltimam suam Cænam, in qua suos Apostolos Presbyteros primum ordinavit. Igitur antequam ordinati Sacerdotes essent, potestatem iurisdictionis, claves regni cœlorum, potestatem regendæ Ecclesiæ amplissimam habebant. Neque dicas Apostolos ante vltimam Cænam fusile ordinatos Episcopos antequam Presbyteri essent, atque ita iurisdictionem, quam habebant sine potestate ordinis Episcopalis in ipsis non fusile: Hoc, inquam, dici non potest, cum tul. 2. c. 4. n. 27. dicas *Episcopatum essentialiter includere Presbyteratum*, nec posse quempiam fieri Episcopum, quin eadem opera Presbyter ordinetur, si prius ordinatus non erat: vnde l. 2. c. 2. n. 4. dicas Apostolos ante Resurrectionem Christi fusile Episcopos tantum designatos & inchoatiæ. Igitur ante vltimam Christi Cænam non habebant Apostoli Presbyteralem ordinem nedum Episcopalem. Et tamen (si tibi credimus) tunc potestatem ligandi & soluendi amplissimam habebant, id est, potestatem regiminis & iurisdictionis. Quare si tibi constare vis, negare non debes potestatem solius iurisdictionis sine ordine in Persona electa, necdum consecrata, existere posse.

¶. Hinc infero, quod tu tecum ipse pugnas, qui l. 4. c. 11. n. 49. dicas iurisdictionem Episcopalem ab Episcopali ordine pendere. *Episcopus, inquis, electus necdum consecratus, sicut actus ordinis exercere non potest, ita in iurisdictionibus nullam habere potest potestatem.* Ecclesiastica enim omnis potestas, que sit propriè Ecclesiastica, quam suis tradidit Apostolis & eorum successoribus Episcopis, ipsi Aposto-

Apostolatui, (*hoc est Episcopatui*) *est annexa, nec cui-*
quam, qui non esset Apostolus aut Episcopus est concessa: qua-
soli Apostoli & eorum successores legitimi, sunt propriè mi-
nistri Ecclesiastici: qui verò ministri Christi legitimi non
sunt, neq; potestatem Ecclesiasticam tali ministerio anne-
xam habere possunt. Ideo enim iurisdictionem Ecclesiasti-
cam habet, quia Episcopus & Christi minister est. Hæc tu:
contrariamq; sententiam, quæ iurisdictionem Epis-
copo electo concedit, vocas pestiferam doctrinam, sum-
mam & intollerabilem inscitiam. Et sane patientiam tuā,
Antoni, admirari pro merito illius haud satis pos-
sum. Nam cum Theologi omnes ob inscitiam tibi
videantur intolerandi; te ipsum tamen, qui summa
stupiditate tecum ipse perpetuò pugnas, patientissi-
mè fers. Tu hac enim certè ratiocinatiunculâ tria fal-
sa & cum tuis dictis apertè pugnantia tanquam certa
assumis. Primò falsum est & cum alijs tuis dictis pu-
gnans, Iurisdictionem nemini vñquam concessam,
*qui non consecratus Episcopus esset. Nam *Apostolos**
dicis ante Cœnam Christi ultimam, iurisdictionem ampli-
simam accepisse, cum tamen Electi tantum & Apostoli
& Episcopi essent. Secundo falsum & cum tuis dictis
pugnans est, solos Episcopos esse propriè Ministros
Christi, siquidem millies doces, presbyteros non minus
esse Christi ministros quam sint Episcopi, nec inter Episco-
pum & Presbyterum quoad Ministeria ullam esse distan-
tiam. Tertio falsum vel saltem cum alijs tuis dictis
pugnans est, quod dicis, ideo Episcopum iurisdictionem
habere, quia Christi minister est: Nā cum Pres-
byter ex tua sententia non minus plenè & perfectè &
propriè Minister Christi sit, quam Episcopus est: sequitur
profectò Presbyterum non minus quam Episcopum
iurisdictione prædictum esse, si non alio titulo Episco-
pus iurisdictionem habet quam quia Christi Mini-
ster est. Itaq; concludo te nihil solidi argumenti ad-
ferre

ferre cur iurisdictio in summo vel alio Pontifice electo & ne cum consecrato esse non possit. quā doctrinam dum pestiferam scandalorumque fontem appellas, hac censura summam tuam & intolerabilem inscitiam ostendis.

9. Verum cum probatio huius conclusionis fundetur in dicto tuo *Apostolos ante ultimam Christi cœnam iurisdictionem habuisse*, quæri potest an hoc verum sit. Mihi videtur dicendum. primò iurisdictionem habuisse, quamvis eam non acceperint, vt tu dicas, per verba quæcumque aliquatenus, sed per verba, quibus eos misit ad Euangelizandum. Nam missio legatum & Apostolum facit, & auctoritatem dat. Secundò existimo post Christi resurrectionem Apostolos iurisdictionem multò ampliorem à Christo accepisse, quæ primam quatuor excellentijs superat. In primis illa prima erat limitata intra Iudæam, in viam Gentium ne abieritis. hæc secunda extendebatur ad vniuersum mundum : *predicare Euangelium omni creatura*. Secundo prima pendebat à Christo visibili Monarcha Ecclesiam suam visibiliter regente. Secunda pendet à Christo inuisibili capite, per spiritum suum Ecclesiam gubernante. Tertiò prima Christo moriente exspirauit, quia pendebat ab illo visibiliter inter homines agente: at secunda durat usque ad consummationem sæculi, quia pendet à Christo sedente ad dextram Patris, vbi sedebit donec veniat iudicare viuos & mortuos. denique in prima nulla erat potestas Monarchica; nam tunc Christus Ecclesiæ visibilis Monarcha erat: at secunda Monarcham continet, qui vice & loco Christi Ecclesiam gubernet.

10. Dico tertio potestatem ordinis Episcopalis per se separatam ab omni Episcopali iurisdictione existere posse. Tu l.z.c.5.n.18. separationem istam vocas ridiculam

culam, nec ullam illius indicium extare in sacra Scriptura. Nihilominus etiam conclusio conuincitur vera esse dupli argumento ex dictis tuis. Primo lib. 2. c. 4. n. 37. dicis Episcopos Donatistarum verè Episcopos quoad ordinem fuisse, & tamen etiam dicis Donatistas cathedrali Episcopalem, hoc est, iurisdictionem non habuisse. lib. 1. cap. 10. n. 18. Optatus (inquis) cum negat Donatistas cathedralam habere, intelligit cathedralam Ecclesia Vniuersalium, id est, ipsam potestatem Ecclesia gubernatiuam per legitimas ab Apostolis successiones descendentes. Donatistæ enim cum suam successionem ab Apostolis non haberent, neque communicarent cum Catholica, Cathedralam habere non poterant. Hæc tu ex quibus sic arguo. Potestas iurisdictionis Episcopalis non aliud est quam Cathedra seu potestas Ecclesiæ gubernatiua; sed Donatistæ Cathedralam seu potestatem Ecclesiæ gubernatricem non habuerunt, ergo potestatem iurisdictionis Episcopalis non habuerunt. Habuerunt autem (te concedente) ordinem & consecrationem Episcopalem. Quare tuis dictis conuinceris fallum dicere cum dicis, Ordinem sine iurisdictione esse non posse; & quoties iurisdictionio auferitur ab indignis, simul etiam ordinem auferri. Ita lib. 2. c. 5. n. 21.

Secundo, potestatem ordinis destitutam à iurisdictione II.

posse existere, tanquam certum supponis l. 2. c. 5. n. 32. vbi cum protulisses hoc dictum Magni Leonis; Solum Leo op. 93: licitudo nostra, non sua quærens sed quæ Iesu Christi potestatem diuinitus datam nec Ecclesijs, nec Ecclesiarum Sacerdotibus abrogabat. Faretur (inquis) Leo potestatem Episcopalem esse diuinitus datam: nec se unquam voluisse aut pretendisse eam abrogare, procul dubio in iurisdictione non in solo ordine. Quis enim Papa etiam ligneus pratendat unquam potestatem ordinis cuiquam abrogare? His verbis potestatem ordi-

ordinis cuiquam abrogare supponis tam crassum errorem esse, ut in eum nemo nisi qui plane ligneus sit, incidere possit. Iam subsumo, sed potestas iurisdictionis abrogabilis est, & ab indignis auferri potest, hocque non solum Romani Pontifices & sancti Patres docent, quos fortassis tanquam ligneos contemnunt; sed tu ipse aureus scilicet Ecclesiae Doctor affiras, l. 2. c. 5. n. 21. *Tolli (inquis) potest per Ecclesiam tota potestas Episcopalis per depositionem, nimirum tota iurisdictionio*, igitur nisi plane ligneus sis concedere debes potestatem ordinis destitutam iurisdictione in quibusdam personis ordinatis posse existere. Quero, enim à te cum tu Primas vel Metropolita deponis Episcopum, & eum (ut tuo verbo) exepiscopas, vel vna cum iurisdictione ordinem illi abrogas, vel abrogata iurisdictione ordinem relinquis; si hoc secundum potestatem ordinis à potestate iurisdictionis separas; nec iurisdictionio vi solius ordinis datur, siquidem iurisdictione destructa, Potestas ordinis in deposito per te Episcopo manet; si vero vna cum iurisdictione etiam ordinem abrogare prætendas, imo cum hoc te posse contendas, siquidem dicis ablata iurisdictione simul etiam ordinem auferri, certe Metropolita ligneus merito audias, vel saxeus potius, si stupiditas ista qua tecum ipse perpetuo pugnas, non tam ex ingenij crassitie, quam ex errorum pertinacia oriatur.

ARTICVLVS II.

Quid sit potestas ordinis & qua illius proprietates.

Urisdictionem & ordinem potestates distinctas, ac lab inuicem separabiles esse iam tuis dictis ostendimus. Reitat explicare quid vtraque sit, & primum de potestate ordinis dicemus.

Dico

Dico primo, potestas ordinis facultas est qua quis 12.
 consecratur Deo ut actiones ministerij Ecclesiastici
 quoad substantiam supernaturales, Deo ipsi assistente
 infallibiliter de facto exerceat. Notandum enim est
 actiones Ministerij Ecclesiastici duplicis generis esse.
 Quædam quoad substantiam naturales, quæ viri-
 bus naturæ per dona Dei humano studio acquisita
 exerceri physicè poslunt. Istiusmodi munus est sub-
 ditos corripiendi, & ordinationes Ecclesiæ salutares
 ferendi, quod munus à viro prudenti & rerū Eccle-
 siasticarum perito exerceri de facto potest. Tale et-
 iam est munus concionādi, quo fungi quiuis ingenio
 & eloquentia præditus & in Scripturis institutus
 physicè & de facto potest. Aliæ sunt actiones quoad-
 substantiam supernaturales, quale munus est (vt tuis
 verbis l.2.c.4.n.16.vtar) *panem consecrandi in corpus, &*
vinum in sanguinem Christi, ut cibatione corporali anima
etiam spiritualiter pascatur: qui sunt effectus certi & in-
fallibles, promissi à Christo, tamen naturalem vim longè ex-
cedentes. Ad hanc igitur actionem & similes requiri-
 tur potestas diuina & supernaturalis vt per homi-
 nem de facto fiant; non tantum ut ex officio & lici-
 tè fiant. Hæc autem potestas est ipsa omnipotentia
 Dei quæ Ministro consecrato semper assilit, facitque
 vt hæc actiones ab illo non licite semper & de iure, sed
 semper validè & vere, simpliciter & absolute exerce-
 antur. Hæc tu l.2.c.4.n. 43. asseris omnia, quamvis
 fortassis quid ibi dixeris necdum intellexisti. Verba
 tua ponam. *Ordo (inquis) non est eo institutus, ut dignè*
quis posset ministrare, sed absolutè & simpliciter posset mi-
nistrare. *Gratia enim ordinis est efficacia operandi id ad*
quod ordo, seu officium ritè datur. *Ex hoc enim quod quis sit*
legitime ordinatus, mira facit, quæ non ipse facit, sed ordo &
officium quod suscepit, hoc est, Deus, qui plantante & rigante
homine, dat incrementum, & fructum; etiam si ille qui rigat,

Q

& plan-

& plantat, in se sit aridus & infacundus; Sicut n. (inquit
 in 1. Cor. 12 Ambrosius) qui dicit Dominū Iesum in Spiritu Sancto
 dicit qualis sit; ita & in loco ordinis officij Ecclesiastici positus, gratia habet qualis sit, non utique pro-
 priā sed ordinis per efficaciam Spiritus sancti : Vnde &
 inter initia dicit. Diuisiones gratiarū sunt officijs Ec-
 clesiæ non humanis meritis deputatae. Et hoc est opus ope-
 ratū non operantis; sed neq; sacramenti sed characteris sed
 auctoritatis spiritus sancti, qui ordinariè cum suo Ministro le-
 gitimo operatur non tantum quando conficit & confert sa-
 cramenta, sed etiam quando docet, instituit, euangelizat,
 arguit, increpat, & ad sanam doctrinam & viam salutis re-
 ducit audientes. Hæc tu: quæ fuis recitare volui. nam
 in his verbis Catholicam doctrinam de ordine tradis
 quam locis alijs (imo hoc ipso loco) negas: quia quod
 sepe dicendum est, ex alijs autoribus ea quæ non in-
 telligis exscribis, ut vastum volumen condas.

13. Primò fateris potestatē ordinis esse potestatem qua
 quis semper non dignè, non licite, non fructuosè, sed sim-
 pliciter, absolute, efficaciter i. e. de facto Sacra-
 menta administrat, & vi ordinis suscepit mira operatur.
 Quare male, & tui parum memor dicis ibide Deū ita
 cum Ministro legitimo operari quando docet, ac quando
 Sacra-
 menta conficit, & confert. Hoc à te non recte di-
 citur. Nā Deus cū Ministro docete & animas cōuer-
 tente tantū cōcurrat ut audientib. eius doctrina pro-
 fit, non ut simpliciter & absolute doceat & apte ad do-
 cēdū dicat. Hoc n. à natura & à scientijs acquisitis ha-
 bet. At vero ut Sacerdos Eucharistiā fructuose admi-
 nistraret, non tantū cōcurrat Deus operando in cordibus
 populi, ut cū fructu ad Sacramētū accedat, sed etiā sua
 omnipotētia efficit ut Sacerdos Eucharistiā conficiat,
 panē & vinū in Christi corpus & sanguinē consecrādo.
 Cōcurrat igitur Deus cū ministro Eucharistiā admini-
 strāte multo aliter quā cū Ministro docete. Cū hoc n.
 concur-

concurrit, vt fructuosè faciat quod alioqui physice facere potest; cū illo vero, nō tantū vt fructuole verū Christi corpus tradat, sed etiā vt verè & valide & simpliciter illud tradat, quod quidē sine Dei omnipotētia panē in Christi corpus consecrante fieri ab homine v̄llo neq; quidem physicè nedū fructuosè potest.

Secundō, verbis citatis aſleris, Ordinem ſuos effe-^{14.}

ctus ſemper & infallibiliter habere qualisuis Minister ſit, quantum aridus & infæcundus, id eſt, impius & iceleſtus. Huius dicti rationē reddis, quia actus Miniftri Ecclesiastici nō ſunt *opus operantu* ſed *opus operati*: hoc eſt, opus quod nō ipſe ſed ordo quē ſuſcepit operatur, ſeu potius Deus, qui cū Ministro legitime ordinato rigāt, & plantante concurrit: adecq; minister mira opera facit, nō propria gratia, qua gratus Deo ipſe ſit, ſed gratia ordinis, cui annexa eſt efficacia Spiritus sancti. Hæc tu. Nihil dici scripturæ Sacræ, Patribusq; conformius, nihil verius potuit. Nihilominus hoc ipſo c. 4. libri tui ſecundi n. 9. quātū mutat⁹ à teipſo ē Diametro repugnatia ſcrib. s. Audiſi potes, qui nūquām hactenus audisti teipſū. Si potestas (inquis) ordinis in peccatoribus eſſet integra. & vias malorum non poſſent dici opera, & munera talis ordinis, etiā à ſcelestis Episcopis, & Presbyteris peracta, eſſe Deo inuifa. & ei neq; grata neq; accepta. Talia enim opera cum ſuþponantur eſſe Sacramentalia: & conſequenter multo magis diuina quam humana (quia in Sacramentis Deus eſt qui operatur) ſequeretur Deo ipſius met opera quæ ipſe facit, non eſſe grata, neq; accepta. Cur ergo opus Sacerdotis indigni dum offert, benedicit, orat &c. nō eſt Deo acceptum: quia eſt opus operatis. Si vero eſſet opus alicuius Sacramenti; illud ſane ex opere, vt inquiunt, operato eſſet Deo gratissimum, & acceptissimum; etiamſi à ſcelestissimo fieret Sacerdote, vt eſt Baptifimus. Hæc tu: nec lux à tenebris magis diſſidet quām tua- met dicta ſibi inuicem aduerſantur: Vno loco dicis ordinem habere effectum ex opere operato, etiam in

maxime aridis & infœcundis ministris: alio loco scelos ministros nihil facere dicis, nec valide sacramenta ministrare, eò quod eorum actus sint opus operantis; atq; adeo ut placeant Deo, requiri meritum operantis, vt dignus scilicet Minister sit cuius opera à Deo acceptetur. Quod si verum esset, falsum esset illud dictum quod laudas Ambrosij, *gratiam ordinis nō hominū meritis sed officijs Ecclesia deputari*, hoc est, habet effectum hoc ipso quod Minister ordinatus sit, licet meritis careat quibus effectum mereatur; immo quamuis ob scelerata sit indignissimus cum quo Deus concurrat.

15. Quod autem obijcis, actus ordinis sœpe esse peccata; opera aut sacramentalia non posse esse Deo inuisa, nec peccata, cum vim habeant ex opere operato, sintque opera magis Dei quam hominis; facile soluitur. Nam ministratio Sacramenti ab indigno Sacerdote in quantum ponit omnia quæ sunt necessaria ad integratatem substantiam Sacramenti placet Deo, cum eaq; concurrit, propter bonitatem non moralem sed Physicam quam habet à Ministro: Eadem vero actio bona & integra in ratione entis & Sacramenti displaceat Deo, quia non est bona & integra in genere moris neque cum debitis circumstantijs exercetur. Et sane hoc tuum argumentum si quid probaret, concluderet Baptismum non esse Sacramentum, nec habere vim ex opere operato. Nam cum Baptismus datur ab heretico Ministro, & is qui baptizatur hereticus est, sine dubio illa Baptizatio displaceat Deo, & est inuisa. Et tamen est verum Sacramentum, Deo ita gratum, ut recessente fictione, propter illud gratiam conferat, quia actio illa, (vt dixi) in ratione Sacramenti integra est; quamuis, in genere moris deformans & defectuosa sit. Eadem ratione philosophari debemus de actibus Ordinis à scelerato Ministro exercitis, qui plenè integreg; Sacramentales sunt, quamvis

uis in genere moris desit illis integritas, cuius defectu
mali sunt Deoque displicant.

Dico secundo, potestatem ordinis characterem ^{16.}
quendam esse indelebilem ministro ordinato diui-
nitus insulū. Et quidem characterem tu s̄epe ver-
bo negas, reipsa afferis, neq; negares si teipsū intelli-
geres. Sequitur enim euidenter ex illis quæ te affir-
mantē audiūimus conclusione præcedēte. Quia cha-
racter aliud non est quam nota quædam quā Mi-
nister insignitus à Deo agnoscitur, vt cum ipso actus
ordinis exercente infallibiliter concurrat, quamvis
impius alioqui sit: sed dicas, Ministrū hoc ipso quod
legitimè ordinatus est à Deo agnosci vt per ipsum
mira operetur quamvis aridus & infœcundus sit: igi-
tur Ordo quandam notam ordinato imprimit, ratio-
ne cuius etiam peracta ordinatione sacer sit; & ita sa-
cer, vt cum eo actus ordinis exercente quamvis ma-
xime arido, Deus concurrat. Itaque, dubitare nō po-
tes, si teipsum intelligas, quin character detur. Tan-
tum quærere potes, quid sit, & in qua parte hominis
sedem habeat. Nam putare quis posset characterem
non esse qualitatē internam, animæ ordinati impres-
sam; sed solam ordinationem sacram externam, qua-
tenus adhuc habitu & secundum moralem æstimati-
onem manet, eo modo quo actus peccati habitu per-
manere censetur. Nihilominus characterem esse qua-
litatem seu potestatem internam supernaturalē, non
solum Theologi, sed etiam quod minimè reris, ipse
tu afferis, sed afferis tuo more simul & negas, l.z.c.4.
n.26. Non est igitur ordo verū Sacramentum, sed mera de-
putatio ad Ministerium sine istis characteribus, & impres-
sionibus: cui deputatione Deus semper assistit, & potesta-
tes supernaturales deputatis ab Ecclesia, per ipsius Mi-
nistros Apostolorum veros successores, ordinarie tribuit, &
communicat. Hæc tu; & vt dixi characterem internum

impressum re ipsa afferis: verbo negas. Nam qui characterem qualitatem internam maximè realem faciunt; non aliud esse dicunt, quam qualitatem internam quæ sit in specie potentiae, atque adeo sit potestas quædam spiritualis, interna, supernaturalis, in animam impressa. Sed tu expresse hoc loco afferis potestatem ordinis esse, potestatem quandam supernaturalem alem. & l.2.c.5.n.3. vocas potestatem supernaturalem internam, & n.28. internè à Deo ordinationem peragi, scribis: Igitur re ipsa totam naturam characteris agnoscis, & admittis, quem tamè verbo re ijcis, imo tecum ipse in eadem sententia pugnas. Nam dicas, *Ordinem esse meram deputationem ad ministerium sine characteribus & impressionibus;* & simul dicas esse talem deputationem, cui Deus internè semper assistat, potestates supernaturales internas ordinatis communicando. An non supernatura li potestas interna, ad consecrandum Christi Corpus, & Sanguinem character est! potestatem internam internè communicari, nonne in animam imprimi est? *Quomodo igitur ordo mera deputatio sine characteribus impressus,* si sit deputatio per quam homo supernaturalibus potestatibus consignatur à Deo, internè illi communicatus? Te ipsum non intelligis, mihi Antoni.

17. Dico tertio, potestatem ordinis semper infallibiliter dari Ministro legitimè ab hominibus ordinato. Hanc conclusionem sèpe negas, præfertim l.2. cap. 4. nu. 22. vbi dicas præter ordinationem externam requiri peculiarem *Dei concursum* ad consecrandum Ministrum, quem tamen nullis *Sacramentis* aut Ecclesiæ deputationibus alligauit; atque adeo multos rep̄ciri ordinatos ab hominibus non à Deo, qui in fide Ecclesiæ tanquam legitimè ordinati presumi debeant eum tamen internè & coram Deo ordinati non sunt. Conclusio tamen hæc nostra à te clarissimè afferitur l.2.

C.5. num. 16. vbi tamen eam etiam expresse negas.
 Nam post citatam istam Chrysostomi sententiam,
*Chrysost. in
epist. 2. ad
Timot. ho. 2.*
 Non omnes quidem Deus ordinat, per omnes tamen ipse ope-
 ratur salutem populi moliens; Chrysostomum explicans
 haec subdis. Vult Chrysostomus, etiam non ordinatos à Deo,
 & malos, & indignos, VALIDE Baptismum conferre, Eu-
 charistiam ministrare, bona docere, & alia ministeria age-
 re. Quod tamen attinet ad ordinationem internam eam à
 solo Deo peragi, & non omnes qui ab hominibus ordinantur
 externè, etiam à Deo interne ordinari aperte testatur, licet
 per hos quoque multa efficiat ad salutem animarum. Hi er-
 go, si quid efficiunt, non vi ordinis interioris, sed ex speciali
 diuina prouidentia efficiunt, ne salus animarum patiatur;
 cum tamen in foro Ecclesiae pro legitimè ordinatis ordina-
 riè presumi debeant. Hæc tu: tecum ipse mirabiliter
 pugnans, quia te ipsum non intelligis, ut quod in Iu-
 lianum Pelagianum Diuus Augustinus dixit, in te
 verisimè quadret, *laboras inaniter, non ut ve-*
ra sed ut multa scribes & chartas possis implere. In ver-
 bis enim iam citatis, ordinatos ab hominibus, et
 iam vere & valide à Deo ordinatos expresse ne-
 gas & tamen simul affirmas. Hoc affirmas cum di-
 cis hos valide Eucharistiam confidere & alia Sacramen-
 ta ministrare. Nam qui validè conficit Euchari-
 stiam, validus & potens est ad illud præstandum,
 & illius confiendæ potestatem habet. Quomo-
 modo enim quis cum Deo faciat cuius faciendi cum
 Deo potestatem non habet? *Quis sanæ mentis dixe-*
rit, hominem re ipsa facere, quod re ipsa facere non
poteat? At concedis Ministros ordinatos à solis homini-
 bus valide corpus Christi semper & infallibiliter confi-
 cere, & à peccatis absoluere, & alia ministeria perage-
 re quæ ministrum consecratum requirunt, igitur ordi-
 nati à solis hominibus habent semper & infallibili-
 liter potestatem corporis Christi confiendi & à

Q. 4

pecca-

peccatis absoluendi qua valide haec praestent quotiescunque voluerint. Haec autem potestas cum sit, ut dixi, ipsamet omnipotentia Dei ordinatis infallibiliter assistens, interneque; ipsos adiuuans, quis istos interne ordinatos negauerit, cum propterea quod ordinati sunt hoc ipso omnipotentiam Dei ad actus ordinis exercendos interne ipsis assistentem perpetuo habent. Sed facile intelligo vndenam tibi dormitanti haec secum ipsa pugnans scriptio obrepserit. Nimirum quandam sententiam Theologorum te tradere putas: quam tamen quia nunquam bene intellexeras, reuera non eam sed aliam tradidisti. Nam si dixisses, quod forte dicere volebas, & communiter dicunt Theologi, Ministros nonnullos qui videntur ordinati, reuera ordinatos non esse, quia nunquam baptizati fuerunt. Hos quidem nec Sacra menta valide ministrare, nec Eucharistiam conficere, nec a peccatis absoluere; Deum tamen ne salus animarum patiatur, speciali & extraordinaria via supplere defectum Ministri & Sacramenti: Hoc, inquam, si dixisses non possemus inde concludere, hos externe ordinatos etiam internè ordinatos esse. Verum cum non dicis, Deum supplerere defectum Ministri & Sacramenti, sed Deum Ministris externè ordinatis licet indignissimis, internè semper assistance ut **VALIDE SACRAMENTA** conferant, Eucharistiamque conficiant: certè si te ipsum audis, hos internè etiam veros & validos quamvis indignos Sacmentorum Ministros esse concedes, & hos non solum externè propter consecrationem humanam, sed etiam internè propter Dei omnipotentiam semper & infallibiliter ipsis assistentem, sacros esse & esse debere.

18. - Hinc sequitur, quod dicis Deum per indignos Ministros operari ex prouidentia speciali ne salus animorum patiatur, falsum & verum sensum habere posse.

Nam,

Nam tripliciter intelligi potest. primo, vt Minister indignus nihil faciat, nec conserat; sed Deus ne salus animarum patiatur supplet illius defectum. Hic sensus falsus est & textum tuum destruit, cum dicas malos indignos valide Eucharistiam conficeret Deumque per hos operari: secundo potest intelligi quod Ministri indigni non semper valide conferant Sacra menta; sed quandoque tantum ex prouidentia speciali. Hic sensus etiam falsus est, nec tibi verus esse potest, si tibi constas; cum dicas nos *tuto sequi posse Chrysostomum afferentem*, Deum per omnes Ministros etiam indignos operari; atque hoc certa fide credi oportere: alioqui, *spem nostram inanem esse*; & propterea Sacra menta quæ constat ab indignis data non esse repetenda. Tertio potest intelligi Deum infallibiliter concurrere cum Ministris indignis vt validè conferant Sacra menta, ex prouidentia speciali: hoc est, ex singulari humanæ salutis amore, qui Deum coegerit suam omnipotentiam ita Sacra mentis alligare, vt eam neque quidem cum Minister impurissimus est subtrahat. Hoc sensu verissimum est Deum cum Ministris indignis concurrere *ex prouidentia speciali*, sed inde male infers Deum vi ordinis ad hoc non alligari. Nam Deus non cum omnibus externè Ministrantibus Sacra menta concurrit, sed tantum cum Ministris ab Ecclesia rite & legitimate ordinatis; atque adeo, vi ordinationis, cui suam omnipotentiam alligauit, determinatus concurrit, hosque externe ordinatos in sua instrumenta, per quæ valide Sacra menta conferat, & salutem animarum operetur, acceptat: quod est, eos interius ordinare & sacros facere.

Dico quarto, ordinem semel acceptum nullo undequam scelere postmodum amitti. Hæc conclusio à te millies negatur, tamen ex iam dictis constare potest

232 MONARCHIAE ECCLESIASTICAE,
test eam à te sāpe etiā affirmari; præsertim cum dicas
actus ordinis non dependere à meritis Ministri, sed
esse opus operatum, Deumque vi ordinis concurrere cum
qualius ministro etiamli aridus & infæcundus sit. Nam
vel potestas ordinis pendet à meritis ministri ope-
rantis, vel non pendet. Si pendet à meritis Ministri,
igitur quodlibet peccatum quod reddit Ministrum
Deo inuisum, eumque statuit extra statum meren-
di apud Deum, tollit potestatem ordinis: at quod-
libet peccatum mortale priuat hominem diuina
gratia; reddit eum Deo inuisum; ponit eum in sta-
tu, quo nihil apud Deum mereri possit; atque ita
per quodlibet peccatum mortale tolleretur pote-
stas: quod tamen ipse refugis dicere, vt iam dicam.
Si vero potestas ordinis non pendet à vita & me-
rito Ministri, sequitur nullo peccato auferri posse.
Nam quamvis peccatum destruat statum gratiæ,
nihil tamen destruit, à quo potestas ordinis pen-
deat: nec video quo fundamento dicas quibus-
dam peccatis mortalibus ordinem perdi, quibusdam
non perdi: Quare Hussitæ, qui quolibet peccato
mortali ordinem dicunt amitti, non minus quidem
hæreticè, multò tamen consequentius loquuntur
quam tu. qui certis quisdam peccatis ordinem deleri
putas & exterminari.

20. Iam vero ordinem nullo peccato amitti sic probo:
quia si quo peccato amitteretur, maximè illis, quæ
tu enumeras l. 2. c. 4. n. 35. vbi sic scribis: Illud ve-
bementer moneo, nequid nimis: hoc est, non ita facile &
ex quacumque non grauissima causa ordinem sacrum,
aut iam susceptum desperdi, aut suscipiendum impe-
diri. Non enim omne peccatum etiam graue & mortale
Sacerdotium aufert, aut impedit, quod nimis scrupu-
losè Hussitæ prout eis tribuntur, proficiuntur; sed sola po-
tissimum hæresis pertinax, & voluntaria, & aliud gra-
uissimum

uissimum crimen , quod degradationem iure promeruit,
aut ab Ecclesia totalem præcisionem : Hæc tu. vbi
tria statuis criminum genera , ob quæ ordo de-
perdatur , hæresim , peccatum meritorium de-
gradationis , schisma : sed nullum ex his pecca-
tis potestatem ordinis aufert , igitur nul-
lo peccato ordo suscepitus amittitur : Minorem
probo , ac in primis scismate (quod dicas crimen
grauius esse quam hæresim) non amitti ordi-
nem probo , ex schismate Donatistarum, de qui-
bus tu lib. 2. cap. 4. num. 37. vbi respondens ad
testimonia Augustini absolutè affirmantis hæ-
reticos & schismaticos ordinem non amittere,
dicas eum omnino de hæresi ac schismate miti
& non pertinaci esse interpretandum: quales, in-
quis , erant maxima pars Donatistarum: exce-
ptis enim *primis quibusdam obstinatis* , *ceteri deco-
pti potius in schismate perseverabant* : Hæctu. & hinc
satis intelligi potest, te, modo aliquid dicas, qua-
le sit illud, quod dicas nihil pensi habere. quid e-
näm ineptius , quam schisma Donatianum mite
appellare ! quo nullum extitit immanius à condi-
ta Ecclesia , nec aliquid sit in historijs Ecclesiasticis
notius , quam furor & pertinacia Donatista-
rum. Vnde Augustinus epistola 166. sic ipso
alloquitur : *Quid vultis vobis faciannus* , *qui quan-
do vobis dicimus* , *vt causam nostram & vestram*
patienter audiatus , *non nos* nisi *superbire & insa-
nire*. Qui sententij omnibus Ecclesiasticis , Im-
perialibus, Nationalibus, Conciliorum Genera-
lium damnati & proscripti, nunquam tamen ac-
quiescere voluerunt. Episcopos vero Donatista-
rum quod maxima ex parte mites voces , mira-
bile est : cum eos Augustinus animosissimos ob-
stinatissimosque appellet & à plerisque illorum
dicat

Opt. L. I.
cont. Parm.

Epist. 163.

dicat violentissimas Catholicorum cades suisse perpetrataq.

*Aug. in
Brenic. coll.
prima diei.
num. 14.* quorum pertinaciæ hoc extat luculentissimum argumen-
tum, quod eorum ducenti septuaginta nouem in
collatione, quam iubente Imperatore cum Catholi-
cis habuerunt, cum omnibus diuinis humanisq; do-
cumentis confutati essent, tamen ne quidem ex his
vnus schismati nuncium remisit. Et tamen Catholicæ
Episcopi obtulerunt his ducetis & amplius Episcopis
omnib. & singulis si redire ad Ecclesiæ Catholicae vel-
lent, vt honores suos sine noua ordinatione retine-
*in Breuic.
collat. pri-
ma. n. 5.* rent, vt inde intelligerent, (inquit Augustinus) *'Ca-
tholicos damnare in ipfis errorem humanum, non consecra-
tionem Christianam:* Censuerunt igitur cum Augusti-
no Catholicæ Episcopi vniuersi ne schismate quidem
Donatiano omnium pertinacissimo Consecrationem
Episcopalem amitti posse.

Secundò, hæresi non amitti ordinem, quamvis per-
tinacissima sit, probo. Quia ex hæreticis omnium
pertinacissimi & pessimi erant Hæresiarchæ, & ideo
*Hieronym. Dialog. ad-
uersus Lu-
cifer.* Concilium Alexandrinum, teste Hieronymo, om-
nes Hæreticos in gradu & honore, quem prius habe-
bant reuersos ad Ecclesiam admittit, exceptis hære-
siarchis: sed hæresiarchæ & alij, qui propter pertina-
ciam in hæresi non admittebantur ad honorem &
exercitum ordinis etiamsi eos pæniteret, tamen ip-
sum ordinem non amittebant: vt aperte testatur Au-
gustinus ita scribens: *Cum expedire hoc videatur Ec-
clesiæ ut Prepositi hæreticorum reuertentes ad Ecclesiam,
Parm. l. 2. honores suos non ibi administrent, non eis tamen ipsa ordi-
nationis Sacramenta detrahuntur, sed manent super eos,*
ideoq; *non eis in populis manus imponitur, ne non homini sed
ipsi Sacramento fiat iniuria.* Hæc Augustinus praxim
totius Ecclesiæ referens, quæ satis ostendit nullos
hæreticos ne pertinacissimos quidem etiam hæresiar-
chas propter hæresim ordine spoliari posse.

Tertio

Tertio, quod crimen meritotium depositionis nō 22. deleat ordinem, probatur, quia tu ipse fateris neminem vñquam ne ligneum Pontificem, cum mlnistrū Ecclesiasticum deponit & degradat, prætendere cui- quam ordinem abrogare, & ideo *Augustinus* de bono coniug.ca.24. *Sic culpa aliqua, inquit, quisquam ab officio remoueatur, Sacramento Domini semel imposito non carebit quamvis ad iudicium permanente.* Igitur nullo scelere, nec schismate, nec hæresi, nec peccato ullo meritorio depositionis, nec ipsa depositione vel degradatione ordo suscep̄tus amittitur.

ARTICVLVS III.

An Ordo sit verum & proprium Ecclesiae Sacramentum.

HAEC quæstio breuiter ex dictis expediri potest: circa quam quatuor statuō conclusiones.

Dico primò: non est necesse ut institutio Sacra- 23. menti ex Sacra Scriptura expressa habeatur ipsius Christi ore proleta. Contradictoriam huius conclusiōnis ponis l.i.c. 4.n.17. *Si in diuina Scriptura clare & manifeste, conceptus verbis, non mysticis, non allegoricis, sed litteralibus & historicis alicuius Sacramenti institutio ab ipso Christo immediatè ipsiusmet ore expressa non habeatur, Magna temeritatis videtur arguendus is qui Sacramenta multiplicet: sumpto nunc in vera & stricta significacione nomine sacramenti, absq; ylla clara diuina institutione.* Hæc tu; qui censuram *Magna temeritatis* litera maiuscula meritò notas, nihil enim magis temerarium scribi à quoquam potuit. Nam vt omittam Patres plura Sacraenta eo modo prorsus, quo Baptismus Sacramentum est ex hoc dicto tuo ponere, sequitur nullum prorsus Sacramentum admitti debere, neq;

re, neq; Baptismum & Eucharistiam quidem. vbi enim in scriptura conceptis verbis institui tanquam Sacraenta dicuntur? certè nusquam. Addo, ex verbis Christi ore prolatis Sacraenta esse probari claram & euidenter non potest. Hoc ostendo & in primis de Baptismo cuius institutionem conceptis verbis Christi ore expressam probare vis loco citato.

Ioan. 3.

Baptismus, inquis, est à Christo clarissime institutus: Nam & eius necessitatem explicuit, dicens, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto non potest introire in regnum Dei; & postea mandauit expresse dicens;

Matt. 28.

Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti: *Lotionem externam Sacramentalem præcipit, in qua remissionem dari peccatorum optimè cognoverunt Apostoli à CHRISTO clarissimè edicti, ut tingerent in Trinitate. Hæc tu. nec intelligis hoc tuo censorio dicto, quam fædam notam tuis nouis Magistris inuras. Nam verba illa Ioannis 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu Sancto, &c. Caluinus, Beza & alij Protestantes pene omnes intelligunt de aqua spirituali, nimirum de Christi gratia de qua ipse Ioani.*

9. v. 18. qui credit in me flumina de ventre eius fluent aquæ viua. Vnde negant Baptismo remitti peccata, vel esse necessarium ad salutem. Imò Screnissimus Rex Iacobus in colloquio Hamptonocuriensi, quod in linguam Latinam versum legi conceptis verbis affirmsat, si non detur infantibus à Ministro Baptismus, Ministrum quidem peccare, infantes tamen sine Baptismo morientes non damnari, sed saluari. Quare & ipse verba Christi, nisi quis renatus fuerit ex aqua; de Baptismo spirituali gratiæ non de materiali aquæ intelligit. Hi igitur vel contra veritatem conceptis verbis Christi ore prolatam sentiunt vel non: si non, ergo necessitas

cessitas Baptismi ad remittendum peccatum non est veritas conceptis verbis Christi ore expressa : si sentiunt , cur Anglicanam Ecclesiam hoc errore notabilem , puram putam veritatem habere clamans,nihilque in ea esse tenebrarum ? Deinde nemo potest contra veritatem clarè manifestè conceptis verbis ipsiusmet Christi ore expressam sentire, nisi vel stultus sit vt nihil intelligat , vel infidelis vt Christo credere nolit ; vel pertinax vt contra veritatem oculos mentis obstinatè claudat : Caluinianos autem & in ijs Serenissimum Magnæ Britanniæ Regem si stultos , infideles , & obstinatos hereticos sentias , tamen tales eos dicere nunquam audebis. Cur igitur necessitatem Baptismi & eius effectum remissionem peccatorum , quem ipsi negant , vocas veritatem conceptis verbis , non mysticis , sed literalibus ipsius Christi ore expressam? Temere scribis.

Nam licet verba recitata *nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto*, de lotione externa intelligantur , tamen conceptis verbis remissio peccatorum non dicitur effectus Baptismi , nec Baptismus necessarius ad illum effectum vt per se patet. Tantum enim dicitur Baptismum necessarium esse vt quis videat Regnum Dei. Inde quidem argui potest, esse necessarium ad remissionem peccatorum , cum nihil ingressum nostrum in cœlorum Regnum impediare possit , nisi peccatum , atque adeo si Baptismus necessarius sit ad ingressum Regni cœlorum, necessarium ad remissionem peccatorum fateri debemus. Verum hoc à Christo verbis expressis & conceptis non dicitur, sed ex eius verbis arguendo deducitur. Addo, consequentiam non esse clarā & manifestā, contra quam multa obijci possunt,in quibus soluēdis tu laborares. Nam obseruatio mandatorum necessaria est

Lut. 10. ria est ad ingressum cæli , si vis ad vitam ingredi serua mandata , nec tamen est necessaria ad remissionem peccatorum. Sumptio etiam sacra Eucharistiae necessaria est ad salutem ut tu fateris : nec tamen est necessaria ad remissionem peccati : igitur ex solis Christi verbis, nisi quis renatus fuerit ex aqua (etiam si literaliter de materiali aqua loquatur) non potest clare & manifestè necessitas Baptismi ad remittendum peccatum probari, multò minus hoc à Christo conceptis verbis dicitur. Deinde neque Christus clare & conceptis verbis certam & notam materiam Baptismi præscribit. Dixit quidem Apostolis ut baptizarent gentes, sed quo liquore baptizarent non dixit, nec locationem aquæ conceptis verbis præcepit. Audio in Anglia solere Ministros Caluinianos nobilium liberos aqua rosacea tingere , quæ sanè verè aqua non est, sed liquor alterius speciei. Hic quærō an puri puti Christiani sint ? an hac ex parte tenebrosi ? si reprehendis, ostende ubi Christus usum aquæ elementaris tantum in Baptismo conceptis verbis edixerit. Non potes. Neq; etiam certam formam verborum Christum præscriptissime clare & euidenter ostendi potest. Quidam in nomine Iesu Christi olim Baptismum validè & verè traditū fuisse existimant sine inuocatione sanctissimæ Trinitatis & quod dicitur , *Baptizate in nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti;* cùm in Sacra scriptura nomen , potestatem & auctoritatem sëpe significat , intelligi potest Apostolos baptizasse in nomine Trinitatis , qua baptizarunt potestate & auctoritate à Deo trino & uno accepta.

Idem de Sacramento Eucharistiae ostendi posset,
25. scilicet illius institutionem non extare, qualem tu requiris ; Nam quod dicis Christum illius necessitatem inculcasle clare & manifestè Ioan. 6. dicis quod probare non potes : nam verba illa , nisi manducaueritis,

ritus quę adducis, non de mandatione Sacramētali, sed de spirituali mandatione per fidē, Protestatium plurimi, Catholicorum nonnulli exponunt. Deinde licet locus de mandatione externa intelligatur, nō tamen ibi clarē & expressē & cōceptis verbis dicitur esse medium salutē conferens ex opere operato. Nam sicut qui non māducat carnē Christi non habebit vitā in se, ita qui nō obseruat mandata Christi, non habebit vitā in se: nec tamen obseruatio mandatorū Christi, gratiam & salutē confert Sacramentaliter ex opere operato, sed tantum meritoriè ex opere operantis. Itaq; si Ecclesię traditio remoueat, non potest probari Eucharistię sumptio aliter gratiam conferre quā ex opere operantis. Igitur, vt dixi, nullum admittere velle Sacramētum, nisi cuius institutio Christi ipsius ore quoad necessitatē effectū, materiam, formā conceptis verbis exprimatur in scriptura, *Magna temeritas est*. Nam si perpetua totius Ecclesiæ praxi, si ex factis & dictis Apostolorum colligatur Sacramentum, cuius institutio Christi ore expressa non habeatur, cur admitti non debeat? Si quis Apostolus dicat ordinem esse Sacramentum, & per impositionem manuum Presbyteris gratiam conferri, cur hoc Sacramentum non admittamus, licet institutio illius Christi ore expressa in Scriptura sacra non extet?

Atque hinc dico secundo, ex sacra scriptura constare ordinem esse Sacramentum. Probatur, quia signum externum ex opere operato gratiam conferens Sanctificantem, Sacramentum est: cum Sacramētū definiatur signum efficax visibile inuisibilis gratiæ, & tūl.2.c.4.n.43. certè, inquis, veri Sacramenti principius, imo totus finis est, ut gratiam gratum facientem in recipiente operetur. Sed ordo est signum efficax visibile inuisibilis gratiæ seu gratiam conferens ex opere operato, & hoc probatur verbis Apostoli 1. Timoth.

R.

4. notē

4. noli negligere gratiam qua data est tibi per Prophetam cum impositione manuum Presbyterij & 2. Timoth. i. Admoneo te ut resuscites gratiam qua est in te per impositionem manuum mearum. Hic assignat Apostolus ceremoniam visibilem, nimirum, impositionem manuum, quam fuisse coniunctam cum traditione instrumentorum Praxis Ecclesiæ declaravit, & Patrum testimonia confirmant. Deinde affirmat hanc ceremoniam ordinando debitè applicatam gratiam conferre: Igitur ex Sacra scriptura colligi potest ordinem signum esse efficax visibile diuinæ gratiæ per ipsum collatæ, quale signum à solo Christo gratiæ autore institui potuisse certissimum est. Respondes l. 2. c. 4.

n. 44. gratiam datam Timotheo per impositionem manuum Pauli non fuisse gratiam gratum facientem directè & per se, sed potestatem duntaxat Sacerdotalem & varia dona illi annexa: ita tu. Verùm hoc facile refutari potest, hoc argumento in tuis dictis fundato. Cum dicitur per impositionem manuum seu ordinationem gratiam simpliciter & absolute dari, non debet excludi illa gratia quæ sola simpliciter & absolute est gratia & maximè gratia dicitur, si in ordinatione seu impositione manuum datur, sed gratia gratum faciens absolute & propriissimè dicitur gratia, & in ordinatione datur omni recipienti ordinem bene disposito; ergo, gratiam datam *impositione manuum*, Apostolus intelligit gratiam gratum facientem. Minor, quoad primam partem quod gratiæ nomine gratia gratum faciens simpliciter intelligatur, ab omnibus conceditur; & tu eam supponis cum signum visibile inuisibilis gratiæ exponis signum solius gratiæ gratum facientis. Secunda vero pars, quod ordinato bene dispositivo in ordinatione gratia gratum faciens detur, à te asseritur l. 2. c. 4. num. 44. Non dubito, inquis, ordinatus bene dispositus; in ipso actu ordinationis

cum

cum potestate ordinis gratiam accedere ipsum digne exa-
ercendi. Ita tu. Igitur cum gratia digne exercendi
ordinem sit gratia expulsiva peccati & sanctificans
ordinatum, cumque hæc gratia in momento ordina-
tionis ordinato infundatur; sequitur, gratiam gra-
tum facientem ordinato bene disposito semper in-
fundi? atque adeo Apostolum cum dicit *Timotheo*
datam gratiam per impositionem manuum suarum ma-
xime intelligere gratiam gratum facientem. Quod
autem dicas gratiam dari bene dispositis in ordi-
natione ex benignitate Dei, verum dicas si intel-
ligas dari ex benignitate qua se obligauit ut Sacer-
doti dum manus imponuntur, ipse gratiam infun-
dat. Nam, si intelligas dari in ordinatione, non per
ordinationem, contra Paulum pugnas, qui dicit
gratiam dari per impositionem manuum; neque ul-
lum est fundamentum ut dicas Deum ordinatis
bene dispositis in ipso actu gratiam bene viuendi
infondere, nisi Deus promiserit se semper tali
ceremonia rite applicata gratiam infusurum. ut di-
xit Ambrosius, *Homo manum imponit; Deus vero gra-* Ambr.
tiam largitur. sacr.c.7.

Dico tertio non esse contra naturam Sacramen- 27.
ti, ut præter gratiam, potestatem aliquam super-
naturalem conferat. Hæc conclusio ostendit, va-
num esse argumentum quo sæpius vteris, Ordinem non esse Sacramentum, quia per ordinem
potestas ordinis seu character imprimitur, præter
gratiam sanctificantem. Certè, inquis libro secun-
do, capite quarto, numero quadragesimo ter-
tio, veri Sacramenti præcipuus uno totus finis est, ut
gratiam gratum facientem in recipiente operetur, Sa-
cerdos vero illud proxime & principaliter ab ordina-
tione recipit, ut possit confidere. Hoc autem aquæ facit,
sive sit in gratia, sive in peccato mortali. Non est er-

go ordo eo institutus, vt digne quis possit ministrare. & n.
 44. ex eo quod Sacerdos valide conficiat Eucha-
 ristiam etiam in statu mortalis peccati, dicis *constare*
proximum effectum ordinis non esse natura sua inducere
gratiam; indeq_z optimè comprobari ordinem non esse Sa-
 cramentum. Hæc tu, Antoni: quibus, teipsum & di-
 citorum tuorum immemorem, & Theologiæ penitus
 ignarum probas. Inprimis enim tecum ipse pugnas,
 qui cap. illo quarto num. 39. ita scribis. *Saltem*, inquis,
 à posteriori probent (*Catholici*) in ordine illa esse, nempe
 characterem, indelebilatem, & inamissionem: & tunc ex
 his probatis optimè colligent ordinem esse verum Sacra-
 mentum. Hæc tu: quæ si bene expenderis profecto re-
 peries aperte pugnare cum his quæ prius dixeras, ex
 eo quod ordo sit in peccatis Sacerdotibus & suos effectus ha-
 beat, optimè concandi, non conferre gratiam neg_z Sacra-
 mentum esse. Nam ordo in peruersis & sceleratis Sa-
 cerdotibus perseverans, & effectus suos infallibiliter
 producens, nihil aliud est quam character ordinis,
 indelebilis, nec per peccatum amissibilis. Sed ex or-
 dinis charactere indelebili & inamissibili dicis opti-
 me concandi ordinem esse verum Sacramentū, hoc est,
 gratiæ Sanctificantis ex sua natura collatum; igitur
 quod scribis ex eo quod ordo inamissibiliter perse-
 veret in malis Sacerdotibus & suos effectus operetur,
 ablata gratia optime comprobari, cum non esse ve-
 rum Sacramentum, quod ex sua natura gratiam gra-
 tum facientem inducat, falsum est. neque tua dicta
 secum ipsa consentiunt.

28. Secundo imperitiam tuam simul & inconstantiam
 ostendis cum dicis, *principium imotorum finem veri Sa-*
cramenti esse gratiæ collationem, & n. 44. *Baptismus* in-
 quis, *quamdiu durat sicut suos effectus non operatur*: *is*
enim est principium gratia gratum faciens. & iterum ibi-
 deum in fine. *Vanum est quasi principium baptismi esse*
deum

etum illum ponere, ut Baptizatus recipiat gratiam sumendi Eucharistiam & alia Sacra menta sine peccato. Hæc tu: in quibus tripliciter peccas. Primo Catholico Theologo non intelligis, sed eis sententiam attribuis de qua minime somniorunt. Non enim characterem Baptismalem ideo ponunt, ut Baptizatus Sacra menta digne sumat, siquidem potest cum gratia characteris Sacra menta sumere indigne, sed ut capax Sacra mentorum sit, eaq; quoad substantiam recipiat siue digne, siue indigne. Nam qui Baptizatus non est qualius inuincibiliter hoc nesciat, & quamvis contritus de peccatis & in statu gratiae sit, tamen nullum Sacra mentum suscipere potest, hoc est, nulla gratia vi aliqui us Sacramenti ipsi communicatur, licet confiteatur & Eucharistiam sumat vel ordinetur. Secundo peccas, quia ludis ambiguis verbis ut non possis intel ligi, cum dicis Sacramenti præcipuum effectum esse gratiam sanctificantem. Nam si per præcipuum effectum intelligas maximè dignum quique suscipientem maxime ornet, & ad quem producendum Sacra mentum fuit à Christo institutum, hoc sensu non est dubium quin gratia gratum faciens sit præcipuum effectus cuiuslibet Sacramenti. Si vero præcipuum effectum intelligas proprium & peculiarem effectum Sacramenti qui semper à Sacramento producitur nec obice peccati ullius impeditur, hoc sensu, Baptismi & Ordinis præcipuum effectus non est gratia sed character.

Tertio peccas negando Baptismum habere suos ²⁹ effectus in ficto, durante fictione, hoc est in eo qui baptismum suscipit cum affectu peccati mortalis. quamdiu inquis durat fictio, effectus suos Baptismus non operatur. Peccas inquam Antoni, nec solum Patribus & Theologis omnibus aduersaris, verum etiam tecum ipse expresse & in terminis

pugnas. Nam lib. 2. cap. 4. num. 39. Probandum, inquis, prius est ordinem esse verum Sacramentum sicut est Baptismus, & tunc optimè sequetur ipsum suos effectus habere semper & necessario saltem characterem, siue quicquid illud sit quo Sacramentum dicitur valide datum & receptum, licet ex defectu recipientis gratiam gratum facientem non operetur, sequitur etiam ipsum esse indeleibilem. Hæc tu: quibus quod dixeras, Baptismum in ficto suos effectus non operari, expresse & in terminis negas. Nam nisi Baptismus Sacramentum sit, quod suos effectus semper & necessario habeat, & characterem indeleibilem imprimat, licet ob fictionem gratia sanctificans non detur, tunc etiamsi ordo Sacramentum esset, quale est Baptismus, non tamen esset Sacramentum quod suos effectus semper & necessario habeat, & indeleibilem characterem imprimat, etiamsi propter fictionem recipientis gratia gratum faciens non detur, sed dicis ordinem si probetur Sacramentum verum sicut est Baptismus, probari etiam tale Sacramentum ut habeat necessario suos effectus & characterem indeleibilem imprimat, licet ob fictionem recipientis gratiam gratum facientem non operetur: igitur Baptismus est Sacramentum quod suos effectus operatur semper & necessario, saltem characterem indeleibilem, licet fictio recipientis in causa sit, ut gratiam sanctificantem non producat, atque adeo falsum est, à te ipsoque destruitur quod prius dixeras, Baptismum durante fictione recipientis suos effectus non habere & solum effectum Baptismi esse gratiam sanctificantem, vanum esse in Baptizato ponere gratiam characteris distinctam à gratia fane

tia sanctificante, qua quis fiat habilis ad Sacra menta recipienda.

Dico quarto, Patres ordinem faciunt verum & proprium Sacramentum, præsertim Augustinus, cui non leuem facis iniuriam, dum asseris eum duo tantum vera Sacra menta admittere, Baptismum & Eucharistiam. Conclusio in primis de Sancto Augustino, quem lib. I. cap. 8. num. 6. dicis *instar omnium esse debere probatur*. Qui facit ordinem esse Sacramentum sicut est Baptismus, verum Sacramentum agnoscit in ordine: sed Augustinus non semel, sed sepe, non obscurè, sed clarissime, non obiter, sed ex professo, non tanquam rem dubitabilem, sed tanquam veritatem de qua nemo Christianus dubitat, affirmat ordinem esse Sacramentum sicut est Baptismus. Tria testimonia in huius assumpti probationem afferro ex Augustino. Primum est libr. 2. cont. epist. Parmen. cap. decimo tertio. Nulla, inquit, ostenditur causa, cur ille qui Baptismum ipsum amittere potest, ius dandi amittere potest. Vtrumque enim Sacramentum est, & quadam consecratione homini datur; illud cum baptizatur, istud cum ordinetur: ideoq; in Catholica vtrumque non licet iterare. Secundum habetur ibidem. Si nos, inquit, male facimus, ipsi explicit quomodo Sacramentum baptizati non posset amitti, & Sacramentum ordinati posse amitti, quoniam dicunt, Recedens ab Ecclesia Baptismum non amittit, ius dandi tamen amittit. Si enim vtrumque Sacramentum est, quod NEMO dubitat, cur istud amittitur & illud non amittitur. Neutri Sacramento iniuria facienda est. Si sancta malos fugiunt, vtrumque fugiat: si sancta in malis in uiolab; liter manent, vtrumq; maneat. Tertium testimonium. I. I. de Baptis. c. I. Sacramentum, inquit, Baptismi est quod habet qui baptizatur, & Sacramentum dandi

Baptismi est quod habet qui ordinatur. Sicut autem Baptizatus si ab unitate recesserit Sacramentum Baptismi non amittit, sic ordinatus si ab unitate recesserit Sacramentum dandi Baptismi non amittit. Nulli, enim Sacramento factenda iniuria est: si discedit à malis, utrumque discedit, si permanet in malis, utrumque permanet. Hęc Augustinus quae satis ostendunt eum sentire ordinem esse vere proprie & vniuoce Sacramentum cum Baptismo, & non solum habere magnam similitudinem & quid proportionale cum Baptismo sicut homo pictus habet cum homine vero, ut tu fingis. Nam si ordo non haberet veritatem, sed tantum similitudinem cum Sacramento, ineptissimè disputaret Augustinus, ut per se patet. Quid enim stultius cogitari potest illo homine, qui ex eo quod homo pictus similitudinem hominis veri habeat, argumentaretur, ea quae homini quā homo est conueniunt etiam homini picto inuiolabiliter conuenire?

- Augustin.*
epist. 118.
31. Quod vero tu affers ex *Augustino* ut probes eum duo tantum Sacraenta vera & propria agnoscere, leuissimum est. Hoc enim tantum habes, quod cum dixisset Sacraenta Christiana numero paucissima, obseruatione facillima, significatione præstantissima esse, & Eucharistiam Baptismumque numerasset; & subdit & siquid aliud in Scripturis Canonicis commendatur. Hinc autem deducere & tanquam certum statuere in doctrina Augustini duo tantum esse Sacraenta vanissimum est; cum nihil hoc loco certi statuat, sed ad summum non nisi dubitet Augustinus. Quis vero qui sapit Augustino dubitant non præferat Augustinum sine omni dubitatione afferente? nemo, inquit, (Christianus nempe) dubitat ordinem esse Sacramentum. Addo loco citato neq; quidem dubitare Augustinum, Nam particula, si, de re quae clarissima est quamq; autor alias plenissime afferuit, & tunc eam pertran-

pertransire vult, dicta, non dubitationem innuit sed suppositionem. Hoc mille exemplis confirmare possem, sed quia te non nisi tuis dictis & factis conuincendum suscepi, unum tantum ex teipso profero exemplum. l.4.c.8.n.69. Ego, inquis, l.3.c.1. *Episcopos Archiepiscopis & Primatebus & patriarchis pares feci. Et si qua inter hos disparitas, ea tota iure solo humano Ecclesiastico est posita & instituta.* Ista tu. Quero an dubites sit ne disparitas iure humano inter Primatem & suffraganeos nec ne? Si dubitas, ineptus opinator es, cum l.3. multis capitibus eam afferas, & in Romanum Pontificē acerrime inueharis quod eam (vt tibi videtur) impeditat. Si non dubitas, igitur tuum illud, *si disparitas nulla sit.* nō dubitationem innuit sed suppositionem rei à te alias pluribus assertæ, quam repetere, (quia minime pertinebat ad propositum) eo loco nolebas; Hoc ita si sit; ineptus Sophista es, cum ex verbis Augustini, *si quod est aliud Sacramentum &c.* colligis Augustinum dubitasse, an ordo esset Sacramentum, imo non dubitasse, sed plane negasse plura quā duo Sacramēta: sed quā ridicule? Non absimili calumnia l.2.c.5 n.28. carpis Bellarmini verba dicentis *Episcopos à Papa habere, si quam habent autoritatem.* Dubitat, inquis, scilicet an nullā habeant Episcopi potestatem. Minime vero, Antoni, gentiū dubitat Bellarminus de potestate Episcoporum: sed rem notissimam quam ipse multis probauerat, (de qua eum tunc dicere nihil attinebat) supponit, sicut tu de tua primatiali super tuos suffraganeos potestate, quam arrogāter exercere cupiebas, nequaquam dubitabas cum dices, *si qua inter hos est disparitas.* Ita quauis in re etiā leuissima, tuis vbiique dictis configeris. Alia Patrum testimonia omitto.

Dico. 4. Episcopatum ordinem sacrum esse sim-
plici Sacerdotio Superiore. Hanc conclusionem
tul l.2.c.3. & vehementer probas & reliquo libro sa-

248 MONARCHIAE ECCLESIASTICAE
pissimè, sed semper ut cætera inconstantissimè, nec
tumquam tecum ipse consentis. In primis lib. I. cap. 9.
num. 29. quamvis dicas expresse totam Episcopi po-
testatem te velle tradere, nihil tamen dicis quo E-
piscopus Presbyterum supereret. *Christus*, inquis,
per verba, sicut misit me Pater & ego mitto vos, profe-
cto dedit Apostolis simul potestatem Episcopalem, hoc est,
Apostolicam ordinariam, qua Episcopalis & Apostolica
potestas in eo TOTĀ consistit, ut Euangeliū predice-
tur & fideles in fide & viuendi Christiana ratione in-
struantur. Huic quasi accessoria addita fuit à Christo
potestas conficiendi Corpus Christi in ultima Cœna &
alia remittendi peccata, quando in omnes simul insuffla-
uit & dixit, Accipite Spiritum sanctum, &c. Et sic
plene omnes facti sunt simul absqueulla consecratione
peculiaris & Apostoli & Episcopi. Ita tu profiteris totam
potestatem Episcopalem qua plene fiunt Episcopi
recensere: nec tamen aliquid dicis, quo supereret Pres-
byterum Episcopus. Nam, quod attinet ad potesta-
tem Euangeliū prædicandi, & fideles docendi, Pres-
byteros ea pollere, & in ea penitus æquales Episco-
pis esse l. 2. c. 9. n. 1. clarissime affirmas. Potestatem ve-
ro conficiendi corpus Christi & peccata remittendi
presbyteris competere, notissimum est: Igitur, vel fal-
sum est quod affirmas in his officijs Episcopi potesta-
tem totam plene consistere, vel, falsum quod ita acri-
ter contendis, Episcopum superiorē Presbytero esse.

33. At alijs locis, inter munera Episcopalia numeras
potestatem ordinandi, eaque solâ dicis Episcopum
presbyteris excellere. Ita l. 2. c. 3. n. 30. *Munera Episco-
palia & presbyteralia, excepta ordinatione Ministrorum,*
omnia communia esse iam vidimus. Sane, Antoni, in-
ter se repugnantia vides, & ideo non nisi capit is tui fi-
gmenta vides. Nam lib. I. cap. 2. nu. 21. *Ad Episcopos,*
inquis, tantum pertinet; ut baptizatis per impositionem
manuum

manuum dent Spiritum sanctum. Igitur officium consignandi & confirmandi baptizatos erat etiam proprium Episcoporum; atque ita non solo officio ordinationis Episcopi presbyteros praecedunt. Deinde, an ordinare Ministros sit actus iurisdictionis an Ministerij nescis, variaq; hac de re dicis. Nam l.z.c. 2.n.3. potestatem ordinandi potestatem iurisdictionis appellas, & saepe dicas, *ordinare nihil aliud esse quam mittere.* Missionem vero sine potestate imperativa mittentis super missum, non posse intelligi, igitur mittere seu ordinare officium est superioris seu regiminis, at l.z.c. 4.n.2. dicas, neminem sibi assumere honorem ordinis, nec ab honunibus (nisi ministerialiter) illū haberi, sed à Deo. Itaq; ordinacionem nunc ad iurisdictionem, nunc ad Ministerium patius pertinere dicas. Quicquid autē sit, siue iurisdictionis, siue Ministerium, inde cōcluditur, Episcopū non esse Presbytero, ordine superiore, si tibi constas. Nam si ordinatio pertineat ad iurisdictionē, cum Episcopus prebytero sola ordinatione excellat; sequitur, nō ordine sed tantum iurisdictione superiore esse. Si vero dicas, esse officium ministeriale non iurisdictionale: sequitur etiam Episcopum nō superare Presbyterū ordine: Quia dicas, presbyteros quoad omnia officia ministerialia penitus pares Episcopis esse, & l.4. c.8.n.69. Ego, inquis, propterea in ordine inuenio paritatem; quia video in ministerio consortium. Ordo enim ad solū ministerium datur: & propterea Episcopos Archiepiscopis iure diuino pares inter se, & similiter Presbyteros in Ministerio erga fideles Episcoporū facio collegas. Ita tu. Ex quibus sic arguo. Inter quos est in Ministerio consortium, inter illos est in ordine paritas, quia ordo ad solū ministerium datur. Sed inter Presbyteros & Episcopos quoad Ministerium est omnimodū cōsortium, nec Episcopus Presbytero superior est, igitur etiā quoad ordinē est omninoqua paritas, nec Episcop⁹ Presbytero superior est.

34. Tertio, tibi expressè contradicis l.2.c.4. nam n.26. dicis presbyteratum & Episcopatum esse duos ordines, at num. 27. paucis interiectis lineis, Presbyteratum & Episcopatum vnicum & eundem esse, nu. 26. sic scribis. Reuera, inquis, duplex est ordinatio seu ordo, hoc est duplex deputatio cum diuersitate effectus. Presbyteralis enim dat presbyteralem solam potestatem, Pontificalis vero illam & aliquid amplius. Hic aperte dicis Episcopatum & Presbyteratum duplicem ordinem esse at nu. 27. ita scribis Episcopatus, inquis, continet essentialiter Presbyteratum, imo essentialiter est presbyteratus, cum quibusdam accidentalibus quæ in Presbyteratu non sunt, atq; in his essentialibus quæ spectant ad Ministerium vnicus & idem ordo est Episcopalis & presbyteralis. His verbis distinguis essentialia munera & accidentalia, accidentalia supponis esse munera iurisdictionis; essentialia dicis esse illa quæ spectant ad ministerium, in his autem ordinem Episcopalem & Presbyteralem eundem esse. Hinc vero sequitur, Episcopum non esse presbytero ordine Superiorem. Quia vt te dicentem supra audiuius, ordo ad solum Ministerium datur. Ergo datur Episcopo solum ad officia ministerialia & essentialia Episcopatus, sed quoad ministeria quæ sunt essentialia Episcopatus, presbyter par Episcopo est, & vnicus & idem est ordo vtriusque. ergo quoad omnia, ad quæ danda datur ordo, presbyter Episcopo par est, & vnicus & idem est ordo vtriusque : atque adeo Episcopus quo superior Presbytero sit, nihil prorsus vi ordinis sui habet. Falso igitur inaniterq; te iactas, quod clare monstraueris Episcopatum esse ordinem à presbyterali diuersum, & Episcopum vi ordinis aliquid maius habere ordinario Presbyteratu. Multa quidem Antoni, dixisti, nihil autem vasto volumine tuo, præter inscitiam & inconstantiam tuam, clarè aperteq; demonstrasti.

In no-

In nostra vero conclusione (quod Episcopus ordine Superior sit Presbytero) probanda, non est quod immorer, tum quia tibi, quoniam Episcopus, per placet, nec vñquam, nisi inuitus, eam negas, quia quid scribas non consideras, s̄epe etiam non intelligis: tum, quia videtur à Concilio Tridentino definita, less. 23. can. 6. & 7. & eam eruditè probat Bellarminus. lib. 1. de Sacram. ordinis cap. 2.

Solum quæri potest, an Episcopatus nouum characterem imprimat; an potius Sacerdotalem extendat. Tūl. 2. c. 4. n. dicis Episcopatum includere essentialiter presbyteratum, illique quædam accidentalia addere. Verum hoc neque tu explicas, nec explicari potest. Nam si Episcopatus quatenus addit aliquid presbyteratui accidens Presbyteratus sit, quomodo presbyteratum essentialiter includat, cum nullum accidens suum subiectum essentialiter includat. Deinde, si Episcopatus includeret presbyteratum essentialiter, presbyteratus esset pars essentialis Episcopatus: vel metaphysica, nimirum genus, vel physica, nempe materia. Sed presbyteratus cum existat in homine ante Episcopatum, nec genus nec materia illius esse potest. igitur, quod dicis Episcopatum essentialiter Presbyteratum includere, quædam accidentia superaddendo, inexplicabile est.

Mea igitur hæc est sententia. Primo, existimo 36. ordinem Episcopalem nouum characterem imprimere à Sacerdotali realiter distinctum, vt probat loco citato Bellarminus. Secundo, existimo characterem Episcopalem, intrinsecè & essentialiter supponere characterem Sacerdotalem, tanquam subiectum, cui immediate inhæreat, neque enim repugnat vnum accidens alteri inhærere.

Ter-

Tertio, existimo fieri non posse, ut character Episcopalis imprimatur, nisi prius homo Sacerdotalem acceperit: quia accidens product non potest (saltem naturaliter) nisi in subiecto cui suapte natura natum sit inhærente. Immediatum vero subiectum characteris Episcopalis est character Sacerdotij. Igitur, nisi hic prius existat in homine, ille non poterit imprimi. Quarto existimo, hac ratione optimè conciliari inter se vtramque sententiam Catholicaam; & quæ ponit Episcopatum ordinem distinctum, & quæ non ponit, sed Sacerdotalis ordinis extensionem. Nam, quia character Episcopalis qualitas est à Sacerdotali diuersa realiter; ideo prima sententia facit Episcopatum ordinem nouum à Presbyterali distinctum. Ex altera vero parte, quia qualitas ista seu character Episcopalis non immediate animæ hominis inhæret quoad substantiam, sed immediate recipitur in charactere Episcopali, hominemque reddit potentiores supernaturaliter, non qua homo sed qua Sacerdos est immediate: ideo secunda sententia Episcopatum non facit nouam potestatem ordinis, sed tantum Sacerdotalis potentiarum extensionem. Et de his satis.

37. Quod vero tu obijcis l. 2.c.4.n.28. ut probes ordinationem Episcopi per falsum nō prius dato Sacerdotio validam esse, quia iura permittunt ut assumantur Episcopi ex ordine Diaconorum: hoc autem quid aliud est, quam ex Diacono fieri immediate Episcopum? Nam iura quid peculiare Diaconis concedūt, at ordinari Episcopum non per falsum, sed medio Presbyteratu, non est peculiare Diaconis. Nam hōc modo assumi in Episcopum Subdiaconus vel laicus potest. Hoc, inquam, facile soluitur. Tibi enim ipsi solemnini tuo more contradicis, nec aliquid solidi dicis. Quod dicis iura permettere diaconorum promotiones

tiones per falsum; pugnat cum eo , quod paucis antea lineis n. 27. dixeras , promotiones per falsum lege Ecclesiastica prohiberi , nec posse per canones fieri Episcopum qui non antea Presbyter fuerit. Quomodo igitur Diaconorum ordinationes per falsum iura permittunt ? quæ promotionem alicuius in Episcopum non medio Presbyteratu damnant , nisi iura tuis dictis similia sint , hoc est inter se pugnant. Nec aliquid solidi affers ; falsum enim est per canones Ecclesiasticos posse laicum vel subdiaconum in Episcopum assumi , & medio Presbyteratu ordinari. Hoc enim leges fieri non sinunt , nec licite fieri (nisi obtenta dispensatione) potest. At potest Diaconus , lege Ecclesiastica non prohibente eligi Episcopus , & medio Presbyteratu statim consecrari , si populi & cleri in eum vota conspirant . nec erat olim vlla necessaria ad hoc dispensatio; Et hoc est illud Priuilegium Diaconorum.

*Leo epist. 83
& dist. 60.
c. fin. &
dist. 79. c.
4. & 5.*

ARTICVLVS IV.

Quomodo Patrum dicta contra malos Sacerdotes explicanda sunt?

SVppono necessario explicanda esse , & aliqua ex-
positione mitiganda. Hoc tu negas. hoc asseris. ne-
gas l.2.c.4.n. 41. Protulimus,inquis,Catholicos & bonos
autores & quidem clarissimè loquentes. vel intelligis, eo-
rum dicta esse clarissimè vera , vel clarissimè falsa. si
clarissimè falsa cur sequeris ? cur adducis ? si clarissi-
me vera , ergo falsitas in illis ne quidem appareat,
nec vlla asperitas qua veritas ostendi possit. Cur igi-
tur ibidem. n. 16.scribis. *Fateor hac tot Patrum dicta
rideri asperiora & ad deterrendos malos Sacerdotes am-
plificata*

plificata. Si videntur aspera, & ad deterrendos Sacerdotes, extra Theologicum rigorem, materie amplificata; quo, modo clarissime vera? Certe tua dicta clarissime inter se pugnant. Præterea explicanda esse probatur, quia tu l.2.c.4.n.35. vehementer mones ne quid nimis hoc est, non ita facile ex quacunque non grauissima causa ordinem sacrum aut iam suscepsum perdi, aut suscipiendum impediri. Hic vereris, ne quis Patrum dicta nimis rigide accipiat; quod nō esset timendū si dicta eorū clarissima essent in quib. nō posset lector incautus decipi. Deinde Patres clarissime loquuntur ut videbimus, de quouis graui scelere, licet nō grauissimo: cū malos Sacerdotes ab offerēdo sacrificio deterrent. Igitur, si sentiunt ordinem non habere sacerdotes quos reprehendunt, aperte cōtra te sentiunt: Imo D. Augustinus, tuā sententiā, (ordinē quibusdā peccatis grauissimis & manifestissimis perdi, quibusdā vero non ita grauib. nec manifestis non perdi, quæ fuit olim Donatistarū expresse & in terminis) fugillat, l.2. cont. epist. Parm. c.13. Nec rūlo modo isti (Donatistæ) expedire se possunt, cū eis proponitur cur Sanctitas sacramenti & haberi & dari posset ab eo quē intus sceleratum iam Deus damnauit & tunc incipiat ab eo dari non posse cū ab hominib. damnatus fuerit. Ita Augustinus tuā ineptiā cōfutat, qui l.2.c. 4. n.58. dicit, peccato mortali quolibet occulto præsertim & latenti, non amitti ordinem; sed manifesto amitti, si

38. propter illud ab Ecclesia deponatur.

Igitur Patrum dicta cum non neges amplificationes esse, necessario sunt aliqua expositione restrin-genda: quod iam præstare conabiniur. Ad quinque vero capita omnia quæ adducis reuocantur: primo, quo/dam ordinatos ab hominibus non à Deo. Secun-do, symoniace ordinatos ichismaticos, Hæreticos, honorē Episcopatus nec h. bere posse nec dare. Ter-cio malos Sacerdotes non consecrare, sed iuis preci-bus con-

bus plebem contaminare. Quarto, indoctos Sacerdotes, reuera Sacerdotes non esse. Quinto, Ordinem & consecrationem repetendam esse.

Dico Primo, Sacerdotes indignos Deus dicitur non ordinare, quia quamuis cum Episcopo eos consecret, tamen non eos vocat ad sacram ordinem; sed ab ipso (quodammodo inuitio & compulso) ordinantur, Quod enim quis facit ab alio quasi compulsus, quamvis faciat, non id facere dicitur, sed potius is à quo compellitur; compellitur autem Deus vi pacti, quo concursum suum Sacramento ordinis alligavit. Hoc ita esse probatur primò verbis Hieronymi & Augustini quae iplissima sunt. Tertium, inquit, genus est ab homine non à Deo, cum hominum studio & fauore quis ordinatur: ut nunc videmus plurimos, non Dei iudicio sed redempto fauore vulgi in sacerdotium subrogari. Ita Hieronymus.

Ex quibus sic arguo. Deus eo modo dicitur non ordinare indignos, quo populus eos ordinare dicitur, sed populus quamuis eos non ordinet consecrando, tamen quia fauore & studio & suo suffragio eos consecrandos Episcopo offert, dicitur eos ordinare. ergo Deus quamuis concurrens cum consecratore homine eos ordinet, tamen quia eorum ordinationi non fauet, nec eos ad ordinem vocat & eligit, rectè dicitur non eos ordinare, sicut si populus Episcopum inuitum ad quempiam ordinandum compelleret, ille non tam ab Episcopo, quam à populo ordinari diceretur. Secundò ex Chrysostomo, qui in eadem sententia dicit Deum indignos ordinare & non ordinare, nimirum non ordinare eligendo, quamuis ordinet consecrando. Si Sacerdotem, inquit, despicias, non illum despicias sed Deum qui ipsum ordinavit. Sed unde constat Deum fuisse illius ordinationis autorem? Nempe, si tu hanc habeas opinionem spes tua manus facta est. Nam si nihil per illum-

Hieron. in
epist. ad
Gal. c. 1.
Aug. Dia-
log. q. 65.

256 MONARCHIAE ECCLESIASTICAE,
operator Deus, neque lauacrum habes, neque ministeriorum
particeps es, neque benedictionibus frueris. Non ergo
Christianus es. His verbis aperte asserit Chrysostomus omnes qui rite & legitime ordinantur ab
hominibus, etiam a Deo ordinari; & probat, quia
Deus per omnes operatur, & omnes in suos Mi-
nistros & gratiae suae instrumenta admittit. Unde
decum statim subdit Quid ergo omnes ipse ordinat
etiam indignos? non omnes quidem ipse ordinat, per horum
omnes tamen ipse operatur, salutem populi moliens; non
illorum intuens merita, intelligit, Deum non or-
dinare indignos ipsos ad ordinem vocando & eligendo,
quamvis indignos sece offerentes, vel a populis electos
ipse consecret, non illorum merita intuens sed populi
salutem moliens. Quia si Deus omnes, etiam indignos
quos non ordinat eligendo, non ordinaret, conse-
crando; de Ministeriis Sacramentorum certi esse non
possent Christiani.

40. Tertio probatur ex auctore Imperfecti, qui si tu
modo exponatur, intolerabilem errorem continet;
nimirum, praetitos etiam si iusti sint cum ordinan-
tur, non tamen valide ordinari. Sic enim scribit, Seco-
undum praescientiam suam, illis videtur Deus iniungere

Auctor Im- re Ministerium Diaconatus aut Presbyteratus, qui sunt
perfecti ho- iusti: Qui autem inueniuntur iniusti, illos homines or-
mil. 53. dinasse videntur, non Deus. Ab exitu vero res cognos-
citur qui a Deo ordinatus est, & qui ab hominibus. Qui
enim Ministerium suum bene consummauerit, appareat
quia ex Deo fuerat ordinatus; qui autem Ministerium
suum non bene consummauerit, ex hominibus ordinatus est. Qui autem ex hominibus ordinatus est, quantu-
m ad Deum non est Diaconus aut Presbyter. Ergo in
Sacerdotibus quidem & Diaconi non est in verbis, ut
perdant talenta qui secundum praescientiam ordinantur a
Deo. Hoc auctor iste, qui non est magna autorita-
tis, cum

tis, cum Arianus putetur; tamen miror à te, pro tua sententia adduci, & sic intelligi ut ordinari ex hominibus sit, ordinem non verè accipere. Nam si hoc modo intelligatur, & ita intellectus approbetur, sequitur non modo eos qui tunc mali sunt cum ordinantur, etiam quotquot praevidentur à Deo mali futuri, licet boni sint cum ab homine ordinantur, ordinem non accipere; quod contrate est, qui putas non quoquis peccato mortali praesenti, ne dum futuro, ordinem suscipiendum impediri à Deo. Quare hic autor sic explicandus est, ut ordinari à Deo, sit ad sacrum ordinem à Deo vocati & eligi. Deus verò secundum praevidentiam *Presbyteratus Ministerium inungit*, quia neminem sua inspiratione vocat ad ordinem, nisi quem praeuidet non male suscepto ordine victum. Itaque sancta vita post susceptum ordinem signum est ordinari, hoc est ad ordinem vocati à Deo. Mala autem vita, demonstrat ex hominibus ordinatum; id est, humano studio & fauore sacro ordine initiatum. Hic autem quoad Deum non Sacerdos, quia quamvis ordine Sacerdos sit, tamen ex diuina vocatione & electione Sacerdos non est, sed humano fauore constitutus. Putat igitur hic autor, reprobos semper humano fauore ordinem sacrūm adipisci; diuina vero vocatione nullum nisi electum ad sacros orationes suscipiendos impelli, quod an verum sit, nescio, sed verum sit aut falsum, ad propositum non facit.

Dico 2. Hæretici, schismatici, simoniaci dicuntur non esse Episcopi; quia quamvis ordinem habent, tamen neque gratiam sanctitatis Episcopalis, neque potestatem iurisdictionis, nec ordinis exercitium liberum habent. De schismaticis Cyprian: Episcopi Cyprian: nec honorem potest habere, nec potestatem, qui Episcopi l. 4. ep. 2.

tui nec unitatem voluit tenere nec pacem. Schismaticus,
 quamvis ordinatus sit, non habet potestatem Episcopi, quia caret iurisdictione; non habet honorem,
 quia ipsi neque à Coepiscopis, neque à populis Christianis locus & honor debitus Episcopo deferendus est. Innocentius probat hæreticos pænitentes non esse ad sua officia, si sint clerici, admittendos. *Vbi pænitentia remedium necessarium est, ibi ordinationis honorem locum habere non posse determinamus.* Non negat clericos publicè pænitentes ordinem habere; sed dicit honorem qui debetur ordini ordinatis pænitentibus, non esse tribuendum. & ibid. *qui honorem amisit, honorem dare non posse asseritur; nec illum aliquid accepisse, quia nihil in dante erat quod ille posset accipere.* Acquiescimus & verum est, quia quis particeps effectus est damnato, quomodo debeat honorem accipere inuenire non possum. Ita Innocentius: non negat hæreticos damnatos ordinem habere & dare posse, sed negat honorem ordinis habere & dare, hoc est, non posse quemlibet ita ordinare, ut ille ab Ecclesia tanquam Episcopus admitti debeat & honorari. Nihil aliud dicit Nicolaus primus, epist. 9. cum dicit Gregorium Syracusanum canonice & synodice depositum & anathematizatum, Phocium prouekere aut benedicere non potuisse, hoc est Episcopatum tribuere non potuisse, qui tanquam sacer haberi debeat, imo sic promotus pænam meretur ab Ecclesia, non honorem. Ita etiam de simoniacis dicendum, non accipere gratiam, scilicet sanctificantem: nec gratiam ordinis liberam, sed suspensam Ecclesiæque censuris implicatam. Ita Ambrosius, de dig. fac. cap. 5. *Aurum perdidisti, nec gratiam acquisivisti, nec Episcopus esse potuisti;* nimis iurisdictione & ordinis libero & licito vnu. Hi etiam dicuntur, desiderari, Sacerdotes non esse sed dici, nec officium sed nomen attendere,

Innoc. ep.

27. tom. I.

concil. p. 2.

tendere, quia officium rectè & sanctè exercere non curant, sed tantum Episcopi dici, & , tanquam Episcopi ab hominibus honorari, ita Gregor. lib.7.epist. 110.& alij.

Dico Tertiò. Sacerdotes mali reprehenduntur à Patribus, quia consecrant, non inualidè sed indignè. De quibus tria dicunt. primò, sanctos Sacerdotes eligi oportere, quorum preces apud Deum valeant non tantum ex opere operato sed etiam ex opere operantis. *Immaculatos* (inquit Cyprian. l.1. ep. 4.) & integratos Antistites eligere debemus, qui dignè & sanctè sacrificia Deo offerentes audiri in precibus possunt. Ita etiam *Gelasius*. *Quomodo ad Diuini mysterij consecrationem caelestis spiritus inuocatus adueniet, si Sacerdos, & qui eum adesse deprecatur criminosis plenus actionibus reprobetur?* Nimirum, non adueniet, ex merito operantis, qui Deum tunc inuocando peccat; sed aduenit tamen ex virtute Christi, vt exposuit S. Thomas. 3.p.q.82. a. 5. qui docet preces in Sacrificio Missæ fulas fructuoliores fieri ex priuata sanctitate & deuotione offerentis. Secundò, dicunt Sacerdotes indignos consecrando peccare. Ita intelligitur testimonium *Hieron in Hieronymi*, quod præcipue vrges. *Sacerdotes qui c. 3. Sophon. Eucharistia seruiunt, & sanguinem Domini populis eius diuidunt, impie agunt in legem Christi, putantes Eucharistiam facere imprecantis verba non vitam, & neceffari tantum esse solemnem orationem & non merita Sacerdotum: de quibus dicitur, & Sacerdos in quo fuerit macula non accedit offerre oblationes Dominino.* Non aliud vult Hieronymus, quam Sacerdotes errare qui imprecantis verba & sollemnem orationem sufficere putat ut dignè & sine peccato offerant, licet malè viuant.

Leuit. 21.
Quam S. Thomæ responsionem quamuis reijcias; 43.
tamen eam te debere admittere, nec Hieronymum

de consecratione invalida malorum Sacerdotum intelligi posse, probo triplici argumento. Primo, si dicat Sacerdotis vitam & meritum requiri ut validus consecrat, sequitur quousque peccato mortali, consecrationem impediri, quia quodus mortale peccatum vitae meritum destruit in Sacerdote. Praeterea, Hieronymus dicit illius Sacerdotis vitam non facere Eucharistiam, in qua sit talis macula ut ad offerendum non debat accedere. Sed quaevis macula mortalis facit Sacerdotem indignum ut offerat, peccatque si cum conscientia illius accedit, igitur quaevis macula mortalis facit Sacerdotem impotentem Eucharistiae faciendae in sensu Hieronymi. Quare, si facere Eucharistiam hoc loco sit Hieronymo validè facere & consecrare, profecto conficitur quodus peccatum mortale impedire validam Eucharistiae consecrationem, quod tu libr. 2. cap. 4. num. 35. dicas, esse contra doctrinam summorum Ecclesiae Catholicæ Doctorum & Conciliorum in dominis scriptis fundatam. Denique dicit Hieronymus, Sacerdotes mali, quamvis mali & maculati sint, sanguinem Christi dividere populis, non autem sanguinem Christi diuidenter populis, nisi prius eum valide ex vino conficerent. Igitur inepte virges hoc Hieronymi dictum, tanquam validam consecrationem mali Sacerdotis improbarer, quam manifeste supponit. Tertio, dicunt Pares plebem malorum Sacrificij Sacerdotum polui, nec immunit esse à contagione delictorum eius. Ita Cyprianus quem citas. Sed primo do quilitur de plebe non quatis, sed quae Sacerdotem maium eligit & tibi depositit, cum eoque communicat in delictis. Plebs, inquit, cum sacerdote peccatore communicans, & ad Propositum sui ministri Episcopatum consensum suum committans,

dans, profani sacerdotis sacrificio contaminatur. Secundo, loquitur non de quo quis sacerdote malo & præposito peccatore, sed de præposito schismatico contra verum pastorem iam constitutum, consensu plebis, erecto; qualis erat Fortunatus Schismaticus contra Cyprianum Carthagine, à factione Fœlicissimi Episcopus constitutus. Quare testimonium hoc ad propositum non facit.

Dico quartò. Sacerdotem illiteratum valide ordinari & potestatem ordinis accipere. Hoc tu negas lib. 2. cap. 4. num. 35. & probas, quia lupus non potest esse pastor. Sed vir illiteratus non minus est lupus & ad pascendos greges prorsus inhabilis, quam qui barefi & graubus crinibus est deturpatus. & num. 6. Perinde, inquis, est hominem illiteratum, hoc est in Sacra Scriptura & necessaria Theologia imperitum Episcopum consecrare, atque si quis tentaret (non dicam brutum aliquid ac stolidum animal) sed mulierem in Episcopali Cathedra collocare. Hæc tu, hæretico spiritu sapientiæque tuæ ac doctrinæ opinioni inflatus, illorumque vñus de quibus Ireneus: Qui relinquent praconium Ecclesia imperium Sanctorum Presbyterorum arguunt: non intelligentes quanto pluris sit idiota religiosus, blasphemо & impudente sophista. Nihil dicam in te acerbius. Hoc tantum, sicut Platонem Tullius dixit in impugnandis oratoribus oratorem se maximum præbuisse, ita tu, dum Sacerdotes imperitos exagitas incredibilem tuam imperitiam ostendas. Neque enim (quæ cæcitas hæreticorum est Ireneo teste) intelligis quam præstet Presbyter idiota religiosus blasphemо, hoc est, hæretico, sophista & impudente. Imo Presbyterum sanctum & pium, si sit Theologiæ imperitus, censes (imod

Iren. L. 5. c.)

10.

dicis expressè) non minus lupum esse , quam sit hæreticus, turpissimis sceleribus deformatus. Vir illiteratus inquis , *non minus lupus est & inhabilis ad pascendos greges*. Quam literatè dictum ? quali vero esse inhabilem ad pascendum , sit lupum esse , nimirum quid Lupus sit doces , magis exemplo quam verbo ; melius exercere lupum quam definire nosti : Nam sit Presbyter idiota , inhabilis ad docendum,sit mulier, qua comparatione valde gaudes : sit (quoniam ita libenter velles) etiam stolidum animal : certe qui stolidum animal distinguere non nouit à lupo , is mihi non lupus , (neque enim hoc lupus nescit) sed ipsum stolidum animal. Sed esto : vir illiteratus quoque lupus sit. *Lupus inquis , pastor esse non potest.* Quis hoc dicit? nempe is qui pastor & lupus est : Episcopus ordine, consecratione pastor , vita , & Dominici gregis Petro commissi dispergendi cupiditate , lupus. Sed hoc etiam sit , lupum Pastorem esse non posse. quid tum postea ? num probabis inde , virum imperitum, si consecretur ordinem non accipere? *Quasi* vero non multi presbyteri ordinentur qui pastores non sint?

46.

*Epist. ad
Demoph.*

Verum vt probes imperitum Sacerdotem non esse verum Sacerdotem , vteris testimonio Dionysij. *Quod si Sacerdotium illustrandi vim habet , profecto penitus abhorret à Sacerdotum ordine atq; facultate , qui illustrandi vi non est praditus , ac multo magis etiam is qui illustratus non est.* & paulo post. *Non est iste Sacerdos , non est ; sed inimicus fallax , irrisor sui , lupusq; in gregem Domini ouina pelle armatus.* Loqui putas Dionysium de Sacerdote imperito , quod si tibi concessero, non inde poteris efficere , vt verè ordinem non habeat. Sicut enim vitæ impuræ & ferinæ homo , non homo sed potius bellua dicitur : non quia homo natura non sit, sed quia moribus non est , nec prout flagrat ratio hominisq; dignitas , viuit : ita Sacerdos indoctus , præfertim,

fertim si nequam etiam sit , non Sacerdos sed lupus potius dici potest , non quia ordine Sacerdos non est; sed quia moribus non est, nec eas habeat virtutes, quibus Sacerdotem præditum esse oportet.

Nihilominus , Dionysium de Sacerdote imperito non loquit , ex ipsis verbis probari potest . Nam loquitur de lupo ouina pelle tecto, & occulto. Sed Sacerdos imperitus, si sit lupus, lupus ouina pelle tectus non est , sed est eius (vt ita dicam) lupinitas manifesta. Nā lupus non alia de causa est , quām quod imperitus sit , & inhabilis ad docendum. Sed hæc imperitia seu inhabilitas , non potest non omnibus statim patere. Igitur eius lupinitas, si lupus sit , apertissima est. Quare dictum Dionysij dirigitur in eos, qui cum Sacerdotes consecrati non essent , imò nonnunquam ne baptizati quidem , officium Sacerdotum sibi arrogabant. Sacerdotum ordo dicitur illustrandi vim habere , quia habent ius & officium dandi Baptismū, Baptismus quippe à patribus illuminatio; baptizati illuminati dicuntur. Imo ab ipso Apostolo ad Heb. 11. eò quod baptizati lampadas accensas manu gestarent. Igitur caret illustrandi vi, qui non est ordinatus, nec ius accepit dandi Baptismum. Illustratus vero non est, qui necdum Baptismum accepit. Hunc nondum illustratum, vel saltem illustrandi vi minime præditum dicit Dionysius , *temerarium esse & audacem*, qui sibi sumit propria Sacerdotum, nec metu, nec pudore à Diuinorum tractatione deterretur, putatque Deum ignorare quæ sibi conscius est , & sperat se eum decepturum , qui falso nomine ab eo appellatur Pater, audetq; scelestus suas, vt ita dicam, maledictiones, neq; enim preces dixerim, in diuinis myste- rijs Christi imitatione proferre. Hæc Dionysius, qui loquitur aperte de laico, qui propria Sacerdotum sibi sumit: non de Sacerdote indocto , vt tu somnias. In

primitiua quippe Ecclesia, frequens erat ut se laici ministerijs sacerdotalibus ingererent, vel lucri causa, vel quia putabant ad illam non requiri ministrum

Clem. const. *Ap.c.27.* consecratum. Contra quos, Primitiui Patres, non solum Dionysius loco citato, sed etiam Constitutiones Apostolice *Clementis* agunt. Quicunque laicus sine Sacerdotc operatur, inaniter operatur. & *Ignatius* in epistola ad Trallianos ante medium. Qui extra altare constitutus est, extra Episcopum, &, Presbyteros, & Diaconos aliquid agens, hoc est sacris operans, qui talis fuerit, pollutus est conscientia, & est infideli deterior.

47. Reliqua, quæ contra validam consecrationem Ministri imperiti assert, adhuc ineptiora sunt. Virges *Hieronymi* dictum. Qui pastor est, esse debet & magister: nec in Ecclesijs quamvis sanctus sit, Pastoris sibi nomen assumere nisi possit docere quos pascit. Hæc quorsum? Indoctos consecrari debere & Ecclesijs præesse quis dicit? Nemo qui Catholicus sit. Si tamen consecrentur & vere ordinari quis negat? Nemo nisi hæreticus sit. Virges libr. 2. cap. 4. in numer. 9. Constitutiones Apostolicas *Clementis*. *Episcopus* *imperitia* & *neglectia* *cumulatus* non est *Episcopus*, sed falso nomine gaudet; ut qui non à Deo, sed ab hominibus constitutus est, addit tales diuinam vltionem non declinaturos, talibus Deum gratiam auferre. Hæc vehementer virges, & atriarum telis nos constringere temposse existimas. *Episcopus* *scelestus*, & indoctus dicitur non esse *Episcopus*, sed falso nomine gaudere; non quia ordine *Episcopus* non sit, vel ijs careat quæ substantialiter *Episcopum* constituunt, sed quia moribus & virtutibus episcopalibus destitutus est, nec prout decet *Episcopum*, viuit. Sicut homo bellicinis moribus vulgo non homo dicitur, sed falso homi-

Hominis nomine insigniri. Si quis inde serio concludere conetur, natura & substantia hominem non esse; ne illi sensu quem non intelligit, non homo erit. Huiusmodi ab hominibus constituantur, non a Deo, qui tales non vocat nec eligit; p[ro] quamuis ab hominibus electos consecret, cuius iram non declinabunt, gratiamque illis auferunt, in penitentiam peccati. Ita ut difficulter posse nitere & saluari Episcopini possint imperitia & nequitia cumulati. Quae omnia quam vera sint, in te (velut in speculo) appareret, quam parum vero faciunt ad propositum, nemo non videt.

Dico quinto. **I**mpositio manuum quae adhibe-

batur olim ordinatis ab haeretico, reuersis ad Ca-

tholicam, non erat sacra ordinatio, sed tantum

quædam benedictionis forma. Pater, quia Bapti-

zationem teste Innocentio reuertentes ab haeresi,

sine manuum impositione non recipiebantur; quos

tamen ordinatos fuisse nemo dicitur. De hac bene-

dictione loquitur concilium Nicenum primum, epि-

stola ad Alexandrinos ubi statuit ut ordinatio a

Meletio schismatico Episcopo, in suis gradibus &

ministerijs admitterentur, postquam confirmati essent

sanctiore benedictione, hoc est, illa benedictionis for-

ma & manuum impositione quam diximus. Ad

illud autem quod adducis ex Concilio Toletano

quarto, statuente, etiam iniuste a suo gradu de-

fectos non posse esse quod fuerant, nisi gradus

amissos recipientes coram altario de manu Epis-

coporum tradentium ipsius instrumenta ordinis:

Respondeo, non nisi ceremoniam illam fuisse,

qua illi depositi innocentes publicè declaraban-

tur, & gradus suos recipere videbantur. Hoc

Innoc. ep.

Apud Thea-
doret. l. 1.

Hist. c. 9.

Concil. To-
letan. 4.c.

probo, quia non recipiebat gradus suos amissos, nisi quatenus amissi erant : sed tantum in facie Ecclesiae gradus amiserant, non coram Deo, cum tu l. 2. c. 5. n. 21. depositos iniuste dicas coram Deo depositos non esse. nec potest ateni Ordinis aut iurisdictionis amittere. Igitur coram Deo & verè non ordinabantur, sed quibusdam ceremonijs solemnibus declarabantur hominibus nunquam ordinem amisisse. Denique quod valde virgines Romanum Pontificem Stephanum Quartum, ordinatos à Constantino Pseudopapa iterum verè ordinasse: nam consecrasse eos iterum dicit Anastasius Bibliothecarius, & non tantum quadam benedictione reconciliasse ut Baronius interpretatur, facile hoc soluitur, si veritas historiæ supponatur, scilicet, Constantimum, non tantum Pontificem iurisdictione non fuisse, sed neque ordine Episcopum; quia ex Diacono Episcopus per saltum ordinatus fuit. Narrat enim Anastasius, Constantimum à Georgio Prænestino ordines minores uno die simul accepisse, sequenti vero die (qui fuit Sancti Laurentij) simul Subdiaconatum & Diaconatum, contra Canones: Factus vero Diaconus, quia iam per Canones eligi summus Pontifex poterat, non curauit de Presbyteratu; sed vi se coegit summum Pontificem eligi, & consecratus statim Pontifex fuit. Vnde Anastasius cum postea refert in fortunum Georgij Episcopi Prænestini, dicit hoc illi contigisse in pænam peccati : quod Constantimum consecrasset & Diaconum & Pontificem. De Presbyteratu vero nullam facit mentionem. Non igitur mirum quod acta Constantini quoad ordinationes sacras Ministrorum, in Concilio Romano sub Stephano Quarto irrita & iteranda declarentur.

Ex dictis euersum est primum fundamentum æ qualitatis, quam fingis inter omnes Episcopos, Apostolorum successores: probatumque, potestalem Ordinis

Anastasius
in Stephen-
no 4.

Anastas.
ibid.

dinis characterem Sacramentalem indelebilem esse, à iurisdictione distinctum, atque adeò ex eò quod omnes Episcopi pares ordine sint cum Petri successore, non esse consequens ut etiam iurisdictione pares sint.

C A P V T P R I M V M.

Explicat à naturâ successionis & varijs M. Antonij ineptijs confutatis, declaratur vera successio Episcoporum ab Apostolis in potestate iurisdictionis ad certam Diocesim restricta.

Demonstrauimus superiori libro, reliquos Apostolos non ita pares Petro fuisse, quin ille supremus ipsorum Princeps extiterit. Hinc sequitur, quod etiamsi Episcopi reliquis Apostolis plenè succederent, tamen fieri non posse quin peculiaris Petri successor cæteris potestate emineret, quomodo reliquos Apostolos Petrus excelluit. Quapropter ut ab hac successoris Petri potestate te liberes, quam perditte odisti, nouum successionis genus configis, quo cunctos Apostolos inter se quoad successionem confundis.

SECUNDVM M. ANTONII FUNDAMENTVM.

Singulos & omnes Episcopos omnibus & singulis Apostoli, etiam in solidum succedere.

HOc probas Primò: quia Episcopi omnes dicuntur successores Apostolorum à Patribus frequentissimè, sed cum fuerint Apostoli non nisi duodecim vel tredecim, si certis Apostolis certi Episcopi, singuli singulis succedant; fieri non potest ut omnes

omnes veram, & propriam successionem ab Aposto-
lis habeant, sed tantum duodecim vel tredecim Ec-
clesiarum Episcopi.

Secundo, non solum Romanus Episcopus; sed etiam
aliij dicuntur Petri successores: ad quod proban-
dum *testimonia aliquot affers ex Patribus, præsertim*
ex Petro Blesensi, qui scribens ad quosdam Episcopos
Angliae, eos successores Petri appellat: quod certè
declarat omnes prorsus Episcopos Petro succedere,
non minus quam Romanum.

Tertio: diuidere Episcopos quoad successionem
ab Apostolis, ut non singuli omnibus, sed quidam
Petro, quidam Paulo succedant &c. inducit schismat-
in Ecclesiam, quale erat inter Corinthios, quorum
aliquot dicebant *ego sum Pauli*, alijs vero *ego sum*
Cephae.

Quarto: quia Patres successionem particularium
Ecclesiarum, semper reducunt ad Apostolos in gen-
nere tanquam ad caput; nunquam autem aut vix
vnquam ad unum certum, & singularem Aposto-
lum. Hoc probas testimonij Irenæi, Tertulliani,
Eusebij, Hieronymi, qui Ecclesie Romanae, Smir-
nensis, Hierosolymitanæ, Antiochenæ Episcopos,
post Apostolos numerant, non post ullam singula-
rem Apostolum.

Hoc suum fundamentum euerit ipse

M. ANTONIUS

3. **H**AEC sunt argumenta quæ lib. 2. cap. i. verbosè
vrges pro successione omnium Episcoporum
ab omnibus in solidum Apostolis; quam singis, ne
Romanus peculiaris Petri successor sit, sed tu scilicet
non minus quam ille, successor Petri voceris. Ne-
que sane aliud est in toto opere tuo dogma, in quo
vel

Cyrill. l. 12.
Thef. c. 13.
Pet. Bles. F-
pist. 148. &
alijs.

i. Cor. L.

Iren. l. 3. c.
3. Tertull.
depraf.
e. 90.
Euseb. l. 4.
e. 5. Hieron.
descript.
Eccles. in
Iacobo.

vel afferendo vehementior, vel repetendo fastidiosior, vel probando ineptioris.

Vt autem hæc quæstio de successione Episcoporum, quæ solet esse implicata, clare & dilucide explicetur, oportet recordemur, duplum reperiri Ecclesiasticam potestatem; ordinis & iurisdictionis, iurisdictionis vero duplum esse; alteram vniuersalem, quæ se ad omnes Christi ones extendat, alteram particularem certæ Ecclesiæ affixam. In hoc igitur capite quatuor ostendemus. Primo Episcopos potestatem ordinis ab Apostolis non successione proprie, sed propagatione habere. Secundo Iurisdictionem Episcopalem per tua principia fieri humanum institutum. Tertio successionem tuam cuiusvis Episcopi, ab omnibus in solidum Apostolis, merum figmentum esse. Quarto modus explicabitur, quo singuli Episcopi singulis Apostolis quoad proprias Ecclesiæ vere, & proprie succedant. In quibus omnibus apparebit, te non intelligere te ipsum, sed successionem Episcoporum veram, & propriam ab Apostolis, quam verbo vehementissime afferis, re ipsa prorsus destruere.

ARTICVLVS PRIMVS.

*Episcopos quoad ordinem non proprie succedere
Apostolis, sed ab eis propagari.*

VT hæc veritas, cuius ignorantia in causa est ut ordinationem Episcoporum ab Apostolis cum successione (quæ res est distinctissima) confundatur, declaretur, explicandum est in quo successio differat à propagatione, seu generatione, & filius à successore. Ordinatio enim generatio quadam est secundum illud Epiphani, Episcoporum ordo patrum generator est; *Epiphani.
Parvus enim generat Ecclesia, quod genitrix est, et obv.
Ioy.*

Dico

har. 25;

Dico primo, propagatio seu generatio, cōmunicatio est qua res interna generanti, eadem non numero, sed specie pluribus sit communis. Loquor autem de propagatione qualis est in rebus creatis: de generatione autem diuina æterna, quia ineffabilis est, non loquor. Conclusio patet inductione: neq; enim vllū dari potest exemplū in humanis, vbi non res interna generanti, eadem specie, non numero communicatur. Sicut autem res internæ communicabiles triplicis generis sunt, ita triplex genus propagacionis distinguitur, naturale, intellectuale, morale. Primo enim homini quædam insunt à natura, vel in ipsius naturam physicâ actione imprimuntur. Hæc communicantur propagatione naturali, secundum quam filij à parentibus & à causis physicis effecta generantur. Secundò quædam homini insunt ab intellectu, vel ab extrinseco illustrante intellectum; huiusmodi scientiæ sunt, & propagatione intellectuali transfunduntur, per quam à Magistris discipuli propagantur. Tertiò quædam homini insunt à libero arbitrio, vel ab extrinseco iicitante liberum arbitrium, siue ad bonum, siue ad malum: qui propagatione morali nempe exemplo & imitatione perpetuantur; & hoc modo à malis mali, & à bonis boni propagantur. Semper autem in qualibet harum generationum res interna vel natura, vel scientia, vel bonitas, non tamen eadem numero (non enim eam numeru quā habet ipse vel pater filio natu ram, vel discipulo magister scientiam tradit) sed specie communicatur.

5. Dico secundò, successio communicatio est qua res externa eadem numero pluribus fit successiue communis. Hæc etiam inductione patet. Nam res internæ in quibus succeditur, duplicitis generis sunt. Quædam enim possidentur tanquam res utiles habenti,
de qui-

de quibus possidens potest in suum usum & commodum libere disponere : Huiusmodi sunt res temporales in quas homo dominium habet. Quædam vero ab homine habentur non in usum & bonum possidentis, sed in bonum & usum rei possessæ, cuius bono & commodo studere debet is qui possidet, non suo: hoc modo ciuitates & populi habentur à principibus & magistratibus per quos gubernantur, ut ad bonum commune omnium conatus dirigantur. In his autem , quando vel dominus dominio in rei domino utibilis possessione , vel princeps principi in rei sua prudentiae commissariæ gubernatione succedit , semper res tantum externa eadem numero , vel eadem res temporalis ; vel eadem ciuitas, aut populus fit pluribus vel quoad dominium vel quoad gubernationem communis. Dices, non solum res externas transferri, sed etiam dominium seu ius disponendi de ipsis , hoc autem dominium seu ius videri dominis intrinsecum. Resp. non esse intrinsecum , quia ius dominij in res temporales, vel ius regiminis in populos nemini convenit ab intrinseco , sed tantum ex lege politiua seu diuina seu humana, qua res alioqui communies certis hominibus possidenda vel gubernanda traduntur, lex autem seu institutum legitimi superioris, homini extrinsecum est ut infra dicam.

Ex his statuitur inter generationem & successione, 6. nem quadruplex differentia : primo enim per generationem res interna , per successionem res externa, secundo per generationem res eadem specie, per successionem res eadem numero communicatur. Ex quibus oritur tertia differentia , quod generans & filius simul esse possunt, & fere sunt; decessor & successor simul nunquam sunt , aut esse possunt in possessione eiusdem rei. Nam qui successorem institueret, debet à se dominium, vel regimen illius rei

T

trans-

transferre in qua successorem instituit; cum neque iusdem rei duo pleni & absoluti domini, nec eiusdem populi duo pleni & absoluti principes esse possint. Et hinc sequitur quarta differentia, quod per generationem quis plures habere possit posteros sibi pænitus æquales, & vero successorem plenum & perfectum nisi unum habere nemo potest: quia si duos instituit successores, vel rem diuidit in duas partes, quarum unam vni, alteram alteri tradit, vel si unam eandemque rem quam plene possidebat, tradit duobus; neuter corum per se plenus & integer dominus est, sed simul uterque (& uterque simul in quantum unus) pars successoris. His igitur statutis differentijs inter generationem & successionem quæ mihi videntur claræ,

7. Dico tertio, Episcopos, quoad ordinem non succedere Apostolis propriè, sed ab illis propagari. Probatur: quia primo per ordinationem communicatur res interne, nimirum potestas ordinis, quæ est character impressus animæ indelebilis. Secundo non eadem numero res communicatur: non enim ordinans & ordinatus eodem charactere notantur, sicut per eadem numero ordinatione seu Sacramentum consecrantur. Tertio per ordinationem character non transferunt ab ordinante in ordinatum, neque suum characterem ordinans alteri cedit, ut in eo successorem habeat. Denique ab uno Apostolo non unus tantum consecratus Episcopus fuit, sed plurimi à singulis, omnes autem potestate ordinis Apostolo ordinanti pares erant. Per successionem vero res tantum externa eademque numero successione fit pluribus communis, ut simul decessor & successor quoad illius rei possessionem in qua succeditur esse non possunt, neque fieri potest.

SINUS

S. T.

vt viuis

Vnus decessoris pleni & integri successores plures sint. Igitur per ordinationem potestas ordinis in plures spirituali quadam generatione propagatur , non ab vna persona ad alteram propriè dicitur successionē deriuatur , nec Episcopi quoad ordinem sunt Apostolorum successores , sed filij , in quam , quasi physica generatione quoad ordinem , & intellectuali generatione quoad doctrinam , & moraliter etiam quoad vitæ genus , si Apostolicam sanctitatem Episcopi imitantur.

Ex his patet , te inaniter disputare , dum ordinatio nem Episcoporum & successionē ab Apostolis confundis , probasque Episcopos Apostolis succedere quia fuerunt ab ipsis Episcopi ordinati. *Misio* ; inquis lib. ii cap. ii. num. 5. *alio us* , tunc primam assumpti in Ministerium Verbi , & regimen Ecclesiarum ab Apostolis Apostolicisq; virtus facta in hoc ministerio constitutis , facit proprie Episcopum Apostolorum successorem. Ita tu mittere autem seu misio tibi non aliud est quam ordinatio : nam libro quarto , capite undecimo , numero quadragesimo nono , *Misio* ; inquis , in sola ordinatione consistit. Affirmas igitur Episcopum si ordinetur , ab Apostolo hoc ipso fieri Apostolorum successorem. Quod quam falsum sit , extuis dictis concluditur : qui (ut vidimus) dicis , *Donatisti* veros Episcopos , non tamen successores Apostolorum fuisse quoad ordinem . Nam cum nullus alium ordinare valide possit nisi Episcopus sit , certe si series Episcoporum a quibus ordinati *Donatisti* fuerunt ad primam ordinem repetatur , primus in illa serie aliquis ex Apostolis inuenietur , nec tamen fuerunt successores Apostolorum . Igitur , mitti vel ordinari ab Apostolo non facit Episcopum (hoc ipso) successorem Apostolorum .

AETATIBUS

T 2

Quare

9. Quare non minus inepte huic errori innexus lib.
2. cap.1. num. 17. vnumquemque Episcopum Apo-
stolis succedere ita probas. Apostoli, inquis, misi im-
mediatè à Christo miserunt etiam ipsi Episcopos multos
ad fundandas Ecclesias, & deinde Episcopi ab Apostolis
missi misserunt alios; & quotidie mittuntur, & sic nul-
lus est Catholicus legitimus Episcopus, qui suam succe-
sionem tandem non reducat ad Apostolos; & ita quicunque
Episcopus legitimus est vere & propriè successor Aposto-
lorum, non minus quam sedium Apostolicarum Epis-
copi. Hæc tu: qui cum concludas quemuis Epis-
copum succedere Apostolis, ex eo, quod nullus sit
qui non ab Apostolo tandem missus & ordina-
tus fuerit, clare supponis ordinatum ordinanti,
missum mittenti succedere. Quo quid falsius? Nam
si missus mittentis successor sit; sequitur Apostolos
cum fuerint in Christo missi, Christi fuisse suc-
cessores: sequitur legatum Regi succedere à quo
mittitur: sequitur denique Episcopum Roma-
num Ostiensi succedere, à quo ordinatur, si con-
tingat necdum Episcopum esse. Quæ si concedas,
risu es quam refutatione dignior; si vero neges,
negare simul debes id, ex quo necessario deduci-
tur præcipuum quoddam tuæ reipublicæ funda-
mentum Episcopos hoc ipso quod missi & ordinati
fuerunt ab Apostolis, successionem ab Apostolis ha-
bere.
10. Multo autem crassius ex hoc ipso principio lib. 1.
cap.2.num.17. disputas: Romanum Pontificem non
posse Apostolis in maiore quam cæteri potestate
succedere. Cum potestas, inquis, mittendi, id est, ordi-
nandi Episcopum tanta fuerit in Ioanne, Iacobo, Andrea
& ceteris quanta in Petro (hoc enim omnibus dictum
est à Christo sicut misit me Pater & ego mitto vos) quis
potest capere, Episcopos omnes rite ordinatos, non esse
- in aqua-

in aquali potestate constitutos, sed in maiori potestate succedere Apostolis ordinatos à Petro, quam ordinatos ab his. Hæc tu: quibus declaras te Catholicam sententiam de causa inæqualitatis Episcoporum ne intelligere quidem. Nam, primo: quis dixit unquam Catholicus, potestatem ordinandi seu consecrandi, siue Sacerdotem, siue Episcopum, maiorem fuisse in Petro quam in cæteris Apostolis? Potestas ordinandi potestas ordinis est, non minus quam potestas corpus, & sanguinem Christi conficiendi; potestate autem ordinis Apostolorum reliquos pares Petro fuisse, & quemuis Episcopum esse Romano parem, Catholici vniuersi consentiunt. Deinde, quis etiam Catholicus somnivit, Episcopos ordinatos à Petro maiore potestate præditos esse quam ordinatos à Ioanne vel Andrea, vel alio Apostolo? Episcopos omnes Occidentis, vel certe quin plurimos Petrus ordinavit: num propterea Episcopo Occidentis, Orientis Episcopis præcellere potestate concludimus? nullo modo ita ineptimus Antoni. Dicimus quidem, Romanum Episcopum cæteris Episcopis non ordine sed iurisdictione excellere, non quia ordinatus à Petro est, nam Linum Petri successorem ordinatum à Petro fuisse non ita constat, (imo constat plurimos Episcopos à Petro consecratos Romano pares non fuisse) sed quia solus Romanus Petro plenè, & integre succedit, ut postea ostendam, quod potuit contingere etiamsi primus à Petro Romanus Episcopus, non fuisse à Petro, sed à Paulo, vel à Ioanne consecratus.

Denique illud aduerto, hæc duo dogmata tua; pri-
mum quod Episcopi succedant Apostolis hoc ipso
quod ab ipsis ordinati sint: secundum quod non A-
postolo singulari, sed Apostolo in genere, & omni-

296 MONARCHIAE ECCLESIASTICAE,

bis in solidum Apostolis succedant; aduerto, in
quam hęc duo dogmata quorum vtrumq; falso est,
inter se non collērere. Nam si mitti hoc est, ut tu pu-
tas, ordinari ab aliquo Apostolo, sit Apostolis succe-
dere; quomodo Titus, verbi gratia, Apostolis in ge-
nere, nō vlli certo & singulari Apostolo succēsit, qui
non ab omnibus Apostolis, nec à generico Apo-
stolo, siue Apostolo in genere, sed à solo singu-
lari Apostolo Paulo missus & ordinatus Episco-
pus fuit? si dicas Paulum qui Titum ordinavit &
cui Titus succēxit, fuisse etiam Apostolum, atque
adeo Titum ab Apostolo fuisse ordinatum & illi
succēsse. Hoc, inquam, si dicis nihil dicas. Nam
Apostolus non aliter Titum ordinavit, quam qua-
tenus Paulus qui Titum ordinavit, Apostolus erat,
atque adeo non Apostolus in genere, sed Aposto-
lus quatenus in Paulo singulariter existens Titum
ordinavit. Sicut etiam si Christus dicatur *filius ha-
minis*, non tamen male licet inferre, quod homo in
genere vel omnes homines eum procrearint, aut
quod hominis in genere aut omnium hominum,
nullius autem hominis singulariter, & in singu-
lari filius sit. Hęc enim falsa & damnatissima sunt.
Dicis, eandem potestatem in solidum in omnibus
Apostolis fuisse, atque adeo quod vnius potestate
efficiebatur, ab omnibus factum fuisse dici po-
terat. Hoc dictum de potestate vna in solidum om-
nium & singulorum Apostolorum sępe repetis;
nihil tamen inde habes præsidij, ad confundendas
Apostolorum successiones. Quia si intelligis po-
testatem ordinatiuam seu misericordiam in omnibus
& singulis fuisse eandem numero, dicis aperte fal-
sum; nam singulis Apostolis suus character inerat,
& potestas supernaturalis, numero multiplex erat
prout personae quibus inerat plures numerabantur.

Sic

Sin autem intelligis in omnibus, & singulis Apostolis, fuisse eandem specie potestatem ordinandi, verum dicis: Tamen quod intendis ordinatum ab uno Apostolo, ordinari etiam ab omnibus, omnibusque succedere, non magis potest inde concludi, quam ex eo quod omnes homines eandem habeant potestatem generatiuam, concluditur geritum ab uno homine ab omnibus generari, & omnium filium esse, aut procreatos à Seth, filios Abelis fuisse, eo quod Abel frater Seth, eandem specie naturam & facultatem gignendi filios habuerit. Concludo igitur, potestatem ordinis non proprie successione, sed propagatione haberetur, dum successionem ab Apostolis cum ordinatione confundis tota hæc disputatione semper à scopo aberrare.

ARTICVLVS II.

Quid sit iurisdictio Episcopalis, & quod ex tuis præceptis probetur humanum instrumentum.

VUT hæc questio explicetur de iurisdictione, in communione quædam statuenda sunt. igitur

Dico primo, potestas iurisdictionis ius est regiminis, quo compellere quis potest etiam subditos inuitos, leges ferendo, transgressores iudicando & puniendo. Hæc conclusio ex ipsa voce patet. iurisdictionis enim potestas est ius dicendi & leges ferendi, quibus subditi teneantur etiam repugnantes: qualem iurisdictionem in Ecclesia reperiri, quamvis id acerrime neges, tamen ex tuis dictis plurimis euicimus libr. 2. cap. 1. artic. 3. Quibus

addo aliud, quo clarissimè potestatem coactiuam, seu coercitiuā in Episcopis, afferis; eodē modo quo principes terreni eām habent. Nam l.2.c.3.num.30. de Apostolis & primitiuis Episcopis ita scribis: *Vbi nullum crimen aderat in inferioribus quod à superioribus corrigetur, superiores suam iurisdictionem quam in actu primo habebant in actu secundo non exercebant. Si enim nihil occurrat, quod superior reprobet, superior non habet in quo suam correctiuam exerat autoritatem.* Hæc tu. quibus aperte ponis in Episcopo iurisdictionem coactiuam seu coercitiuam: in actu quidem primo quando nihil est quod correctione indiget, in actu vero secundo si quid poena dignum subditi committat: hoc est, eodem prortus modo quo principes terreni potestatem coercitiuam habent. Nam reges, cum nihil est in subditis correptione dignum, non habent in quo suam correctiuam exerant autoritatem; atque adeo, vbi crimina desunt, eam tantum habent in actu primo, sicut etiam Episcopi habent.

- 13.** Dicosecundo, potestas iurisdictionis est beneplacitum seu institutum legitimi superioris ad hoc potestatem habentis, officium regiminis alicui demandantis. Hæc cōclusio etiam patet: quia potestas iurisdictionis est potestas iuris, ad leges ferendas: potestas autem iuris non est nisi ius aliquid faciendi; ergo potestas iurisdictionis in habente ipsam, ius est leges ferendi & subditos suæ curæ commissos gubernandi. Ius autem leges ferendi & populos gubernandi nulli homini (Christum semper excipio) conuenit ab extrinseco, vel à natura, vel à donis sue acquisitis siue infusis, ut patet. Igitur ab extrinseco homo ius hoc habet: quod extrinsecum aliud esse non potest quam beneplacitum superioris officium regiminis illi demandantis.

- 14.** Dicotertio, potestatem iurisdictionis duplēm esse:

ese: vnam iuris diuini, alteram iuris humani. Iurisdictio iuris diuini, beneplacitum est seu institutum Dei expressum, hominibusque reuelatum, quo persona vna, vel plures ad regimen aliorum deputantur. Talem iurisdictionem habuit Petrus, in Ecclesiam vniuersam: nimirum beneplacitum Christi expressum, hoc illi regimen tribuentis, per verba, *pasce oves meas.* Dixi hoc beneplacitum Dei debere esse expressum. Quia etiam omnia statuta iusta hominis potestatem habentis, à Deo sunt implicite, quia Deus ad ea sancienda potestatem dedit, datam consruat, & acta illius legitima rata habet: præterim si sint statuta Episcoporum, quibus dixit, *qui vos audit me audit.* Hoc autem beneplacitum diuinum debet hominibus quibus ea potestas datur reuelari, alioqui nec qui deputatur se deputari, nec subditi sibi rectorem à Deo dari intelligent. Luc. 10. 16.

Iurisdictio vero iuris humani est, quæ datur beneplacito potestatis humanæ, q. æ ad illam dandam idonea est. Potestas autem humana duplicitate potest alteri ius regiminis conferre, per translationem scilicet & institutionem. Per translationem datur iurisdictio, cum potestas diuinitus instituta ab vna persona ad aliam beneplacito voluntatis humanæ transfertur: quoad ius ex prima sua institutione diuinum est; quoad applicationem vero ad has vel illas personas humanum. Talis est potestas regiminis suprema in Petri successore: Illius enim potestas in Ecclesia est ex beneplacito & institutione diuina: ad hanc autem vel illam personam beneplacito & electione Ecclesiæ applicatur. Per institutionem humanam potestas datur, cum non ab vna persona ad aliam, iam instituta, transfertur, sed cum quæ prius in nullo esset, beneplacito Principis humani in aliqua persona producitur. Hac ratione, legati & proreges creantur à

tur à Regibus; quibus non suam dat Princeps potestatem eam à se transferendo, sed nouam potestatem suæ subordinatam producit imperio suæ voluntatis ab illius perpetuo influxu dependentem.

16. Dico quarto, Iurisdictionem etiam recte diuidi in primariam & vicariam. Primaria est, quæ conuenit alicui independenter à nutu & beneplacito alterius, nec potest valide solo libitu alterius auferri: Vicaria vero est quæ ab alterius nutu perpetuo pendet, & solo beneplacito destrui, vel alteri tradi potest: Et sane absolute loquendo nulla iurisdictionis humana primaria est, cum quæcunque & quantumcunque absoluta sit, tamen à solo nutu Dei pendet; siquidem solo beneplacito suo potest eam Deus Principibus etiam absolutissimis abrogare. Nihilominus etiam potestas humana primaria dicitur, quæ à solo nutu alterius hominis aut potestatis humanæ non pendet, nec potest ab ullo homine valide, solo nutu auferri. Hæc autem primaria duplex est. una est, quæ nullum superiorem agnoscit, qualis est potestas Monarchica, & potestas suprema cuiusvis Reipublicæ liberæ, & in Ecclesia summus Pontifex Petri successor: Altera est, quæ superiorem hominem agnoscit, à quo potest iustis de causis corrigi & puniri, non tamen à solo nutu superioris pendet, nec potest ei potestas sine iusta causa, solo nutu & beneplacito auferri: Istiusmodi sunt in regnis humanis Duces & Principes sub Regibus, & Episcopi in Ecclesia sub Romano Pontifice, Legati vero Regum, & Prorege vicariam habent iurisdictionem à nutu potestatis humanæ dependentem, sicut etiam Nuntij & Legati Apostolici habent.

17. Ex his quatuor corollaria deduco. Primum est potestatem institutam pendere perpetuo à solo bene-

beneplacito potestatis instituentis. Ratio est, quia iurisdictio ius est aliquid faciendi, atque adeo qui jure facere non potest, faciendi iurisdictionem non habet; sed quisquis habet iurisdictionem seu potestatem ut alios regat, institutam potestatem habet non alio iure quam solo beneplacito legitimè instituentis. Igitur sublato beneplacito instituentis, tollitur ius quod habebat regiminis, atque adeo ius institutum à beneplacito instituentis perpetuo pendet, quo sublato sublistere diutius non potest.

Secundo sequitur, potestatem humanitus institutam verum Principem non facere. Ratio est, quia nullus verus Princeps pendet à solo nutu & beneplacito potestatis humanæ; sed omnis potestas instituta pendet à solo beneplacito instituentis. Atque adeo potestas ab homine instituta pendet à solo beneplacito potestatis humanæ, ergo nulla potestas humanitus instituta verum Principem facit. Dices, potestas regia à Republica instituitur, & tamen verū Principem facit. Respondetur, potestatem regiam esse potestatem supremam gubernatiuam alicuius populi in vno existentem, sed antequam Rex eligeretur, erat in illo populo libero supra potestas gubernatiua: non igitur regia potestas à Republica Regem sibi creante instituitur; sed prius in multis existens, à multis ad unum transfertur.

Tertio sequitur, nullum verum principem esse qui non habeat potestatem diuinitus institutam vel immediate in sua persona vel in alijs immediate, ad hanc autem successione deductā. Hoc patet ex dictis. Quia nisi habeat potestatem diuinitus institutam, non est verus Princeps. Si vero habet, vel ea immediate habet à Deo in sua persona institutam, atque ita vera est pri-

prima pars corollarij; vel non habet eam in se institutam, atque adeo fuit in alijs ante ipsum instituta, ad quem si modo illum habet successione deuoluta est.

Quarto sequitur nullum Principem absolutum posse alium Principem sibi parem creare, nisi principatum suum à se in illum alium transferendo. Ratio est, quia si creat alium Principem sibi parem, debet alteri potestatem veri Principis suæ parem dare, sed suæ parem dare non potest eam instituendo & de novo creando per beneplacitum suæ voluntatis. Quia potestas creata & instituta vi beneplaciti humani, non potest (ut diximus) esse potestas constitutiua veri Principis, nedum potestati suñi Principis à quo instituitur & pendet, æqualis: igitur nemo potest Principem absolutum sibi parem beneplacito suæ voluntatis facere, nisi potestatem absolutam à se in illum transferendo.

- 18.** Dico quinto, Episcopos qui post Apostolos fiunt, non habere iurisdictionem à Christo primitus in ipsis institutam: sed si quam habent à Christo immediatè institutam, eam habere iure successionis ab Apostolis. Hæc conclusio euidenter est, quia nulla est in Ecclesia potestas iurisdictionis à Christo immediatè instituta, quæ non primitus in Apostolis extitit, per eosq; descenderit ad vniuersos illius heredes. Etenim (te fatente) Episcopi Apostolorum proprij successores sunt: atque adeo potestatis Episcopalis non primitui, sed succedanei possessores; nec eam Christus in Episcopis immediate per seipsum posuit, sed Ecclesia positam à Christo in Apostolis, ad hos vel illos suo beneplacito & electione deriuat. Hanc tu veritatem, tuo more, negas & asseris. Nam l.z.ca.i.nu.5. nullum inquis, ego inuenio discrimen inter verum Apostolum & Episcopum: nisi quod Apostolus sit, qui Christum prædicat tanquam testis oculatus ab ipsomet Christo immediate missus E-

*fit; Episcopus vero fit, qui eundem predicit ut testis instru-
tus & fide illuminatus, ac missus à Christi Ministris. Hic
asseris, Episcopos non immediate à Christo mitti; at-
que adeo non immediate à Christo potestatem Epis-
copalem ipsis applicari. At l.eodem 2.c.7. n.22. dicis,
**Christum non tantum Episcopatum sed etiam Episcopos in
Ecclesia posuisse, quorum inquis, ordinatio & missio im-
mediate est à Deo.** At video quid dicturus sis, nimirum
Episcopos quidem externè ab Ecclesia ministris im-
mediatè mitti, à Christo vero interne totam ordina-
tionem peragi, atq[ue] ita iurisdictionem internè à solo Christo
immediate dari: ita lib. 2. cap. 5. num. 18. & num. 3. Ab
Apostolis, inquis, & Episcopis, cum quis sit Episcopus, sola
externa peragitur vocatio, electio, missio: Christo tamen
immediate semper sicut Apostolis, ita etiam Episcopus per
Apostolos aut Episcopos missis, Apostolicam seu Episcopalem
tradente potestatem. Ita tu.*

Hic distinctionem ponis ordinationis externæ & 19.
internæ, seu ordinationis ab homine externe, à Deo
interne factæ, quam singulis pene paginis repetitis; sed
certe dubito an quid rei verbis istis subsit intelligas.
Nam missionem Episcopi quæ sit exterius ab Eccle-
sia, interne fieri à Christo immediate, ego non nisi
quatuor modis intelligere possum. i. vt Deus tantum
interno actu mentis exterius non declarato potesta-
tem det. Hic sensus aperte falsus est, quia beneplaci-
tum Dei internum, non est ius, nec iurisdictionem
tribuit, nisi exterius exprimatur, & hominibus reue-
letur, vt diximus. 2. potest intelligi Christum Epis-
copos internè ordinare, qualitatem quandam inter-
nam ipsis imprimendo, per quam iurisdictionem ac-
cipiant. Et hoc etiam falsum est, cum potestas iuris-
dictionis non sit (vt ostendimus) qualitas aliqua su-
pernaturalis interna, sed beneplacitum legitimi supe-
rioris hominem ad regimen deputantis: neque pone-
re po-

te potestates supernaturales internas in Ministris ordinatis cum tua doctrina conuenit, quam saepe repetitis, ordinationem esse meram deputationem ad Ministerium sine characteribus impressis. Tertio; potest intelligi Deum interne, hominem vero externe ordinare, eò quod homine exterius vocante, eligente, & ad regimen aliquem deputante, Deus interne sua inspiratione vocet, moueat & inciteret eundem ut regimen seu Episcopatum acceptet. Hoc si intelligas, fateor quidem saepe contingere ut Episcopi ad onus Episcopale subeundum ita à Deo interius moueantur & agantur: sed per has internas vocationes, motiones, & missiones potestatem Episcopalem tradi à Deo immediate falsissimum est. Primo: quia non omnes Episcopi interius ita vocantur à Christo, sed se multi obtrudunt ordinandos ambitione moti. Hi tamen potestatem diuinæ iuris accipiunt, & his subditi tenentur obediere iure diuino, non minus quam Episcopis qui ordinantur diuinis inspirationibus excitati. 2. quia motio illa interna secreta est, nec nisi Episcopo ordinato nota, de qua nec ipse saepe sat certus est; at iurisdictio & beneplacitum Dei quo alicui regimen demandat publicum esse debet, nec solum Episcopo qui mittitur, sed etiam populo ad quem mittitur notum, alioqui diuino iure non tenebuntur illi parere, nec ipse iure diuino ipsis imperare potest. Non igitur ab hac diuina vocatione interna quæ secreta & ignota est, authoritas Episcopalis pendet, nec ab ea velut à fonte deriuatur. Denique motiones diuinæ seu inspiraciones ex se non obligant ut illis obediatur iure diuino: sed vel iure diuino vel humano, prout preceptum diuinum vel humanum est, ad quod implendum existant. Nam si mouemur à Deo ad implendum preceptum diuini iuris, si motiones diuinæ negligimus, contra ius diuinum peccamus: si autem nos excitat

Deus

Deus interius ut præcepto Ecclesiæ pareamus, si diuinæ motioni non acquiescimus, peccati quidem rei sumus; sed peccati, quo non ius diuinum sed humanum violamus. Hoc modo si missio externa qua mittitur ab Ecclesia Episcopus ad certum populum, cuius regimen illi mandatur, sit tantum præceptum humanum Ecclesiæque institutum, certe licet Deus interius eum vocet, moueat, ordinet, mittat excitando ut Ecclesiæ mittenti pareat, tamen non diuino iure sed tantum humano obligabitur, nec contra ius diuinum sed tantum humanum si Deo vocanti non obtemperet, peccabit. Quod si ita sit, certe ius quod habet Episcopus ut Ecclesiam regere possit & debeat, & populus illi parere teneatur, non oritur ab inspiratione seu vocatione diuina interna, sed à beneplacito legitimi superioris Ecclesiastici, hoc illi regimen imperantis. 3. potest intelligi Deum interne Episcopū mittere & ordinarie, quia quamuis hoc exterius non videatur, tamen credi debet, Deum deputationem Ecclesiæ approbare, ut quem legitimus superior ordinat, interius illius ordinationem Christus ratam habeat & in cælis. Hoc quidem verum est, Christum has ordinationes Ecclesiæ ratas habere, tamen falsum est hanc ratihabitionem Christi vim iuris diuini ordinationibus Ecclesiæ tribuere. Nam Christus sicut deputationes ministrorum factas ab Ecclesia ratas habet in cælis, ita etiam leges ab Ecclesia latae in cælo ratificat, Ecclesiæque per statutum ligante super terram ipse simul ligat super cælos, neque tamen propterea leges Ecclesiæ vim diuini iuris habent, igitur neque deputationes Ministrorum quas facit Ecclesia ideo diuini iuris sunt, quod Christus eas ratas habeat, nec ab illa secreta cœlestique approbatione Christi potestas diuini iuris tribuitur Episcopo, per Ecclesiam ad regim̄ destinato. Atque hinc concluditur.

cluditur ordinationem quam singis à Christo internè peragi per quam iurisdictio tribuatur Episcopis merum figmentum esse ; nec aliunde immediate iurisdictionem habere Episcopos quam à beneplacito Ecclesiae quæ regimen Episcopale vel in ipsis instituit , ut quidam volunt , vel à Christo ipso in Apostolis institutum ad has vel illas personas prout expeditre iudicauerit deriuat, de qua quæstione c.5.

20. His positis facile potest ostendi, te iurisdictionem Episcopalem dum putas eam exaltare, reuera deprimere : Quare dico sexto , per tua dicta & principia euidenter probari Episcopos non vere succedere Apostolis. Nam tria dicis ex quibus hoc concluditur. Primum est in Apostolis non fuisse duplicem potestatem , nimirum Episcopalem certæ Diœcœli affixam , & Apostolicam vniuersalem . Neq; mibi (inquis l.2.c.1.n.10.) poterunt in toto Euangelio inuenire vbi in Apostolo possumus distinguere potestatem Episcopalem minorem , à potestate Apostolica maiore , aut partem sollicitudinis à plenitudine potestatis . Secundum dictum est Apostolos creando Episcopos nullam potestatem à se in illos transtulisse, sed suâ integra manente in Episcopis aliam suæ partem creasse. Hoc sëpe dicas, præterim l.2. c. 2. vbi hæc habes nu. 7. Sicut Christus mittendo Apostolos , eos ad Episcopatum euexit , ita ipsi Apostoli accepta eadē potestate , dum alios ad fundandas vel regendas Ecclesiæ mittebant , eos ad Episcopatum euerebant , totumq; ipsorum officium cum tota potestate Ministeriali communiebant. Tertio dicas communicationem potestatis distinguiri à successione , neque ex eo quod quis alteri suam communicet potestatem , recte probari inter eos successionem , ita l.4.c.6.nu.9. Neque dicant nobis Monarchici , Romanum Pontificem claves reliquis Ecclesijs communicare , atque ita totam Ecclesiam claves habere à Petro , quia hoc pacto Ecclesia

Clesia vniuersa non haberet claves per successionem à Petro, sed per communicationem, & aliud est successio, aliud communicatio; & nos querimus nunc successionem Petri in Papatu, non clavium communicationem. Hæc tu: ex quibus sic arguo. Sicut aliud est successio in clavis à Petro, & aliud communicatio clavis à Petro, ita aliud est aliquos in potestate Episcopali Apostolis succedere; aliud aliquibus potestatem Episcopalem ab Apostolis communicari; quia successio est quæ res eadem pluribus fit successiæ communis, communicatio vero quæ ad plures extenditur ut in illis simul existat. Et sicut ex eo quod Romanus Pontifex reliquis Episcopis regimen Episcopatumque comittat, non recte deducitur, Episcopos quibus potestas à Romano conceditur, Romano succedere in potestate, ita prorsus ex eo quod Apostoli pluribus regimen Episcopale tradiderint suamque potestatem ad illos extenderint, non potest successio potestatis Apostolicæ sed tantum communicatio concludi: Fateris autem & verum est, Apostolos suam vniuersalem potestatem non cessisse Episcopis quos creabant, sed ad summum tantum communicasse, ut in vtrisq; simul existeret, igitur Episcopi potestatem vniuersalem sibi non cessam ab Apostolis sed communicatam habuerunt, in eaque fuerunt Apostolorum collegæ, non successores. Nulla autem fuit in Apostolis alia potestas minor vniuersali quam cederent Episcopis & in qua Episcopi ipsis succederent, si tu verum dicis. Quare rectè concluditur ex tuis principijs, inter Apostolos & Episcopos nullam propriæ successionem sed tantum communicationē potestatis fuisse, nec Episcopos habere ius regiminis in Apostolis à Christo institutum, ad se ab Apostolis translatum, sed aliud beneplacito potestatis Apostolicæ diuinatus institutæ productum. Atque ita falsum est, & cum

alijs tuis dictis pugnans quod toties dicas penes Episcopos Ecclesiasticum regimen illud ipsum residere, quod Apostoli sancti à Christo ordinarium accepérunt. Ita l. 2. c. 7. n. 8. & statim n. 9. plenissima, inquis, est in nobis Episcopus potestas Apostolica, ea pro multis que sunt in Apostolis.

21. Dices fortassis quod valde insinuas, in omnibus Apostolis eandem numero potestatem fuisse, atque ita Episcopis communicasse eandem profusa numero quam habebant ipsi potestatem, ipsorum vero potestas fuit à Christo diuinitus instituta, ergo etiā Episcopalis. cu prorsus eadē numero sit. Resp. Primo quod etiam si hoc verum esset, tamen Episcopos primos ab Apostolis constitutos, non successione ab Apostolis sed communicatione potestatem accepisse. Nam sicut Filius Aeternus eandem numero diuinam naturam accepit quam Pater habet, non tamen eam successione à Patre sed vna cum Patre eam habet; ita primiti Episcopi si prorsus eandem etiam numero cum Apostolis haberunt potestatem, non tamen eam successione ab Apostolis sed communicatione accepserunt, quia eam non cessant libi ab Apostolis & postquam Apostoli regere delerant, sed vna cum Apostolis libi communicata in accepserunt. Deinde eandem numero potestatem in omnibus Apostolis aperte manifestum esse probatur ex eo; quod dicas, singulos Apostolos habuisse plenissimam potestatem, qua quisque eorum plene Episcopus erat & independenter unus ab alio. sed huius numero potestas extitisset in omnibus Apostolis, & non singuli sua propria Apostolica potestate predicti fuissent, certe singuli seorsim non habuissent, nec exercere potuissent plenam & Apostolicam potestatem independenter unus ab alio. Sicut in senatu Veneto, quia potestas una numero in omnibus in soli duis senatoriis est, unus nihil lacere potest independent-

pendenter ab alio: quod si per se singuli. seorsim plena-
 nam haberent potestatem, tot in senatu Veneto, ple-
 nae distinctæque potestates, quot senatores essent.
 Præterea fieri nullo modo potest ut plenus perfectus
 que princeps suam potestatam alteri communicet,
 nisi suam minuat & minus absolutam reddat. Nam
 quo plures possunt de eadem re independenter vnius
 ab alio disponere, eo singuli minus plenè & absolu-
 tè disponere de re illa poslunt; quia quo quis plures
 habet in iure de re aliqua disponendi libi pares, co-
 plures habet qui liberam ipsius de re illa disposi-
 tionem impedire iure possunt. Quod si verum est,
 certè non potuerunt Apostoli, centum, verbi gratia,
 Episcopos constituere, singulisque plenum perfe-
 ctumq; ius ab ipsis independens disponendi de Eccle-
 sia tribuere, quin sciptos minus plenos redderent &
 minus absolutos Ecclesiæ gubernatores: sed ditis A-
 stolos suum plenum ius disponendi de Ecclesia crean-
 do Episcopos ne hilum quidem minuisse; non igitur
 ius absolutum regendi Ecclesiam vniuersalem, multo
 minus suum ipsum numero ius regiminis Episco-
 pis communicarunt, sed aliud inferius & à suo re-
 gime dependens. Dices: ius regiminis Apostolicum
 non fuit, vt diximus, nisi beneplacitum Christi regi-
 men ipsis mandantis; sed beneplacitum Christi quo
 constituit ipsis Ecclesiæ Rectores ynum numero
 fuit, nam simul omnibus eodem tempore ijdem
 verbis dixit, *Sicut misit me Pater, & ego misso vos.* igitur
 ius regiminis Apostolicum vnum numero in om-
 nibus & singulis Apostolis fuit. Resp. beneplacitum
 illud Christi externa probatione ynum numero,
 virtute vero & efficacia multiplex fuisse, cum te fa-
 tente per illud duodecim principes constituti sint sin-
 guli cum plenissima potestate: Sicut si Rex uno edi-
 cto duodecim legatos crearet, illud edictum ynum

numero virtute multiplex foret duodecimque Regis distincta beneplacita contineret quo duodecim legati crearentur, quisque in suo officio ab alio independentes.

22. Dico 7. Ex tuis principijs euidenter deduci, potestatem cuiusvis Episcopi humanum institutum & beneplacitum esse: Hoc ex varijs dictis tuis ostenditur. Primo, quia Episcopi per tua principia probantur non habere veram successionem ab Apostolis, sed Episcopi nisi veram habeant successionem ab Apostolis, eorum potestas humanum beneplacitum est, quia si non regant Ecclesiam beneplacito diuino quo eam regebant Apostoli ad ipsos successionem translato, certe regunt eam beneplacito & institutione Apostolica, atque adeo beneplacitum secundum quod iure regunt humanum immediatè erit, nec diuinum nisi quatenus potestas Apostolica à Deo fuit. Hoc magis patebit exemplo: Nam Titus v.g. à Paulo constitutus Cretæ Episcopus non accepit à Paulo per successionem ius diuinum plenissimum Ecclesiam universam regendi (quomodo enim in eo Paulo successerit, in quo Paulus illi non cessit!) neque ius diuinum proprium Cretæ insulam Episcopaler regendi, (quomodo enim hoc diuinum ius proprium à Paulo per successionem acciperet, cum nullum tale ius proprium Episcopale respectu Cretensum, si tibi creditus, in Paulo fuerit) igitur Titus ius neque universale, neque proprium regiminis habebat, ex beneplacito diuino; sed tantum ex beneplacito Pauli, qui pro sua Apostolica potestate dare poterat Cretenibus Episcopum. Atque adeo Cretæ Episcopatus beneplacitum fuit & institutum Pauli, atque eadem de ceteris ratione est, ut consideranti patet.

Secundo, quod Episcopatum non nisi humanum beneplacitum facias, ex eo colligitur, quod eum facias.

ciās pro solo nūtu, & beneplacito humano sine vlla
iusta causa auferibilem. Nam l. 4. c. 11. n. 62. dicis E-
piscopum esse magistratum manualem & amobilem ab
ipsa Ecclesia constitutum, cui si sine iusta causa quod tamen
fieri non debet eripiatur Episcopatus, nihil tamen auferri
quod verē ipsis peculiare sit. & in omni electione etiam
iniusta sedem vacare, & in locum depositi alium or-
dinari iure posse & debere. & lib. 2. cap. 4. num. 23.
non solum doces sed etiam Concilio Toletano quar-
to tribuis hanc tuam doctrinam, depositum iniuste
potestatem etiam ordinis nedum iurisdictionis a-
mittere. Ex quo dicto tuo duo infero contra te. Pri-
mū est, potestatem Episcopi non nisi humanum bene-
placitum esse, quia quod beneplacito humano datur,
& beneplacito humano nulla causa existente valida
aufertur, nō nisi humanum beneplacitum est: sed po-
testas cuiusvis Episcopi talis est, vt tu dicis; igitur
non nisi humanum beneplacitum est. Secundum est,
te uno loco docere, quod alio censes flammis di-
gnūm. Nam. lib. 2. cap. 5. disputans contra senten-
tiam Catholicam; in Papa esse plenitudinem po-
testatis, ab eoque ad Episcopos potestatem deriuari,
refers sententiam Paludani, qui dicit, Papam posse sine Palud.
causa Episcopum magis bonum destituere, & loco e- tract.de
ius ponere minus bonum; ita vt peccet quidem id fa- Eccles. Po-
ciendo, factum tamen teneat. Hoc dictum Palu- test. Ar. 5. 6.
dani, inquis, dignum igne pronunciatur ab Almayno,
sed sciat Almaynus prius dignam esse igne sententiam Almayn.
ponentem Monarchiam in Papa & plenitudinem hanc tract.de
potestatis, vt ab ipso deriuetur in Episcopos: nam si hac Domin.
plenitudo potestatis est in Papa, sententia Paludani est nat. ciu. &
necessaria. Quia tamen reuera hoc dictum est igne di. Eccles. conc.
gnūm, sequitur necessariō vt prius sit flammis dignis-
sum id unde dictum sequitur necessariō. Hæc tu. qui
tria dicis: primò facere iurisdictionem Episcopi,
V 3 iusta

ita ab humano beneplacito dependentem ut sine iusta causa possit à digniori auferri & minus digno conferri, esse flammis dignum. Secundum, sententiam qua Papam facit Monarcham cum fonte & plenitudine potestatis, etiam facere potestatem Episcopi solo beneplacito auferibilem. Tertio, idcirco sententiam hanc Monarchicam esse flammis dignissimam. Quapropter cum tu doceas aperte Episcopum deponi posse, ita ut factum teneat etiam sine causa, & ita depositum iniuste potestatem omnem perdere iurisdictionis & ordinis, profecto tuam sententiam, si iudex æquus sis, flammis dignissimam pronunciare debes. Nam si potestas Episcopi reuera sit solo nutu Ecclesiæ amobilis; cur sententia unde hoc sequitur propterea hæretica sit & flammis digna? si vero sententiae quæ sic subiicit Episcopalem potestatem nutriti & beneplacito Ecclesiæ, vt solo nutu sine causa possit auferri, hæretica sit & flammis digna, quomodo tua doctrina non maximè hæretica sit flammisque dignissima, qui non tatum iurisdictionem, sed etiam Episcopalem ordinem pro solo beneplacito sine causa auferibilem facis?

ARTICULUS III.

Singulos Episcopos omnibus in solidum Apostolis propriè succedere, segmentum esse.

23. **Q**UATVOR notissimæ sunt successionis proprietates, ex quibus omnibus & singulis ostenditur absurditer facere, qui singulos Episcopos omnibus in solidum Apostolis succedere vere & propriè definis.

PRIMA

PRIMA PROPRIETAS.

Primo, successio postulat ut res in quā succeditur, 24
præcesserit in persona cui succeditur. Hinc efficitur
ut decessor & successor eiusdem rei possessores sint, &
successor quā successor eiusdem ordinis & dignitatis
sit, cuius decessor extitit. Hinc regibus quā reges
non nisi reges & reges quā reges non nisi regibus suc-
cedunt, sicut Episcopi qua Episcopi proprie non nisi
Episcopis.

Ex hac proprietate successionis infertur, Episco-
pos quā Episcopos propriè, secundum tua principia
non succedere Apostolis. Duo quippe dicis ex qui-
bus hoc evidenter colligatur. Primo dicis Apo-
tolos non fuisse nec esse potuisse certæ alicuius Ec-
clesiæ Episcopos. Hoc libro quarto, capite sexto,
numero decimo septimo, vehementer afferas. Se-
condo dicis Episcopos propriè esse, qui certæ sedi
alligantur. Hoc libro secundo, capite tertio, numero
decimo, expressè afferis. & libro quarto, capite nono,
numero primo, si inquis, *Episcopus potest legitimè po-*
testare in partes à sua propria cura remotores. & in Ecclæ-
siæ alijs subiectas Episcopis, exercere ea prosector non erit or-
dinaria Episcopatus. & ibid. paulò inferius: *Erit utiq; po-*
testas alia ab ordinaria & Episcopali diuersa, qua ab uno
quoq; Episcopo exerceri non posse; aut non debeat, quoq;
extra propriam Diœcesim se extendat ad vniuersale bo-
num. Ita tu: dicis autem apertissimè potestatem vni-
uersalem quæ non sit ad certam Diœcesim limitata,
non esse ordinariam sed extraordinariam, nec Epis-
copalem sed ab Episcopali diuersam. Quo polito,
statim apparent Episcopos quoad potestatem Epis-
copalem Apostolis non succedere. Non enim suc-
cedunt Apostolis quo ad ea, quæ in Apostolis non

præcesserunt, nec per successionem ab Apostolis sunt quod Apostoli vñquam fuerunt; sed in Apostolis (vt tu quidem putas) non fuit potestas ordinaria Episcopalis ad certam diœcetim limitata, neque fuerunt Apostoli ullius certe sedis Episcopi; igitur Episcopi quæ proprie Episcopi non succedunt Apostolis, sed si succedunt, succedunt in potestate vniuersalitatem Episcopali diuerla, in qua tamen Apostolis eos non succedere conuincit secunda proprietas.

SECUNDA PROPRIETAS.

25. Secundò Successio postulat, vt eadem res ab uno habeatur post alterum, eodem proposito iure & instituto. Hac de causa Alexander Macedo in regno Persarum successor Darij non fuit, sed noui regni & imperij institutor, quia quamuis eosdem populos tibi subiectos habuerit, non tamen eodem iure; cum Darius regnum Persarum habuerit iure hereditario; Alexander iure Victoriae seu belli.

Ex hac proprietate successionis concluditur non posse omnes Episcopos Apostolis quoad potestatem vniuersalem succedere. Nam quamuis daremus tibi Christum duodecim apostolos instituisse, qui tanquam duodecim Principes Ecclesiam pari iure regerent, vnde cum præcepto, vt hoc à se institutum regimen perpetuum in Ecclesia sit: hoc, inquam, dato, tamen non omnes Episcopi haberent potestatem vniuersalem per successionem ab Apostolis, sed tantum duodecim qui in locum duodecim Apostolorum suffici essent. Ratio est euidentis, quia successio ab Apostolis in regimine Ecclesie, non est nisi perpetuatio regiminis à Christo in Apostolis instituti, quando, vel morte, vel legitime aliquis ex eis vel plures officio cedunt: sed regimen quod Christus in illis instituit, fuit duodecim Principum, quorum singuli semper haberent vniuersalitatem.

vniuersalem amplissimam potestatem vt tecum nunc supponimus. igitur successio ab Apostolis, iure diuino, non est nisi perpetuatio duodecim Principum, quorum singuli Ecclesiam regant plenissima potestate. Quod si duodecim principes extendantur ad plures, verbi gratiâ, ad centum, certè non hæc perpetuatio regiminis à Christo in Apostolis instituti dici debet, sed mutatio, qua regimen duodecim viratus in regimen centumviratus mutatur. Hoc patet exemplo : ponamus enim Deum in aliqua Republica tres constituere principes vniuersales, singulos plenissimæ potestatis, simulque ordinare vt hoc à se institutum regimen semper in Republica perseveret: hoc casu si Respublica loco trium sibi substitueret decem, singulos cum plenissima potestate, profectò non continuaret regimen à Deo institutum sed mutaret, neque septem illi qui tribus adiicerentur dici possent illis succedere, sed illis potius contra diuinam institutionem adiungi. Dices, Christum instituisse duodecim Episcopos vniuersales, non tamen præcepisse vt duodecim solum regerent, sed illis duodecim dedisse potestatem, vt plures Episcopos vniuersales, quot nimirum iudicarent Ecclesiæ regendæ necessarios, crearent, & sibi adiungerent. Relp. hoc falsum esse vt capite quarto ostendam, tamen vt verum sit, non sequitur hos substitutos vniuersales Episcopos Apostolis succedere, sed tantum adiici. Nam talis institutio plurium Episcoporum vniuersalium, quam duodecim non esset legitima continuatio duodecim principum, quos Christus instituit, sed legitima mutatio seu extensio institutionis Christi à duodecim ad centum, neque principes illicentum vniuersales Ecclesiam regerent iure legitimæ continuationis duodecim principum à Christo institutorum, sed iure legitimæ extentionis quo regimen duo-

decim à Christo positum, ad regimen plurium extendi ab Apostolis poterat si conuenire censerent. Quod clarissime ostenditur hoc argumento in tuis dictis fundato. Potestas quæ fuisset in Ecclesia, etiamsi duodecim Apostoli perpetuo vixissent Ecclesiam gubernantes, non habetur iure legitimæ successionis in locum & regimen eorum, cum successio ab Apostolis non aliud sit quam ius quo potestas à Christo in Apostolis instituta perpetuò conservari debet & conservatur; sed potestas plurium Episcoporum præter Apostolos fuisset in Ecclesia, etiamsi Apostoli perpetuò vixissent in Ecclesiæ regimine, ut colligitur ex tuo pronunciato l.2.c.1.n. II. Prima inquis Episcoporum institutio non fuit, ut Apostolis singulis darentur successores qui in singulorum locum post mortem subrogarentur, sed quicunque ab Apostolis siebant Episcopi, y eandem cum Apostolo ipsi autoritatem accipiebant: igitur etiamsi perpetuo rexissent Ecclesiam duodecim Apostoli, tamen Episcopi & eorum potestas fuisset, quam propterea non habent iure legitimæ successionis in locum Apostolorum sed iure nouæ institutionis per quam Apostolis adiungebantur. Quapropter euidētissimum est iure propriæ successionis ab Apostolis Episcopos potestatem vniuersalem non habere, nec alio iure habere infra ostendam.

TERTIA PROPRIETAS.

26. Tertiò necessarium est ad successionem, vt posterior non solum rem eandem cum prædecessore post ipsum habeat, sed etiam vt eam per cessionem prædecessoris sive naturalem, sive voluntariam habeat. Quare etiamsi duo rem prorsus eandem possideant, si ex illis unus moriatur, alter superstes, non proprietaria habebit rem quam habeat per successionem in locum mortui seu iure quo res ab uno transferatur
ad al-

ad alterum, sed vi possessionis quā rem possidebat
vnā cūm mortuo, per quam licet ille mortuus non
esset rem possideret. Hoc declarari potest hoc exem-
pli. Ponamus Paulum v. g. in aliquo materiali loco
fixū ex istere, Deum vero etiam Titum in eodē loco
cūm Paulo collocare ut idem prorsus spatium vterq;
possideat; hoc casu si Titus moriatur ante Paulum
ridiculus esset, qui Paulum Tito succedere diceret,
quamuis Paulus locum eundem quem Titus habuit,
post Titum habeat: Item si Paulus ante Titum vitam
finiat aut locum mutet, non tamen Titus dicetur
Paulo quoad locum succedere, quia quamvis locum
Pauli post Paulum habeat, non tamen habet vi pos-
sessionis qua Paulo succeditur, sed vi talis possessionis
qua cūm Paulo ibidem mansit, & cūm Paulo ibidem
adhuc manente, commanere potuisset, vt nihil ad i-
psum Paulo abeunte deueneret.

Ex hac proprietate successionis apparet, quam 27.
crassa minerua de successione Episcoporum ab Apo-
stolis disputes, quam propriissimam tē inuenisse to-
tius iactas, cūm tamen nihil minus facias. lib. 2. cap. 1.
num. 11. *Qui potestatem, inquis, eandem in solidum ba-
bebant cum Petro, Petri successores meritò poterant nun-
cupari, iij vero sunt aquo omnes Episcopi.* Quid rudiū
potuit scribi aut crudius! Nam si ij qui habent ean-
dem cum Petro potestatem Petri successores dici me-
ritò possunt, cūm Apostoli omnes habuerint eandem
in solidum cum Petro potestatē: (si tu verum dicis)
sequitur omnes & singulos Apostolos Petro succe-
sse, sequitur omnes Apostolos cūm eandem habue-
rint inter se potestatem sibi inuicem successisse, at-
que ita Petrum Ioannis, Ioannem vicissim Petri sui-
se proprie successorem. Quæ omnia ita sunt absurdā,
vt nunquam crederem ea tibi in mentem venire
potuisse, nisi videreim hæc & his etiam diriora à te
spon-

sponte concedi, lib. 2. cap. 2. num. 12. Pralati, inquis, omnes, merito & successores, & collegæ Petri dicuntur, immo & Petrus ipse; siquidem Petras nos omnes representauit & nostrum omnium nomine accepit curam Pastoralem. Hæc tu. quæ fortassis dicas ut ea tanquam enigmata admireremur, non ut tanquam clare perspicueque vera amplectamur. Nam cum successor alterius sit qui post alterum, collega autem qui simul cum altero potestatem eandem habet; qui fieri potest, ut prælati omnes Petri tam collegæ quam successores & verè sint & merito vocari possint? Si simul cum Petro gubernant Ecclesiam, quomodo Petri successores? Si post Petrum Petroque mortuo gubernare incipient, quomodo Petri collegæ?

28. Quare l. 2. c. 5. n. 26. non ita prorsus vastè, sed tamen etiam satis ineptè hac de re scribis. *Quamdiu vixerunt Apostoli, Episcopi qui ab illis promouebantur, non erant neque dici poterant protunc Apostolorum successores, sed sibi & collegæ, at postquam mortui sunt Apostoli, tunc Episcopi remanserunt ut Apostolorum successores in communi & in solidum, non autem in singulari.* Hæc tu. tripliciter autem peccas. Primò tibi ipsi contradicis. Nam prius dixeras omnes prorsus Episcopos fuisse Apostolorum & successores & collegas, nuncautem utrumque negas. Qui post Apostolos promoti fuerunt ijsque mortuis fateris & tanquam manifestum supponis non fuisse eorum collegas; qui vero vixerūt cum Apostolis dicens eoru tunc fuisse collegas; non autem protunc successores. Ex quo conficitur non omnes Episcopos fuisse Apostolorum successores: nam quidam Episcopi Apostolorū collegæ, mortui sunt ante Apostolos, ut Marcus ante Petrum, à quo ordinatus Episcopus Alexandrinus fuit. Hi vero successores Apostolorum ante mortem esse non poterant ut fateris, neque post mortem potuerunt evadere successores, quia post A-

anno scili-
cet octavo
Neronis. te-
ste Hiero-
nymo.

postolos Episcopi non erant, sed iampridem Episco-
pi esse desierant.

Secundò te ipsum implicas difficultatibus, cum dicas Episcopos fuisse tam successores quam collegas omnium Apostolorum in communi, non autem in singulari. Nam cum mortui sint Apostoli non simul omnes sed successiue: quæro à te, aliquot Apostolis viuentibus, alijs autem mortuis quid fuerunt Episcopi collegæ omnium, an omnium successores? non omnium collegæ, quia iam nonnulli mortui erant: non omnium, successores quia nonnulli viuebant Ecclesiam gubernantes: Barnabas, exempli gratiâ, post mortem Iacobi qui primus ex Apostolis obiit, dicione debuit omnium Apostolorum collega, an successor; collega omnium pro tunc non fuit, quia Iacobus cum ipso Episcopus non erat; successor omnium non fuit, quia undecim supererant. Si dicas, fuisse ceterorum collegam Iacobi vero successorem, tunc certe Barnabas successor fuit non omnium Apostolorum in communi, sed solius Iacobi in singulari in illiusque locum singulariter suspectus, quod tamen ferre non potes.

Tertiò peccas, quia ignoras naturam successionis, cum dicas Episcopos qui fuerant viuentium Apostolorum collegæ, factos esse per mortem Apostolorum successores ipsorum. Nam Episcopi eodem prorsus iure regebant Ecclesiam mortuis Apostolis quo rexerant illis viuentibus, sed illis viuentibus regabant Ecclesiam non iure successionis, quo subrogabantur in locum & regimen Apostolorum suo officio cedentium, sed tali iure quo rexissent Ecclesiam etiamsi Apostoli numquam officio suo defuncti fuissent; igitur post mortem Apostolorum rexerunt Ecclesias non iure acquisito per cessionem Apostolorum, quod successio dicitur, estque translatio officij ab uno

390 MONARCHIAE ECCLESIASTICAE,
ab uno in alium; sed iure à cessione Apostolorum
independente, quod etiam non cedentibus Apostolis
habuissent, atque adeo ius tale erat cui Apostolos vel
Iesum cum Apostolis existere accidentarium erat.
Certe quid sit ius successionis ignoras.

QUARTA PROPRIETAS.

29. Quartο: ex vera, & propriè dicta successione con-
sequens est; ut successor plenus, & integer pat omni-
no sit decessori. Nam cum prorsus idem, eodem iure,
post alterum possideat, & ipsissima decessoris pote-
stas ad eum transferatur, non potest fieri quin inter i-
psum & decessorem summa æqualitas sit. Hanc æqua-
litatem optimè intellexit Symmachus Romanus
Pontifex, cuius quoddam dictum quod non intelli-
gis, dum laudare vis, reuera non illud sed blasphem-
iam laudas. Nam l. 3. c. 1. n. 21. Symmachum citas ita
scribentem, Dum ad Trinitatis instar, cuius est una, &
individua potestas, unum sit per diuersos Antistites. Sacerdo-
tium, quemadmodum priorum statuta à sequentibus con-
uenit violari. Hoc dictum vocas pulcherrimam similitu-
dinem qua paucis verbis sed egregijs expreſſit magnam
Veritatem; nimurum omnes Episcopos cuiuscunque
sedis sint inter se pares esse, & eandem indiuīsam po-
testatem habere, eo prorsus modo quo diuinæ tres
personæ pares sunt in eadem indiuīsa potestate. Ita
tu Symmachum explicas, de Episcoporum & tua cum
Romano Pontifice paritate perpetuo somnians, vt
mirum non sit, quod hic etiam stetras. Non enim
dicit Pontifex omnes Episcopos cuiuscunque sedis
sint eandem prorsus habere indiuīsam potestate, quo-
modo eandem habent personæ diuinæ; quæ non pul-
cherrima similitudo sed horrenda blasphemia, non ma-
gna veritas sed ingens fallitas est. Nam taliter in Epis-
copis diuersarum sedium potestas numero diuersa
est, cum

Symmac.
apud Baro.
tom. 6. an.
499. n. 36.

ea, cum tamen S. Trinitatis ipsissima numero potestas & essentia in tribus sit. Loquitur igitur Symmachus de diversis Antistitibus seu Episcopis qui sibi inuicem succedunt in eadem sede, in quibus successione eadem ipsissima potestas est. Loqui autem eum de Episcopis qui sibi inuicem succedunt non de Episcopis diuersorum sedium, satis indicat ipsius conclusio quae est, *Non oportere statuta predecessorum à successoribus violari*. Nam cum potestas iurisdictionis non physicum aliquid sed morale sit, non censetur cum Episcopo extingui, sed ad successorem transire illa ipsa quae in decollore fuit.

Ex hac proprietate ostendo sententiam tuam, 302
 quod quisvis Episcopus omnibus & singulis Apostolis integrè & plene succedat, ridiculum figmentum esse. Ex ea enim evidenter deducitur additis alijs dicitis tuis, quemlibet Episcopum habere potestatem maiorem intensiuè quam vllus Apostolorum uno excepto Petro, imo etiam maiorem quam ipsem Petrus habuerit. Quis autem non ista rideat? Hoc autem utrumque sequi ex tua successione ostendo, ac in primis Primum sequi sic probo. Si ponamus, quod tu dieis, quemlibet Episcopum succedere Apostolis omnibus & singulis in solidum; sequitur quemlibet Episcopum habere non minorem potestatem intensiuè, quam habuit quilibet Apostolorum ut per se pater, & tu affirmas l.z.c.iz.n. 78. ubi sic Episcopos affaris, *Præsules venerandi, successores estis plenissimi Sanctorum Apostolorum*, quisq[ue] vestrum tantum habet in Ecclesiæ regimine potestatem ordinariam quamam habuit quicunque etiam summus Apostolorum. & eodem l. c. 5. n. 22. Ego sane amplissimam admitto potestatem in unoquoque Episcopo, non minorem intensiuè quam fuerit in unoquoque Apostolorum ordinaria. Hæc tu:clarissime affirmans quemlibet Episcopum potestatem gubernatiuam Ecclesiæ (hang

(hanc enim quanta quanta in Apostolis fuit, totam ordinariam fuisse dicas) non minorem habere intentionem quam habuit summus Apostolorum: sed l.i.c. 8. in 12. aperte dicas ex Christi precepto & instituto, curam Ecclesiae Petru multo magis quam ceteris esse demandatam, & Petrum ceteris auctoritate longe praececelluisse, non tamē ita, ut illa maieritas speciem variarit. Quid autem est maior potestas seu auctoritas in eadem specie, nisi maior potestas intensius? Igitur cum te auctore quilibet Episcopus non minorem habeat potestatem regiminiis quam Petrus habuit, Petrus autem, te concedente maiorem habuerit intensius, & in eadem specie quam ceteri habuerunt, sequitur euidenter ex tuis dictis quemlibet Episcopum habere, & te, cum non nisi Segnientis Antistes esses, habuisse maiorem potestatem intensius quam vilius habuerit Apostolorum excepto Petro.

31. Secundum vero, quemlibet Episcopum habere maiorem potestatem quam etiam Petrus habuerit ex tua successione sequi ostendo: Nam tuā sententia quilibet Episcopus plenissime succedit Apostolis omnibus in solidum quoad potestatem guberniūam Ecclesiae, ideoque potestate par est omnibus Apostolis in solidum; cum quilibet successor plene par sit decessori in ea te in qua illi plene succedit: sed Apostoli omnes in solidum seu in integrum, sunt ipsum solidum & integrum collegium Apostolorum: igitur quilibet Episcopus succedit plenissime solidō & integrō collegio Apostolorum. Iam subsumo ex tuis dictis, sed integrum collegium Apostolorum superius potestate Petro fuit, nam l.i.c. ii. n. ii. dicas Apostolos Petrum mississe Samaram: Vera autem missio, inquis, sine aliqua auctoritate mittenti super missum non potest intelligi. Et infra reuera, inquis, Ecclesia habet auctoritatem super singulare membrum, quale secundum te Petrus

Petrus fuit; igitur cum tuâ sententiâ quilibet Episcopus Apostolis omnibus in solidum , hoc est, vniuerso Apostolorum collegio , plenissimè succedat quoad potestatem gubernatiuam , collegium vero Apostolicum Petro superius autoritate dicas; euidentissime concluditur ex tuis dictis quemlibet Episcopum Petro potestate maiorem esse. Nescio an hæc tibi tanta potestas arrideat quâ Petrum superes , nemo sat scio, prudens est qui non eam rideat & sibilis excipiendam putet, vnaque plenissimam quam fingis cuiusuis Episcopi ab omnibus Apostolis in solidum successiōnem cuius tamen repetitione liber tuus in molem excruit.

ARTICVLVS IV.

An & quomodo Episcopi succedunt Apostoli propriæ?

EX dictis constat Episcopos neque quoad potesta-
32.
Etiam ordinis, neque quoad potestatem iurisdictionis vniuersalis , neque singulos omnibus in solidum proprie sucessisse. Inde autem infertur Episcopos ut Apostolis succedant propriè debere quoad iurisdictionem certis sedibus affixam singulos singulari aliqui Apostolo succedere, qui modus non ita facile inuenitur. Primo , quia non succeditur Apostolis nisi quoad potestatem quæ in Apostolis præcessit, non videtur autem potestas certæ sed affixa in Apostolis præfuisse. Secundo non succeditur nisi cedenti, at Episcopi fuerunt Apostolis in officio suo plenè remanentibus, igitur non in eorum locum subrogati sunt, nec eis propriè successerunt: Tertio successor & decessor potestatem habent eandem eodem iure, sed Apostoli potestatem habuerunt iure beneplaciti diuini, quo constituti Principes Ecclesiaz sunt Episcopi ex-

beneplacito Apostolico, potestatem suam primitus
habent; igitur non eodem iure quo Apostoli ecclesiam
gubernant. Denique successor decessori suo par est, sed
Episcopi pares Apostolis non fuerunt, sed Apostolis
subiecti; igitur propriè non successerunt Apostolis.

33. *Tul. 2.c. 5.n. 25.* refert sententiam Bellarmini. Ne-
Bell de Ro.] gat, inquis, *absolute Episcopos succedere Apostolis; nisi in-*
Pont. l. 4. *solo ordine sacro Episcopali & per solam similitudinem;* ut
a. 25. *sicut tunc sub Christo fuerunt Apostoli & Discipuli; nuna-*
sub Papa sint Episcopi & Presbyteri: & sicut Presbyteri
succedunt septuaginta duobus discipulis per solam similitu-
dinem, non in potestate, quam Presbyteralem discipuli non
habeant; ita sola similitudine Episcopos succedere Apo-
stolis, non potestate. Ita Bellarmini sententiam, refert, de-
inde subdis. At haec intolerabilia sunt. Nam enim pre-
biqui omnibus Apostolis in solidum in tota plenitudine pote-
statis succedere omnes Episcopos. & non minus plene supe-
di reliquis Apostolis quam Petro in solidum; sed Presbyteros
etiam Apostolis succedere vere & realiter probauit. Haec
tu; qui tuas probationes alibi tactas pro more tuo
iactas, quæ tamen nusquam inueniuntur, in locum
quo probes Presbyteros succedere septuaginta duobus
discipulis, ne citas quidem. Et quidem cum dicas Presby-
teros succedere discipulis vere & realiter, si nihil
aliud intelligas quam Presbyteros in officio simili, I
post Discipulos septuaginta vere & realiter extitisse,
nihil aliud dicas quam quod Bellarminus contendit
similitudine succedere, quam veram & reale fuisset
nunquam negavit. Sin autem hoc dicere vis officium
septuaginta illud ipsum non simile fuisset, ad presby-
teros translatum, nihil potuit falsius, nihil dictis tuis
repugnantius dici, ut statim ostendam. Deinde Bel-
larmini sententiam non fideliter refert, nunquam
enim negavit Episcopos Apostolis absolute succede-
re, (quomodo enim hoc diceret cum dicat contrariu-

esse commune Patrum pronuntiatum: ex eoq; probat lib. 1. de cle-
iuris dictio[n]em Episcopalem presbyterali prestatio[n]em esse iure diuino; sed negat proprię succedere, eo
modo inquit, quo v[er]nus Episcopus alteri & Rex alteri
succedit, hoc autem Bellarmini dictum tuum etiam
est, qui nullum Episcopum vis singulariter & proprię
alicui Apostolo succedere. Quare ut res tota clare ex-
plicetur, distinguendus est duplex status Apostolo-
rum, prior quem habebant Christo adhuc in terris
agente; Alter quem habebant post Christi resurre-
ctionem & ipso in cœlum sublatu[m].

PRIMA CONCLUSIO.

Apostolis quoad statūm quem habebant Christo 34.
in terris viuēte non succedunt Episcopi proprię. Hac
conclusionem optimē probat Bellarmintus. quia hec
Episcopi succedunt Duodecim, ita Presbyteri Septu-
aginta; sed presbyteri nō succedunt discipulis Septua-
ginta proprię, vt aliqui vni, alij alteri succedant, nec
habent eam potestatem nec illud officium quod se-
ptuaginta habuerunt; imo Septuaginta nullam pot-
estatem Ecclesiasticam tunc habuisse, dicere debes, si
tibi constare vis. Dicis enim potestatem Ecclesiasti-
cam omnem ab ordine p[re]dere, & vna cum ordine nec
aliter dari, cum ordine Episcopali Episcopalem, cum
Presbyterali Presbyteralem; sed Discipuli tunc non
erant ordinati Presbyteri nec a Christo ynqua ordi-
nati Presbyteri fuerunt; igitur nullā potestatē Eccle-
siasticā habuerunt, nedū in potestate Ecclesiastica suc-
cessores. Deinde dicas Apostolos ante Christi resurre-
ctionē potestatē Episcopalem nō habuisse, sed fuisse tā-
tū designatos & inchoatiū Episcopos: sed Episcopis
nō veris veri Episcopis nō possunt vere proprięq; suc-
cedere, igitur Apostolis secundū statū que Christo in ter-
ris agēte habebat nō succedunt Episcopi nisi similitu-
dine; vt sicut Apostoli immediate sub Christo super dis-
cipulos

306 MONARCHIAE ECCLESIASTICAE,
cipulos fuerunt, ita ipsi sub Romano Pontifice imme-
diate super Presbyteros sint.

SECUNDA CONCLUSIO.

35. Apostolos quoad secundum statum in quo erant Ecclesiae rectores sub Petro: habuisse qui propriè succederent ipsis, nimisrum Episcopos. Hec conclusio probatur testimonij Patrum, qui dicunt Episcopos in locum Apostolorum successisse, quod nunquam tam frequenter dicerent nisi propriè succederent Episcopi Apostolis. Secundo si non succedunt Episcopi Apostolis quoad iurisdictionem propriè, non possent probari diuino iure superiores Presbyteros quoad iurisdictionem. Nam ex successione duorum impropria & similitudinaria, æqualitas inter illos non recte concluditur; at Episcopi iure diuino superant iurisdictione Presbyteros, & hoc ex successione probatur ut omnes concedunt: ut autem modus huius successionis declaretur, sic

TERTIA CONCLUSIO.

36. Fuit in Apostolis potestas propria Episcopalis ab Apostolicâ vniuersali distincta. Conclusio probatur suppositis quibusdam principijs certissimis. Primum est regimen à Christo institutum postulare ut Ecclesia vniuersalis in plures partiales diuidatur, & singulis Ecclesijs singuli Episcopi præsint; ita ut Ecclesia Episcopatus unus sit, & à singulis Episcopis pars illius in solidum teneatur, copiosumque sit corpus Sacerdotum concordia glutino copulatum. Secundum est, Apostolos obligatos diuino iure fuisse in gentibus, quas conuertebant, Ecclesias fundare, hoc est, Episcopales curas varias & distinctas instituere & singulis singulos Pastores, qui eos tanquam veri Principes regerent, prouidere. Nam Christum istiusmodi regimen instituisse

dixi-

diximus: Apostoli autem regimen, quod Christus ordinavit ac præcepit, plantare debebant, & sine dubio illud Ecclesiæ tradiderunt. Tertium est, cum initio nascentis Ecclesiæ idonei Ministri pro singulis Ecclesijs non suppeterent, obligatos fuisse Apostolos qui Ecclesijs fundauerunt, præter vniuersalem curam, quam cunctis debebant Ecclesijs, propriam & singularem curam pastoralem impendere illis Ecclesijs, quibus neandum proprium Pastorem & Episcopum prouidissent. Probatur, quia Christus suâ institutio-ne exigebat, ut singularum Ecclesiarum singularis cura ac propria haberetur, non tantum vna communis omnium: nulli autem alij ab initio prædicationis Euangelij erant, qui singulis Ecclesijs hanc singularem & propriam curam impenderent, nisi Apostoli carum fundatores. Igitur tenebantur Apostoli non solum generalem curam gerere Ecclesiæ; sed etiam quantum poterant, singularem curam pastoralem impendere Ecclesijs à se fundatis, quæ pastorem non haberent, tantisper donec idoneos Ministros inuenirent, quibus eam curam tanquam propriam resignarent: atque adeo in Apostolis præter curam generalem Apostolicam propria cura Episcopalis, imo in uno Apostolo multæ curæ pastorales propriæ & distinctæ erant.

Secundo probatur conclusio ex verbis Christi Domini Matt. 28. v. 19. ad Apostolos; *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus-Sancti, docentes eos seruare omnia, quæcumque mandauis vobis: & ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem facili.* In his verbis mandatur Apostolis duplex munus docendi: Vnum erga gentes infideles, vt excurrentes eas docerent, donec omnes conuersæ & baptismo tintæ essent. Hoc officium temporaneum fuit & extraordinarium, quod cum ipsis Apostolis

stolis exspirauit, capite quarto probabimus. Alterum munus doctoris hoc loco mandatur Apostolis erga gentes iam Christianas, nimirum ut postquam eas baptizassem, non eas desererent, sed perseveraret do-centes omnia, que cunq; mādasset i p̄fis Christus; quod munus ordinarium & perpetuum Ecclesiae esse debuit. Nam necessitas huius officij in Ecclesia semper futura erat: nunquā enim defuturæ erant gentes Christianæ pastoris & doctoris indigæ, à quo regeretur & erudirentur in obseruatione mandatorum Christi. Munus autem cuius usus ordinarius & perpetuu in Ecclesia est, ordinarium & perpetuum esse debet. Deinde Christus dicit se cum Apostolis docentibus gentes Christianas futurum usq; ad consummationē s̄culi. Igitur Apostoli in munere docendi & pascendi gentes Christianas; id est, Ecclesiam, perseverare debuerunt usq; ad consummationē s̄culi. Quomodo enim Christus cum Apostolis fungentibus hoc munere futurus erat usq; ad consummationē s̄culi, nisi ipsi Apostoli fungentes munere hoc loco instituto perseueraret usq; ad consummationē? Sed Apostoli in proprijs personis non vixerunt usq; ad consummationē s̄culi fungentes munere Doctorū. Ergo munus hoc docendi gentes Christianas hoc loco institutū perseverare debuit in Apostolis, qui viuunt & docent Ecclesiā in successorib⁹ suis; atq; in hoc munere docēdi, quod Christus per se ipsum instituit, successores Apostoli perpetuos habere debent.

Hoc autem munus docendi ordinarium, hoc loco in Apostolis institutum non fuit vagum & vniuersale; sed ut Ecclesia, suā praxi declarauit, munus certum & fixū, ita ut gente Christianā in varias Ecclesias & partiales greges diuisā, singulis proprijs Doctores & pastores præficaretur. Igitur Christus hoc loco mandat Apostolis ut singularum Ecclesiarū singularē curam &

ram & propriam gerant, proprios pastores ipsis dādo,
interim munus illud proprium pastoris vnius & fixi,
ipsi quantum poterant in tanta paucitate supplerent.

QVARTA CONCLVSIQ.

Episcopi proprie succedunt Apostolis, quoad curam particulariū Ecclesiarū, quas fundauerunt. Patet ex superiorē cōclusione. Nam singulis Apostolis, qui regiones amplas ad Christū conuerterunt, erant plures & distinctæ Episcopales curæ pro numero Ecclesiarū quas fundarūt. Paulus. v.g. præter generalē curā omnium Ecclesiarum gerebat propriam pastoralem curā illarū Ecclesiarum quæ pastore carebāt, vñā Corynthi, alterā Thessalonicæ, tertiā Cretæ. igitur cum creauit Episcopum Corynthi, propriā & particulare curam Ecclesiæ Corynthiacæ illi Episcopo cessit, in eaq; non in tota potestate Apostolica successorē suū illum fecit. Similiter cū Titū creauit Episcopū Cretę, curam propriam illius Ecclesiæ, non totius orbis illi tradidit & à se abdicauit, ita vt quoad Episcopatum. Cretæ Titus Pauli succellor fuerit, & ita de cæteris. Nec iam difficile erit intelligere, quā ratione, quoad regimen Ecclesiæ tot Episcopi singuli singulis Apostolis propriè successerunt, nō nulli Petro, alij Paulo, quidā vel Ioanni vel Iacobo; nō vñus sed plurimi vnicuiq;, nā plures Episcopales curas singuli Apostoli habuerunt & in singulis singulos successores Ecclesiæ reliquerūt. Hoc ita cōtigisse ex tuis dictis probo, qui totū hoc dicis, quāvis hoc te dicere fortassis nūquam aduerteris. Nā l.2.c.3.n.46. dicis Apostolos initio Episcopos in singulis Ecclesijs nō ordinasse, sed sibi Episcopale potestatē reseruasse, p̄sertim quoad Ecclesiās ālē nō nimiū remotas tādē tamē propter schismata & seditiones, iā caperūt (inquis) vñū in unaquaq;, Ecclesia p̄fīm verū Episcopū cū totā apostolicā ordinaria, hoc est, Episcopali authoritate, ordinare, suaq; Ecclesia p̄fīcere, eiq;

310 MONARCHIAE ECCLESIASTICAE,
illam quam sibi solis referuare solebant, authoritatem com-
municare, ut solus primi ordinis Minister absolute praeset;
nunquam tamen a se abdicat a propriâ Apostolicâ authori-
tate, quin adhuc possent illum Episcopum instruere, monere,
corripere. Hæc tu: quibus verbis hanc ipsam ponis no-
biscum successionem Episcoporum ab Apostolis sin-
gulis quoad dicecetes limitatas. Nam primo ponis in
in vnoquoque duplē potestatē distinctam; v-
nam ordinariam propriè Episcopalem, alteram ex-
traordinariam propriè Apostolicam. Probatur: pot-
estates quarum vna communicari potest alterâ non
communicatâ, distinctæ sunt: sed Apostolus, quando
creabat Episcopum, v. g. Corynthi, communicabat
illi Episcopo potestatē propriè Episcopalem, quam
prius sibi referuabat, & tamen potestatē extraordi-
nariam propriè Apostolicam a se non abdicabat, nec
Episcopo Corynthi communicabat: Igitur erat in A-
postolis duplex potestas distincta, vna Episcopalis
propriè, altera Apostolica propria; illa ordinaria, hæc
extraordinaria; illam creando Episcopos communi-
cabant, hanc a se nunquam transferebant. Secundò
facis Episcopos non succedere Apostolis quoad au-
thoritatem vniuersalem, secundum quam Apostoli
corripere Episcopos poterant, deponere, & nouos
si necesse esset subrogare. Hoc probo, quia Episcopus
non succedebat Apostolo, nisi quoad potestatē,
quam Apostolus illi cedebat & communicabat, sed
Apostolus (vt tu dicis) nunquam se abdicabat autho-
ritate propriè Apostolicâ; sed sibi eam referuabat, qua
instruere & corripere poterat Episcopum. Igitur E-
piscopi authoritatem quâ corripere Episcopos delin-
quentes possunt non habent per successionem ab A-
postolis. Vnde igitur ius illud Episcopos omnes cor-
ripiendi, etiam Romanum, quod tibi arrogas, habeas?
Illud iure diuino non habes, quia omnem iurisdictio-
nem,

34

nem, quæ diuinii iuris est, habet Ecclesia per successionem ab Apostolis. Sed hanc iurisdictionem Apostoli non communicabant, sed sibi semper reseruabant, & ideo per successionem ab illis haberi non potest. Certè hæc tua authoritas in Episcopos mera est ineptia, nisi fortasse nihil aliud quam ius charitatis fraternæ intelligas, quo quilibet Christianus corripere fratrem delinquentem, etiam Episcopum & Episcoporum Principem potest. Quam correptionem quoniam Episcopus Episcopo decentius & ferè utilius impendere potest, ideo præceptum corripiendi Episcopum delinquentem præcipue Episcopis incumbit. Tertio facis Episcopum succedere Apostolis, quoad diœcesim certam & limitatam. Probatur, quia Episcopus non succedit apostolo, nisi quoad potestatem, quam illi apostolus communicabat, cum eam sibi prius reseruasset. Sed apostolus quando creauit Episcopum Corinthi, non communicabat illi potestatem propriè apostolicam vniuersalem, hanc enim sibi semper reseruabat: sed meram propriam curam Ecclesiæ Corinthiacæ, quâ solâ creando Episcopum Corinthi se exonerabat. Igitur Episcopus apostolo non succedit, nisi quoad certam diœcesim, & fixam vnius Ecclesiæ curam.

Sed contra hunc modum successione obijci potest, quod omnes Episcopi hoc modo non possunt esse successores apostolorum, quia non omnes regunt Ecclesias, quarum primam curam apostoli habuerunt. Primo enim discipuli apostolorum Episcopi fuerunt in Ecclesijs, quas non apostoli, sed ipsimet primum ad fidem conuerterunt. Ita Marcus Alexandrinam Ecclesiam fundavit, illiusque primus Episcopus fuit. Quomodo igitur Marcus in cura pastorali Ecclesiæ Alexandrinæ Petro successit, cum Petrus in sua personâ Ecclesiæ alexandrinæ fortassis nūquām

Episcopus fuerit? Secundò multi Episcopatus post Apostolorum sœcula fundati & instituti sunt. Quomodo illarum sedium Episcopi dicentur Apostolis succedere in illis sedibus, quas Apostoli nunquam, ut Episcopi, rexerunt? Respondeo negando sequi ex nostra successione, omnes Episcopos non propriè succedere Apostolis: nec enim ullus est Episcopus, qui non vel Apostolo vel Apostolorū successori succedat. Ad primā instantiam dico, posse aliquem à se trāsferre in alterum nō solum rem, quam de facto habet, sed etiā quam habiturus fuisset nisi ea alteri anticipata cessione concessisset. Hoc modo frater natu maior minori cedere potest paternā hereditatem, quā nondū habet, sed mortuo Patre habiturus sit. Hac ratione Apostoli in discipulos, quos ad fundandas Ecclesias iam factos Episcopos mittebant, anticipatā cessione transferebant ius regiminis quod in illas propriūm habituri fuissent, nisi prius illud à se transtulissent. Nam Alexandrinæ conuersæ ad Christum à Marco Petri discipulo Petrus iure diuino proprius Pastor fuisset, nisi prius hoc regimen Alexandrinæ Ecclesie propriūm à se transtulisset; dū Marcum priusquā eum mitteret, Episcopum Alexandrinum ordinavit, vt quam primum illa conuersa ad Christū & Episcopi capax esset, ille statim propriam pastoralem curam illius gereret. Quare ius diuinum proprij Episcopi quod Petrus habuisset nisi prius illud transtulisset in Marcum, Marcus habuit & illud ad posteros propagauit, atq; adeo nō omnibus Apostolis in solidū, sed Petro singulatiter quoad regimen certæ Ecclesie affixum successit.

40. cor. Ad secundam instantiam dico, Primos Episcopos nouarum sedium in illis succedere summo Pontifici, summū vero pontificem à Petro successione habere, Episcopales curas singulas diuinitus institutas, à quo velut à fonte in Episcopos deriuantur. ostendens enim

enim infra c. 5. ar. 3. summum Pontificem omnium Ecclesiarum vacantium tantisper dum proprio Episcopo carent, propriam pastoralem curam diuino iure gerere debere, similiter etiam regionum nouiter ad fidem conuersarum: Quando vero Episcopum his Ecclesijs attribuit, propriâ curâ illius Ecclesiæ seexonerat, & in Electum à se Episcopum transfert, ut infra sussus ostendam.

Ex his soluuntur rationes, quæ initio huius articuli propositæ sunt cōtra successionē Episcoporū ab Apostolis propriè dictā. Nā prima falsū assūmit, potestatē cesslæ sedi affixā in Apostolis non fuisse; secunda etiā falsū supponit, Apostolos viuentes nihil cessisse Episcopis, cesserūt enim illis regimē Ecclesiarū particula- riū, quāvis vniuersale sibi semper reseruarint. Tertia nō distinguit beneplacitū potestatis institutiū à trāslatiō: Episcopi potestatē habuerūt Apostolico beneplacito nō potestatē Episcopalē instituente, sed institutā diuinitus ad has personas trāsferēte. Quarta probat Episcopos non succedere Apostolis in regimē Ecclesiæ vniuersalis, sed tantum in particulariū cura, atque adeo non fuerunt Apostolis pares, sed iplis ut Ecclesiæ vniuersalis Rectoribus subiecti.

CAPUT TERTIUM;

Romanum Episcopum Petro propriè succedere.

EX dictis constat Episcopos singulos singulari ali- 1.
Ecui Apostolo succedere, iam supereft inquirendum; quis propriè Petro cæterorum principi, Ecclesiæque Monarchæ successerit. In qua quæstione hoc primum annotare libet, quod etiamsi Petrus nunquam Romę fuisset, tamē Romanū Pontificē Petro succedere potuisse, quia christus instituere potuit, ut romanus Episcopus in Monarchia Petro succederet ubi- cunque

314 MONARCHIAE ECCLESIASTICAE,
cunque tandem ille moreretur: vel si Christus hoc
Petri arbitrio permisit, potuit Petrus ipse præcipere
& ordinare, ut sibi Hierosolymis vel Antiochiæ de-
functo, nullus tamen nisi Romanus Episcopus suo
loco totius Ecclesiæ summus pastor & princeps esset.
Hinc patet, quam sint tui, & hereticorum patrum
tuorum inepti labores, qui Petrum vel Romanum non
venisse, vel Romanæ Ecclesiæ Episcopum non existi-
tisse contendunt, contra Patres antiquos & famam o-
mnium celeberrimam, cum tamen nihil inde eorum
causa promoueatur. Esto enim Petrus nunquam Roma
fuerit, tamē cum fide Catholica credendum sit, Christi
regimen vnius summi Principis in Petro institutu-
se ut ostendimus; & posita Petri Monarchia cum suc-
cessorem ad finem usq; mundi perpetuum habere tu-
fatearis: cum deniq; dubium esse non possit, si conce-
datur unus Episcopus summus omniū Princeps, quin
sit ille Romanus; profectò ad fidem Catholicam per-
tinebit Romanum Episcopum summum totius Ec-
clesiæ Principem esse & Petro succedere etiamsi Pe-
trus Romæ nunquam fuisset. Nihilominus magnâ vel
insciâ vel impudentia negatur Petrum Romæ Epis-
copum fuisse, ibique mortuum esse.

PROPOSITVR TERTIUM M. ANTONII
FUNDAMENTVM.

Petrum nullius certa Ecclesia, nedum Romana
Episcopum fuisse vel esse po-
tuisse.

2. **H**oc millies repetis & varijs argumentis, sed ine-
ptissimis probas. Primo nulla Ecclesia tempore
Apostolorum habuit certum & fixum Episcopum,
igitur nec Romana Petrum. Secundo Petrus Aposto-
lus fuit & debuit excurrere; igitur non potuit certa
sedi alligari. Tertio nullus actu Episcopus est nisi ubi
& quan-

& quando laborat & ministrat. Sed Petrus si Romana Ecclesiæ se alligauit, in vniuerlo mundo laborare & ministrare non potuit; igitur totius Ecclesiæ princeps esse non potuit. Quarto. Non Petrus sed Paulus Ecclesiam Romanam fundauit, atque adeo non Petro sed Paulo verius quam Petro Romanus Pontifex succedit. Quinto. Si Petrus Romæ prædicauit ante Paulum, hoc fecit secundo Claudi anno secundum communem sententiam, at hæc sententia sacræ scripturæ repugnat. Sexto. Successio Romani Pontificis in Monarchia Petri, vel oritur ex solo facto Petri quia ibi mortuus est Episcopus: vel ex intentione & voluntate Petri qui voluit Romanum post se esse Ecclesiæ Monarcham nō ex solo facto, quia tunc si mortuus fuisset in pago, pastor illius pagi fuisset Ecclesiæ Monarcha: non ex voluntate & institutione Petri, quia de tali constat. Igitur nullo modo Petro succedit in Ecclesiæ Monarchia.

Hoc Antonij fundamentum ex eius dictis evicitur.

Contra hoc tuum fundamentum septem statuo
Conclusiones ex tuis dictis probandas.

ARTICVLVS PRIMVS.

*Vnius Ecclesia vnum tantum proprium Episcopum
fuisse tempore Apostolorum.*

Dico primo, tempore Apostolorum Ecclesiæ particularès à singulis Episcopis regebatur. Contrarium dicis l. 4. c. 6 n. 2. Si tempore Apostolorum nulla Ecclesia habebat vnum solum suum proprium & specialel desixum Episcopum, sed à pluribus principiis quaque cum Episcopo cum Presbyteru in solidum regebantur, & præsertim Romana ut plene docet lib. 2. c. 3. Et Apostoli simul cum Episcopo

piscopis & Presbyteris Ecclesiæ gubernabant, quomodo
potest unus Episcopus se unius duntaxat specialis Apostoli
successorem dicere? Hic asseris præcipuas Ecclesiæ
tempore Apostolorum à pluribus Episcopis gubernatas
fuisse. Secundò nullam Ecclesiam vnum certum
& fixum Episcopum habuisse. Tertiò dicis te lib. 2. c.
3. hoc ostendisse. Sed incredibilis est oscitantia & ve-
cordia tua. illo enim ipso libro & capite contrariū hō
solum affirmas sed etiam fusè probas. Numero 12.
sic scribis. Episcopos porrò veros & proprios, qui videlicet
SINGULI suis Ecclesiis præfessent, eodem modo, quo nunc
qui legitimè præfunt, fuisse adhuc Apostolorum tempore,
non modo ex iam dictis probamus; sed etiam ex eo quod 10.
annes Euangelista ad Angelos SINGULOS SINGULA-
RVM Ecclesiarum Asia suas increpationes & prophetias
destinavit, nimilum ut communis est sententia ad eam
Episcopos. Erant igitur tempore Apostolorum singuli. E-
piscopi in singulis Ecclesiis, quijs præfessent. Item num.
45. caperunt, inquis, Apostoli vnum in unaquaque Ec-
clesia verum Episcopum, cum tota Apostolica ordinaria,
hoc est, Episcopali auctoritate ordinare, suæque Ecclesiæ
preficere. & num. 46. impugnans dictum Hierony-
mi, qui dicit (vt tu eum exponis) diuino iure Epis-
copum non esse superiorem Presbytero, sed in to-
to orbe decretum fuisse vt unus de Presbyteris E-
lectus superponeretur cæteris: Vbinam, quæso (inquis)
& à quibus. & quando factum est hoc decretum, si viuenti-
bus adhuc Apostolis Episcopi, tanquam presbyteris ordina-
tione superiores singulis Ecclesiis singuli preficiebantur?
Hæc tu, & talia plura lib. 2. c. 3. quo tamen loco dicis
te demonstrasse, nullam Ecclesiam tempore Aposto-
lorum habuisse vnum certum Episcopum, sed præci-
puas non à singulis sed à pluribus gubernatas.

4. Secundò, vnius Ecclesiæ particularis vnum tantum
fuisse Episcopum tempore Apostolorum probatur.
quia

quia ius diuinum & Christi institutio postulat, vt vna Ecclesia vnum certum habeat Episcopum, nec à pluribus pari potestate præditis regatur. Sed Apostoli sine dubio seruarunt ius diuinum & Christi institutionem Igitur in singulis Ecclesijs singulos Episcpos, non plures ordinabat. Maior propositio à te tuo more asseritur & negatur. Negatur l.2.c.5 n.37. *Iuris*, inquis, Ecclesiastici positum est, vt unus vni preficiatur Ecclesia. & codem lib. c. 9. n. 15. *Sola videtur ex predictu Ecclesiastica lex & consuetudo*, vt unus in vna Ecclesia ordinariè sit constituendus. Afferitur vero à te lib. 1. cap. 12. num. 20. in vna Ecclesia, inquis, vni Episcopo subduntur Parochi & illius Ecclesia Ministri iure diuino. & lib. 3. cap. 1. num. 14. dicit Cyprianum diuinam institutionem referre, cum dicit: *singulis pastoribus portio gregi est ascripta, quam regat unusquisque & gubernet.* Portio gregis quid aliud est, nisi Ecclesia particularis? sed portiones gregis, ex diuina institutione te fidente, debent à singulis, non à pluribus regi. & lib. 4. c. 10. num. 74. cum dicit Cyprianus secundum magisteria diuina & disciplinam Magistri cœlestis ynum in Ecclesia loco Christi Sacerdotem & vnum iudicem esse debere, cui fraternitas yniuersa obediatur, dicit Cyprianum de Ecclesia particulari loqui. Igitur secundum disciplinam & institutionem Christi, unus tantum Episcopus vni particulari Ecclesie prefici debet, Deniq; l.2.c.9.n.14. sic scribis. Ignor quod & Christus & Apostoli necessarium agnoverunt, vt ostendi cap. 3. vt in una quaq; Ecclesia duplex esset gradus ministerialis sed perfectè colligatus, vt communis consilio illa gubernaretur unus tandem præfasset, id postea Patres & Ecclesia sapis commendarunt, sanxerunt, promouerunt. Hac tu: à quo quaro. Si Christus regimen ynius in vna Ecclesia necessarium agnouit, vel hanc suam mentem manifestauit Ecclesia, vel non manifestauit? Si non manifestauit,

uit, vnde eam tu nosti? quis te Christi consiliarium
& καρδιογνώσκω constituit? Si vel verbis vel factis
manifestauit Ecclesiae se iudicare regimen vnius in
vna Ecclesia necessarium esse, quis dubitat Ecclesiæ
iure diuino ad illud regimen teneri? mens enim illa
Christi, regimen vnius, non vt optimum consulentis,
sed vt necessarium iudicantis lex Ecclesiæ est, à qua
fas non est eam discedere.

5. Vbi igitur, Antoni, cor tuum, vbi mens erat? qui
postquam dixisses Christum regimen vnius in vna
Ecclesia Episcopi necessarium agnouisse, statim sub-
dis: Neg, tamen fuit tanta religio priscis illis Sanctis Epis-
copis, socum sibi interdum adsciscere aliquem ex suarum
Ecclesiarum presbyteris, qui & ipse tum iurisdictione, &
ordine, vñq; pleno Episcopalis propriæ potestatis simul esset
& diceretur Episcopus. Hæc tu. more tuo temere & in-
consideratè; imd etiam impie siquid diceres intelli-
geres. Nam si Christus agnouit necessarium esse ve-
nii Ecclesiæ vñus Episcopus præset, qui solus ha-
beret plenam & supremam illius gubernationem,
quomodo Sanctos dicis Episcopos qui Christi decre-
tum neglexerunt, & qui contra Christi mentem in
Ecclesia duos constituerunt Episcopos, vtrumq; cum
summa iurisdictione & pleno illius vsu? Audi quantā
impietate ibidem ipsos excuses his verbis: *Qui a com-
munitas illa regendi simul cum Presbyteris pene Ariftuctat-
tice, placuit priscis SS. Patribus, qui sibi licere merito arbi-
trabantur, pro bono paci tanti sperat tali vſu recedere. Quia
non ponderas, Antoni, tua verba, blasphemas. Nam
meritò licere dicis, quod Christus prohibuit. Sanctos
appellas, quos Christo è diametro opponis.
Christum dicis agnouisse formam regiminis monar-
chicam, qua vñus vni Ecclesiæ particulari suprema
cum potestate præsit, optimam Ecclesiæ suæ imo ne-
cessariam iudicasse. dicis priscos Patres contraria
mentis*

mentis fuisse; nimirum illis regimen Aristocraticum vel penè Aristocraticum præ Monarchico placuisse, & ita placuisse, ut regimine, quod Christus Ecclesiæ necessarium ostendit, tantisper relegato suum inuexerint. Quomodo Sancti si Christi mentem de necessitate vnius in una Ecclesia supremi Principis reveriti non sint? Non fuit (inquis) illa tantæ religio. igitur cur eorum factum laudas si religione caruit? Vtinam, Antoni, quantum Patribus fuit religionis; tantum tibi cordis esset, cuius si vel modicum haberes nunquam ita scriberes, nunquam Ecclesiam Catholicam deseruisses, vt hæc absurdæ & absconda euulgares.

Neque exempla, quæ ibid. l. 2. c. 9. n. 15. adducis.

plurium in una Ecclesia Episcoporum vlliis momenti sunt ad probandum priscos Patres à Christi mente & institutione deflexisse. Nam sunt exempla primò plurium in una Ecclesia Episcoporum, quorum unus tantum verus, legitimus & Catholicus erat, reliqui hæretici, & ideo Episcopi quoad cathedram seu iurisdictionem non erant: quo modo Romæ tempore Concilij Niceni præter Siluestrum fuit alter Episcopus Nouatianorum & alter Donatistarum, quod tu exemplum plurium in una Ecclesia verorum Episcoporum cum plena iurisdictione & amplissima Vrges. Secundò sunt exempla plurium in una Ecclesia Episcoporum tempore schismatis, ita duo

Episcopi erant Meletius & Paulinus Antiochiae, in quo etiam iustas. Tertio sunt exempla vnius Episcopatus diuili in duos & diuas Ecclesijs singuli præessent

Episcopi. Ita, ne Donatistæ metu amittendi Episcopatus à fide & pace Catholica deterrentur, Catholicæ Patres Africani obtulerunt ipsis si cederent, se velle Episcopatus in duos diuidere, ita ut Donatistæ

Baron. tom.

An. 362.

p. 202.

Augu. Bre-
nic. coll. I.

320 MONARCHIAE ECCLESIASTICAE,
conuersi etiam Episcopi manerent. Denique sunt exempla duorum in una Ecclesia Episcoporum cum subordinatione vnius ad alterum, ita ut unus tantum, quoad iurisdictionem Episcopalem Episcopus esset, alter vero non nisi vicariam iurisdictionem haberet a principis Episcopi voluntate dependentem. Ita

*Paulin. a.
pud Augu.
epist. 36.
Nazianze.
in carm. de
vita sua.*

Augustinus sub Valerio Hippone, Gregorius filius sub Gregorio patre Nazianzeni & alij similes. Igitur, cum te fatente, vnius in una Ecclesia Episcopi necessitatem Christus agnoverit, hanq; necessitatem Apostolis indicauerit, mihi duo certissima sunt. Primo, Sanctos Apostolos tantæ religionis suisse, ut Christi menti se se accommodauerint, & in singulis Ecclesijs quas fundarant, singulos Episcopos ordinauerint. Secundo, tempore Apostolorum singulas Ecclesias non a pluribus sed ab uno certo Episcopo gubernatas fuissent; & ideo hoc non obstare, quin Petrus unus certæ Ecclesiæ Romanae Episcopus esse potuerit.

ARTICULUS II.

An Apostolus esse posset certa Sedis Episcopus.

7. **D**ico secundò. Officium Apostolatus non impedit, quin Petrus potuerit certæ sedis Episcopus esse. Hanc conclusionem negas & asseris. Negas 1.4. ic. 6.n. 17. ubi Bellarmino affirmanti expediens suisse, ut Petrus Romanam sedem tandem sibi fixam & propriam haberet, respödes. *N*nde scis optime Bellarmine preti mentem suisse iam penitus se Roma alligare? cedere ergo solebat Apostolatui ynuersali; iam fessus in orbe per agrando otio debuit torpere. *S*iquidem Choropiscops iam habebat tres insignes Linum, Cletum, Clementem, qui ad Romanam Ecclesiam regendam erant sufficiens, ac proinde statu-

SACRA LIBER SECUNDVS ANOM 321
erat genio indulgere & officium suscepsum consternando
mundi defere. Et tandem concludis. Certe si Roma Pe-
trus non fuisset Martyris coronatus, sed liber exstisset, be-
nefundata & stabilita Romanæ Ecclesiæ, eaq; Clementi &
socijs commendata, ad conversionem infidelium sine dubio
properasset. Quod vero mortuus sit Roma, merum accidens
fuit. Hæc tu: quam fidenter! imo vel in Petrum vel
in Bellarminum petulanter; & tamen ea recordia es,
vt hanc Bellarmini sententiam, quam nunc ita rideas,
alio loco clarissime alleras, nimirum Petrum setan-
dem Romanæ Ecclesiæ non modo alligasse, sed et
iam, vt tuo verbo utar, mancipasse. Dicis enim offi-
cium excurrendi & peregrinandi incubuisse Christi
ministris, donec Euangelium per omnes gentes di-
uulgaretur; hac autem promulgatione facta Aposto-
los in Ecclesijs iam fundatis regendis potius occupari
debuisse, quam in nouis erigendis. ita l.2 c.7. n.4. feri-
bis. illato in omnes orbis partes Euangeliexcursus non e-
rat necessarius, sed iam vniuersis Episcopo erat circa propriam
Ecclesiast laborandum. Hic dicis Episcopos illato per
orbem Euangeli non amplius excupire, sed certis
Ecclesijs affigi debuisse. Dicis: te loqui de Episcopis
non de Apostolis. Imo vero etiam de Apostolis lo-
queris. nam ib.n.3. hæc habes. Initio quoq; excursus A-
postolorum & virorum apostolicorum, quamvis supererant
regiones in quibus prædicatur non dum esset Euangeliū,
fuit necessarius: postquam autem in omnem terram exiuit
sonus eorum, & in fines orbis terra verba eorum, peregrina-
tio hac Apostolica non fuit adeo necessaria, nisi ad melius
confirmandas nouellas Ecclesiæ &c. id est Ioannes tandem
substitit Ephesi, Petrus & Paulus Rome, & alijs alibi. Hæc
tu. Hic aperte dicis Apostolos cū vidissent Euangeliū
toto orbe diffusum nō amplius excurrere voluisse, sed
certas sedes elegisse, in quibus tandem & finaliter sub-
sisteret: Petrum vere in hac cōmuni sediūm Aposto-

licarum electione Romam cæteris prætulisse. quod adhuc apertius dicis lib. 4. cap. i. nu. 8. Mibi (inquis) dubium non est, quin Petrus viso fructu magno, qui ex cultura Romana Ecclesiæ sperabatur, sese eidem Ecclesiæ sponte tandem occasione debellandi Simonis Magi manciparit. Quid clarius? Si Petrus præ cæteris Romanam voluit excolere Ecclesiam, & hac mente se Romanæ Ecclesiæ tandem & vltimò manciparit, cum videret excursionem non esse necessariam, quis non videt Petrum se Romanæ Ecclesiæ usque ad finem vitæ deuouisse?

8. Hinc sequitur quām temerè dixeris, Petrum nisi Martyrio antè coronatus fuisset Romam relieturum fuisse & ad conuersationem infidelium proculdubio properaturum. Proculdubio, Antoni? quis hoc tibi reuelauit? qui tibi tam certò hoc constat; cùm, te factente, Euangelij promulgandi causā vt excurreret nulla necessitas esset? Ad quas autem regiones Petrus se Româ relictâ contulisset? ad regiones in quibus Euangelium non erat auditum? at dicis in mundo nullas tunc fuisse. Ad regiones Christi fidei tinetas, sed neandum plenè integreque conuersas? Si tales quærebat Petrus, non erat cur Romam relinquaret, quæ proptermodum infinitas hominum myriadas continebat, quibus omnibus conuertendis, nec quidem longissima Petri vita sufficeret. Cuius enim (vt verbis Leonis utar) nationis homines in illa vrbe non essent, aut quæ usquam gentes ignorarent, quod Roma didicisset? ibi conculcande Philosophia opiniones; ibi dissoluenda terrena sapientia vanitates; ibi confutandi dæmonum cultas; ibi omniam sacrificiorum impietas destruenda, ubi diligentissimè superstitione habebatur congestum, quidquid usquam fuerat vanis erroribus institutum. Hæc Leo: quibus ostendit, quantos Romæ labores Petrus subierit; & te securum esse iubet, qui pro tua in Apostolorum Principem

*Leo de na-
zali Aposto-
lorum Petri
& Pauli
ser. I.*

ipem, traditā tibi scilicet diuinitus curā valde metuis, ne, si cum tribus Chorepiscopis Romæ sedem figat, torpeat otio, genio indulget, tuique similis piger & vastus venter euadat.

ARTICVLVS III.

*An Apostolus sit Episcopus tantum ubi actu est
& laborat?*

Dico tertio. Potuit Petrus Romæ manens totius Ecclesiæ supremam curam gerere. Hanc conclusionem etiam negas & asseris. Negas lib. i. cap. 6. num. 17. *Apostolatus sanè officium (inquis) non erat, sed eum Episcopis per mundum imperare Ecclesiæ quo mittere solia imperijs & oraculis ac per nuncios & adiutores regere: sic enim potuisset initio Petrus, si Papa erat, unam sedem sibi eligere, puta Hierosolymitanam vel Antiochenam, vel Romanam & inde iura dicere: hoc tamen cum toto suo Papatu non fecit; sed agnouit Apostolatum suum ibi tantum in actum exire potuisse, & munus Apostolini cum implere, ubi actu ipso prædicando, Euangelizando, sacra impertiendo laborabat. Seclude actualem & personalem laborem, nemo est Apostolus, nemo Episcopus.* Hæc tu ibi: sed lib. x. cap. 7. num. 6. dicas aperte contrarium de Cypriano sic scribens. *Cyprianus curam suam in universalem Ecclesiam asseruit & exercuit, & in eo Romano Pontifici se exæquauit, de quo hec habet Nazianz. Non enim Carthaginem Ecclesia præsedidit soli seu Africa, sed etiam Hesperia vniuersæ, imo Orienti ferè ipsi ad finem usque Meridiei & Septentrionis. addis Hispanos Episcopos ad Cyprianum tanquam ad oraculum configisse, & inde concludis iurisdictionem Cypriani non limitatam, sed totius Ecclesiæ oraculum fuisse; nec tantum ex charitate & aliorum delatione, sed etiam ex officio*

diuinitus illi commisso. Nec iam quæro quām sint
hæc vera, sed vide inconstantiam tuam. Si Cyprianus
toti Ecclesiæ præsedidit, actu Episcopus fuit vniuersi
orbis. Nam præsidere est actu Episcopum esse; præser-
tim cum addas etiam, vniuersalem curam exercuisse. Igi-
tur qui verum Apostolatus seu Episcopatus officium
ibi tantum in actu exire, vbi Apostolus vel Episco-
pus est. Si potuit Cyprianus Carthagine sedere, Ec-
clesiam vniuersam legibus & oraculis gubernare, cur
dicis ex cathedrâ suâ seu sede Romana hoc Petrum
minimè potuisse?

20. Quod autem obijcis Petrum, si potuit ex eelsa a-
liqua sede Ecclesiam gubernare, hoc statim ab ini-
tio facturum fuisse, incepsum est. Nam Petrus prius
debuit cum cæteris Apostolis Euangelium præ-
dicare, & Ecclesiæ vbiique erigere, priusquam ex
vnâ sede vniuersas gubernaret. Ratio est, quia Apo-
lorum & Episcoporum est, officium præcipuum &
maximè difficile subire, leuiora vero ac faciliora
ministris inferioribus delegare; vnde Apostoli vix-
aut raro Sacra menta iam credentibus ministrabant,
sed hoc officium, quamvis magnum ut facile suis
socijs relinquebant; adeò vt Paulus, qui tamdu Corinthe
mansit, & Corinthiorum Apostolus fuit, te-
stetur se neminem prorsus Corinthi baptizasse, præ-
ter Crispum & Caium & Stephanæ dominum; Euange-
lium quidem gentibus ipsi prædicabant; hoc enim e-
rat initio opus omnium maximum & difficillimum,
quo munere qui tunc fungerentur esse debebant in-
strucci singularibus gratijs, præsertim plenitudine sci-
entiarum, dono linguarum & gratia miraculorum: Post-
quam vero Euangelium per omnes gentes dissemina-
tum fuit, tantisque prodigijs confirmatum, ut qui
plura cuperet iam prodigium ipse esset, opus Euan-
gelium prædicandi cæpit facile esse, Ecclesiæ vero
iam

iam fundatas ordinare, Christianos in pace contine-re, ministros dignos qui Sacra menta administrarent, Dicí verbum explicarent, officio suo qui deessent corripere, malos & indignos dei cérē, hæreticos, qui sub nomine Christiano fallere conabantur detege-re, denunciare, proscribere, vno verbo Ecclesiam re-gere & officia iurisdictionis exercere, opus omnium maximum & difficillimum & hoc nomine maxi-mè Apostolicum & Episcopale esse cœpit. Hinc tan-dem votu fateris Apostoli non amplius sibi excur-rendum putarunt, sed de Ecclesijs iam fundatis plenà constituendis & conseruandis solliciti fuerunt, nec so-lum de Ecclesijs in quibus versabantur, sed et-iam de vniuersis, quibus & literas & nuncios & o-racula & imperia sua mittebant.

Hinc patet quām sit etiam ineptum, quod dicis secluso actuali & personali labore neminem esse E-piscopum, neminem Apostolum: sequitur enim Apo-stolos cum dormirent Apostolos & Episcopos non fuisse, præsertim cum lib. I. cap. II. nu. 4. sic scribas Qui maxime omnium ad seruendū omnibus sit promptus & pa-ratus, & se maxime omnibus exhibet seruum & ministrum, omnibus prodeesse sat agendo, non propter proprium commodū, sed illorum utilitatem, nihilque omittit, quod prodeesse posit, potest atque sua in fidelium utilitatem vtens, non verò ad pro-priam elationem & gloriam; iu profectō erit ille maior & Primas & Pralatus Ecclesia. Similia sæpè repetis, quæ à te non nisi inepte scribuntur. quia si hoc tantum dice-re vis, eum, qui illis virtutibus polleat, esse eximium & sanctissimum Prælatum & suo muneri parem, nihil noui dicis. quis enim dubitat, quin illis virtutibus Præ-latus Ecclesiæ magnus coram Deo fiat? nec necesse fuit tot verbis rē clarissimā dicere. Sed si dicere vis, quod verba significant, eum solum, qui virtutibus illis or-natur, verè Episcopum & Prælatū esse, seclusoq; per-sonali

sonali & actuali virtutum Episcopatum exercitio
neminem esse Episcopum, neminem Apostolum iure
& officio, nihil dici potuit falsius, nihil à te, qui vir-
tutibus illis maximè cares & tamen maximus esse
Prælatus cupis, insipientius; nec refutatione indiget.
Sunt quidem Apostoli, sunt Episcopi Christi mini-
stri, sunt Ecclesiæ oeconomi, sunt constituti super fa-
miliam Christi, ut dent famulis eius & filiis cibum in
tempore: sed Christo optimè ministrant, si Eccle-
siam eius rectè gubernent, si qui ministeria faciliora
obeat dignos constituant, & vt singuli suo fungan-
tur officio current. Neque enim Regij Oeconomi est
per seipsum munera inferiora obire, vel cibos eme-
re, vel emptos parare, vel paratos mensæ apponere,
sed prouidere vt hæc omnia ab inferioribus mini-
stris ordine siant, & inter domesticos pax & concor-
dia seruetur. Sed in his nugis refellendis nimius sum.

ARTICVLVS IV.

Petrusne, an Paulus Romanam Ecclesiam fundarit?

12. **D**ico quarto. Romanæ Ecclesiæ primus funda-
tor & Apostolus non Paulus, sed Petrus fuit.
Probatur ex absurditate sententia tuæ, qui quod titu-
lum fundatoris Ecclesiæ Romanæ Petro eripias,
Pauloq; per discipulos suos illam fundanti tribuas,
non solum Paulo discipulos ex tuo capite assingis;
sed etiam fæminas Romanæ Ecclesiæ primos Apo-
stolos & Episcopos facis. Nam l. 4.c. 1.n.9.dicis dis-
cipulos Pauli, quorum opera conuertit Romanos
fuisse Priscam & Aquilam, Andronicum & Iuniam,
quos vocat coadiutores suos. Et l. 2.c. 3.n.60.Dicimus,
inquis, Paulum Romanum ante omnes, suos aliquot discipulos
misisse, qui prima in ea Vrbe Euangely fundamenta face-
rent, & aduentus ipsius quasi viam sternerent. Præcipue
opus.

hū fuerunt prīsa & Aquila, quos suos vocat Paulus adiutorē Rom. 16.
 tores in Christo Iesu, & Andronicus & Iunia, quos idem
 vocat cognatos & concipiūtos suos & nobiles in Apostoli.
 Cum itaq; hos vocet Paulus & adiutores suos & Apostolos,
 in latiori profectō significatione; libenter affererem illos
 fuisse ad Apostolicam ordinariam potestatē, id est, Epis-
 copalem p̄rouectos omnes, si quidem ex Oriente in Occiden-
 tem mittebantur omnes; tametsi Paulus ipse designabat se
 subsecuturum. Hæc verba tua sunt, Antoni, quibus
 in vnum cumulum tot ineptias congeris, vt merito
 mirabilis sis. Imprimis, quid alienius à Pauli institu-
 to, quam p̄mittere discipulos, qui fidei prima fun-
 damēta iacerent, sibiq; viam sternerent, vt ipse post-
 modum veniens super alienum fundamentum ædi-
 ficaret, Christumq; p̄dicaret auribus prius ad eius
 nomen assuetis? Egebat scilicet Paulus, qui sibi ven-
 turo viam per p̄dicationem & miracula sterneret;
 vt ipse nomen Romanorum Apostoli haberet, alij
 labores. Deinde Priscam & Aquilam Pauli fuisse dis-
 cipulos, ab eo Romam & in Occidentem esse missos,
 tanquam Delphicum quoddam oraculum pronun-
 cias; nec tamen hoc vlo vel teste, vel argumēto com-
 probas. Narrat Lucas Act. 18. Priscam seu Priscillam
 & Aquilam Romæ fuisse, inde expulsos à Claudio
 venisse Corinthum, ibi eos Paulum offendisse iam
 diu Christianos, apud eos quod essent eiusdem artis
 habitasse; sed Paulo prius cognitos fuisse non dicit,
 nec Paulum ante illud tempus vel eos semel vidisse
 probari potest. Tertiò, quod dicis Andronicum &
 Iuniam Pauli discipulos fuisse & à Paulo missos in
 Occidētem, non nisi capit is tui figmentum est, quod
 probare nec quidem conaris. Imo si per discipulos
 intelligas à Paulo ad fidem conuersos, aperte contra
 Paulum sentis, qui Iuniam & Andronicum dicit an-
 te se in Christo fuisse: vnde multò probabilius est à

Petro ad fidem conuersos, Petri discipulos, Petrum Romam comitatos, vel si præmittere solerent (ut tu singis) Apostoli, qui sibi viam sternerent, præmissos Romam non à Paulo sed à Petro fuisse. Quartò denique quod dicis hōs quatuor non solum Andronicum & Aquilam, sed etiam Iuniam & Priscam seu Priscillam Episcopos fuisse ridiculum est. Iunia enim ut nomen innuit sœmina fuit, fortassis Andronici vxor, de qua Chrysost. Papa, inquit, *quanta fuerit huius mulieris sapientia, ut & apostolica appellatione digna sit habita!*

Chrysost. homil. in epist. ad Roman.

Quis autem in Scriptura vel mediocriter versatus, nescit Priscam seu diminutio nomine Priscillā (sic ut hoc loco græcè est ἡ Πρισκίλλα τῆς Αὐγούστου, salutare Priscillam & Aquilam) quis, inquam, nescit Priscillam vxorem Aquilem fuisse, ut Lucas aperte constatur Act. 18. ubi narrat eos Corinthi hospites Pauli fuisse, quem à Iudeis suæ etiam vitæ periculo defenderunt. Hos hac de causâ salutans Paulus appellat adiutores suos. *Non veretur Paulus (inquit Chrysost.) vas illud benedictionis mulierem coadiutricem suam vocare, sed gloriatur in eo; naturam quippe feminæ sexus non aspicit.* Neq; ex eo quod nominetur Priscilla ante Aquilam, inferas uxore Aquilem non fuisse: hoc enim leue est argumentū; præfertim cū etiā Act. 18.v.17. Priscilla uxor Aquile marito præponatur. Miror autem cur his duabus Episcopissis Romanis tertiam non addideris Mariam, quā Paulus ad Romanos non minus, quam Priscillam vel Iuniam salutat; Salutate, inquit, Mariā, quæ multum laborauit in vobis.

13. Ex his apparēt, cū Paulus à Patribus nonnunquā dicitur Ecclesiam Romanam fundasse, hoc intelligi debere, quod cœptam à Petro foundationem vñā cum

Baron. tom. 1. An. 4. l. n. 13. iecerit, ut recte Baronius adnotauit. Quod autem ob-

ijcis l. 4. c. 1. nu. 13. Baronium, cum hoc dixit, immemorem fuisse

fuisse consuetudinis Pauli, qui sic Euangelium prædicabat, vt non super alienum fundamentum ædificaret; vt ipse testatur ad Romanos c. 15. Nō ita est; nihil contra Pauli institutū Baronius afferit: sed tu Pauli influ-
 tutum non intelligis. Non dixit enim Paulus se nun-
 quam ædificaturum super alienum fundamētum, vel
 se nunquam prædicaturum gentibus, quibus antē e-
 ius prædicationem Christus innotuisset; sed necdum
 ædificasse, neq; quo tempore scribebat ad Romanos
 ædificare adhuc potuisse. nimirum quia tunc supere-
 rānt gentes, quibus Christus annunciatus non esset.
 Paulus autem præceptum à Christo acceperat ne Ec-
 clesijs aliorū perficiendis insisteret, quamdiu es-
 sent regiones, quib. Euangelium non insonuisset. Hoc aut
 dicit, vt excusat se Romanis, quod ad eos necdum
 venisset; occupatum enim se dicit fuisse in Orientis
 conuersione, cuius regiones omnes à Hierusalēm usq;
 ad Illyricum Christi fide iam impleuerat. Sic autem
 (inquit) prædicavi Euangelium hoc, non ubi nominatus est
 Christus, ne super alienum fundamentum ædificarem; sed sic
 ut scriptum est. quibus non est annunciatum de eo, videbunt:
 propter quod impeditiebar plurimum venire ad vos. Nune au-
 tem ulterius locum non habens in his regionibus, cupiens au-
 tem viderē vos &c. Vbi tria dicit de se Paulus. Primo
 se non posse prædicare Christum Ecclesijs, quas alij
 Apostoli fundasent, quamdiu regiones supersunt,
 quibus Euangelium non sit annunciatum. Secundō
 hanc esse causam, cur ad Romanos necdum venerit;
 quia nimirum si prædicaturus ipsis venisset, super a-
 lienum fundamentum ædificasset. Tertiō significat
 se, ubi gentes nullæ essent quibus Christus non innō-
 tuisset, tunc se super alienum fundamentum ædifica-
 turum; atq; adeo tunc se Romam venturum. In qua
 ratiocinatione cū Paulus clare supponat fundamētum
 primum Ecclesiæ Romanæ non suum sed aliquius al-
 terius

terius Apostoli esse, sequitur Paulum primum Ecclesiæ Romanæ fundatorem non fuisse, sed Petrum nisi velimus dicere, nullum ex duodecim Apostolis Romanæ Ecclesiæ prima fundamenta iecisse. Hoc autem incredibile est. Quis enim credat Apostolos cum diuididerent inter se orbem terrarum, Occidentis & Vrbis gentium Dominæ curam nullam habuisse, vel ad eò tenuem, ut ipsi ad alias regiones Euangelio imbu-

ser. 1. denatali Apost. Theodoret^o in c. I. ad Roman. magnus Petrus Primus Romanus Euangeli- cam fidem prebuit.

14. **D**ico quicquid. Non pugnare cum Sacra historia Petrum secundo Claudi anno Romanum venisse, Romanumq; Episcopum viginti quinq; annis existisse. Probatur non est credibile Patres & Scriptores omnes penè contra Sacram scripturam sentisse. Sed hoc. 4. o. i. nr. 21. ita scribis: *Aduentum Petri Romanum secundum Claudi anno quia Eusebius in Chronico certe inconfidere atque indiscretè posuit: inde & Hieronymus & caro fore omnes scriptores posteriores errorem haurerunt. Item, consideratus scilicet & prudens scriptor, de Patriarchibus penè omnibus, qui à tempore Eusebii & Constantini vixerunt, censes, nec verisimilem in acie contrarie stare, immo omnibus plus unum testis aperte existimus. Magna temeritas.*

15. Secundò argumenta tua ex Sacra scriptura inepti sunt. Duo affers: *Vnum est. Petrus Romanum non velut vincante vincula Hierosolymitanam, in qua coniectas ab Herode est Act. 12. Sed illa vincula Petri conieguntur*

runt anno Claudi⁹ sexto. Igitur Petrus saltem ante
annum Claudi⁹ sextum Romam venire non potuit.
Minorem probas, quia ex Act. Apost. ca. 12. constat
Paulum ascendisse Hierosolymam tempore vincu-
lorum Petri. Sed ille ascensus Pauli contigit quarto-
decimo anno conuersionis eiusdem, qui fuit Claudi⁹
sextus. Nam Paulus ad Galat. c. 2. cùm dixisset se pri-
mum ascendisse post triennium conuersionis suæ po-
stea subdit, *deinde post annos quatuordecim iterum ascendi.*
Iterum, id est secundò. Igitur quartodecimo Paulinæ
conuersionis anno, id est texto Claudi⁹, Petrus in vin-
cula coniectus est ab Herode. Respondeo te falsū af-
sumere, nimirum ascensum Pauli post annos quatuor-
decim, fuisse secundum, quando cum collectis ascen-
dit circa tempus vinculorum Petri. Hoc te probare o-
portebat, non nudis verbis asserere, nec cōtra torren-
tem Scriptorum tuā tantum authoritate niti. Nā quod
dicit Paulus *iterum ascendi* post annos quatuordecim,
non intelligit tum primum se secundò ascendisse; sed
se iterum & səpius ascendisse. Imò argumentis ex sa-
cra scriptura conuinci potest quatuordecennalem as-
censum Pauli post Petri vincula cōtigisse. Primò, quia
Paulus dicit se, quando post annos quatuordecim as-
cendit contulisse cum Apostolis Euangeliū, *quod p̄e-
dico (inquit) in gentibus, ne forte in vacuum currem aut
cucurrissem.* Igitur Paulus tunc Euangeliū p̄edicabat
in gentibus, per orbemque Euangelizans discurrebat,
alioqui non erat cur timeret ne forte in vacuū cucur-
risset. Sed Paulus tempore vinculorum Petri ne cuncti
cäperat circuire & Euangelium gentibus p̄edicare:
Nam te l. 4. c. 1. n. 21. fatente post Petri vincula *segre-
tus est ad opus conuersionis gentium singulari iussu Spiritus
sancti à ministris Ecclesia Antiochenæ.* Igitur Pauli ascen-
sus, quem dicit fuisse post annos quatuordecim con-
uersionis suæ, post Petri vincula contigit.

Se-

16. Secundò quia Euangelium, seu Euangelica doctrina, quam Paulus post annos quatuordecim contulit cum Apostolis, fuit illa, quam Galatis persuaderetur, nimirum per Euangelium legem Moysis abrogatum esse. Nam Pseudoapostoli persuaserant Galatis doctrinam de cessatione legalium singularē Pauli esse, reliquos Apostolos non ita sentire. Hos Paulus ut conuincat narrat se Euangelium suum, à quo Galatae descierant, cum Apostolis contulisse, & illudab.

Chrysost. homil. i. in ep. ad Galas. Chrysost & alij Petres exponunt. Sed te fatente Paulus quando ascendit cum collectis, circa tempus vinculorum Petri, non contulit suam doctrinam de cessatione legalium cum Petro: imò tunc Petrum contrarie mentis fuisse asseris. Igitur Pauli ascensus post annos quatuordecim non fuit tempore vinculorum Petri, sed postea, nimirum quando ascendit ad concilium Hierosolymitanum; ubi doctrinam suam de legalibus non seruandis contulit cum Apostolis in Concilio, scilicet cum Petro, Iacobo, & Ioanne. Ex quo patet primum tuum argumētum, quo miteris aduersus torrentem (vt fateris) Christianae traditionis, vacuum & futile esse.

17. Secundum tuum argumentum hoc est: Petrus ante quam coniceretur in vincula ab Herode, nunquā Iudeam egressus est: nemo enim (inquis) quod viderim, eum ante hoc tempus eduxit. Sed vincula cōtigerunt, Baronio fatente, secundo Claudi anno. Igitur antē secundum Claudi annum Iudea ne quidem extulit pedem. Petrus autem egressus Iudeam non statim Romanam concessit, sed septem annis Antiochenam sedem tenuit, vt Baroūs & alij contēdunt, & plurimas gentes conuertit in Oriente, priusquam pergeret in Occidente, quæ prædicatio plures eum annos detinuit. Non igitur secundo Claudi anno venire Romam potuit.

posuit. Respondeo. Hic sicut in argumento præcedenti, quod ab omnibus penè authoribus negatur, sine probatione tanquam certum asseris, nimirum Petrum ante vincula sua Hierosolymitana nunquam extra Iudeam pedem extulisse. In quo pugnas cum S. Luca, qui dicit Petrum ante vincula sua *pertransisse vniuersos*, nimirum Ecclesias omnes, que tunc in orbe erant. Imò tecum ipse pugnas, qui lib. i. cap. 9. num. 22. dicis ex hoc testimonio Lucæ luce solis clarus esse, Petrum obambulasse itineribus frequentissimis, ut munus suum obiret, & hoc ceteros undecim facile superasse. Si Petrus iam tunc ante vincula sua itinera præ ceteris Apostolis frequentissima obiuit, quomodo verum, quod dicis eum semper in Iudea ac ferme semper Hierosolymis sedisse? Cum vero te dicis neminem vidisse, qui Petrum extra Iudeam ante vincula Herodis eduxerit, falleris: vidisti enim, Antoni; sed hos te vidisse iam tibi excidit è memoria, quam lubricam habes. Nonne enim tu libr. 4. cap. 1. numer. 18. Baronium reprehendis, quod dicat, æquum esse credere auditâ ciuitatis Antiochenæ conuersione, Petrum cōmissum esse? Ecce Baronium citas affirmantem Petrum extra Iudeam in Syriam ante sua vincula profectum esse, & tamen dicis hoc assérerentem te neminem vidisse. Video tamen adhoc merito responderi posse, te quidem Baronium quasi hoc dicat citare, nec tamen Baronium vidisse, quæ causa est quod illi tua somnia a fingas: non enim reuera dicit Baronius, quod fingis eum dicere; Petrum Antiochiam auditâ ciuitatis illius conuersione missum esse: hoc tantum dicit; communis Apostolorum consilio, auditâ Antiochenæ cōnversione sedem illam Patriarchalem factam esse, & illi Petrum præfectum. Nihilominus cum tam Baronius, quam Bellarminus vna cum Eusebio asserat

Act. 9.

A.D. 9.

rant Petrum fundasse Ecclesiam Antiochenam in illa sua visitatione de qua Lucas ait; *fatum est cum Petrus pertransiret vniuersos*, quinto nimis anno post Christi passionem, certe extra Iudeam in Syria multo ante vincula eum educunt. Hos autem hoc asserentes videras & citas, & reijcis l.4.c.1.n.18. & tamen adeo labili & miserâ memoriâ es, vt afferas te neminem vñquam legisse, qui Petrum ante vincula extra Iudeam eduxerit.

17. Neque magnum est, quod contra Antiochenam conuerisionem factam à Petro in illa sua visitatione obijcis l.4.c.1.n.18. Lucam cùm prius narrasset Petrus reditum ex sua visitatione Hierosolymam, tunc subdere, Apostolos Hierosolymis nuncium accepisse de conuerisione Antiochiæ, qui statim Barnabam legarunt. Vnde concludis tempore visitationis Petri Antiochenâ Ecclesiam non fuisse ab eo fundatam. hoc, inquam non magni momenti est. Nam (vt omittamus in Act. Apost. non omnia quo gesta sunt ordine narrari) non dixit Lucas Antiochenos conuersos post Petri reditum: sed Apostolos qui Hierosolymis erant, post Petri reditum hoc intellexisse, nimis ex ipso Petro iam à visitatione sua reuerso, qui conuerisionis illius inspector & pars magna fuerat. Petrus enim reuersus cum Antiochiæ hærere diutius non posset, proposuit Apostolis Antiochenam conuerisionem, vt quis loco suo Antiochiam mitteretur, qui communī consilio Barnabam miserunt? Deinde duplex fuit (vt patet ex Act. Apost.) Antiochiæ conuersio: vna Iudeorum, qui in illa ciuitate innumerabiles erant; hæc contigit Petro Ecclesiæ visitante: altera gentilium eiusdem ciuitatis; quæ fortassis facta est post Petri reditum à visitatione. Nam cùm Petrus Cornelium gentilem baptizasset, hocq; famâ vbiq; vulgatum esset, cœperunt Antiocheni Docto-

res

res gentibus Christum annunciarē, Cornelijque baptis̄m Antiochenā conuersio consecuta est. Petrum porro Ecclesiam Antiochenam partim per se ipsum, partim per suos discipulos fundasse, quod hic adeo vehemēter negas, apertè colligitur ex eo, quod, scribis l. i. c. 9. n. 34. Ecclesiam festum Cathdræ solius Petri celebrare, quia Petrus (inquis) primus Euangeliū gentibus prædicauit, & primus in gentibus & nationibus Ecclesias fundauit. Subsumo. Sed Ecclesia prima omnium extra Iudæam in gentibus fundata Antiochenā fuit. Igitur Petrus vel primus in gentibus Ecclesiās non fundauit, vel Ecclesiam Antiochenam primus fundauit & rexit, quæ fundata fuit longè ante eius vincula. Igitur cum in sacra scriptura syllaba nulla sit, quæ conuincat Petrum ante sus vincula Iudeā nunquam egressum esse, nihil habet sacræ scripturæ contrarium communis Patrum sententia Petrum anno Claudi⁹ secundo Romam venisse, eamque sedem viginti quinque annis tenuisse. Quâ de re qui plura cupit videat Bellarminum tom. 2. de Rom. Pontif. primis vndecim capitibus.

A R T I C U L U S VI.

An error in fide sit Romanum Episcopum Petri

verum successorem fa-

cere.

Dico Sextō, temerarium esse quod lib. 4. c. 6. n. 18. scribis, errorem exp̄ssum cōtra fidem esse, Romanum Episcopum verum & peculiarem Petri successorem. Verba tua sunt ista. Satis nunc mihi sic (inquis) Episcopum Romanum non esse verum & peculiarem Petri successorem, neque ullam haberi probationem, quæ contrarium euincatur: nisi mihi iam dicant Ecclesiam ita de fide tenere. Ego vero nego id Ecclesiæ Catholicæ de fide tenere.

nere. Totus enim Oriens id perpetuo & constanter negavit: in Occidente vero, adiutentibus id Romanis Pontificibus, & eorum affectis & parasitis tantisper error in aliquibus inuulnerat. Sed hunc esse etremum expressum ex sacris etiam literis constat manifeste. Hac tu tuo more, qui non solum aperte falsa asseris, sed etiam alijs tuis dicitis repugnantia. Hoc ostendo. Primo, cum dicis Orientem totum perpetuo & constanter negasse Romanum Episcopum esse peculiarem & proprium Petri successorem, expresse tecum ipse pugnas. Nam l.4.c.10.n.68.dicis *Gracos Episcopos & Patriarchas simpliciores & credulos sibi persuaderi passos esse adeo vehementi, sepiusq; inculcat a tot Romanorum Pontificum assertione, veram & propriam petri in Romana sola Ecclesia esse successionem.* Hac tu quomodo igitur Oriens totus perpetuo constanter contrarium tenuit contra parasitos Occidentis? Vide quam tu perpetuo & constanter inconstans sis.

19. Secundum autem authores Occidentis, qui Romanum Pontificem propriè & peculiariter faciunt Petri successorem, parasitos vocas. Patres sanctissimos contumeliam affidis, quos huius opinionis fuisse confitidis, in primisq; Cypriatum. Nam l.4.c.1.n.2. cum acutulis dictum Firmiliani, quo tibi videtur negare Romanum Episcopum esse Petri successorem, ita scribis; *Eodem tempore Cyprianus Romanam sedem vocat absolute Petri cathedram: ac Firmianus Cappadoc in bdc non vult assentiri, sed potius videtur dubitare. Iudicet Lettor, fortassis alia tunc erat opinio de Petri Romana fede Orientalium, alia Occidentalium, & adhuc sub indice lis est.* Hic dicis Cyprianum absolute docuisse Romanam Ecclesiam esse cathedram Petri; cathedra vero Petri te fatente est Potestas ad successorem deriuata. Igitur Cyprianus Romanum Pontificem Petri successorem absolute, id est, vere & propriè facit eo modo, quo

quo negauit Firmilianus: nam l. 4. ep. i. dicit Cornelium Romanum factum esse Episcopum, cum locus Fabiani, id est, cum locus Petri & gratus ei aedra Sacerdotalis vacaret: ubi Cornelium non magis affirmat successisse in locum Fabiani, quam in locum Petri eadē enim serie verborum affirms utrumq;. At nec tu nec ullus alius negare potest Cornelium verè & propriè successisse in locum Fabiani ex sententia Cypriani. Igitur ex eiusdem sententia verè & propriè successit Petro. Atq; adeo si sit hic error paraliticus, parasitus fuit Cyprianus, imo parasitorum Occidētis primus & princeps. Tertiō, cū dicis Petri propriam successionē in Ecclesia Romana esse errorem expressum & manifestū contra sacras literas, temere loqueris & tecum pugnas. Tecū pugnas: nā iam te dicētem audiuimus, in quæstione hac sitne Romana Ecclesia verè & propriè Petri cathedra aliter Oriētales aliter Occidentales sentire & adhuc (inquis) fabiūdīcētis est. Si sint diuersæ inter Doctores sententiæ, & adhuc lis pendeat an Romanus Pontifex sit proprius Petri successor; cur eum vocas errorem cōtra Sacras literas expressum & manifestū? Certe temerè hoc dicis, cum nemine à principio mundi adhuc usq; diū Catholici citare vel citare possis, qui Romanū Episcopum negauerit absolutè Petri successorem esse.

Nam ex Firmiliano Cappadoce quod affers risu 20.

digna ineptia est. Primò quia (etiam te satente) non constantē negat Romanum Episcopum esse Christi successorem; sed dubitat (inquis) nec vult assēmiri Cypriano. Quāta igitur vecordia sit ex unico testimonio Firmiliāni hac de re dubitantis inferre, Orientē totū perpetuo cōstaterq; hoc negasse? Deinde Firmilianus ne dubitat quidē; ita n. se res habet. Firmilianus errorē afflere nitebatur dānatissimū; baptizatos ab hæreticis cū redeūt ad Ecclesiā iterū ablui oportere:

Firmiliāni
ad Cypriā.
75. inter e-
pist. Cy-
prian.

QUP

Firmiliano erranti, firmiter restitit Stephanus Romanus Pontifex veritatis Catholicæ à Niceno Concilio postmodum definitæ præcipius assertor; in quæ propterea scripsit ad Cyprianum Firmilianus epistolam conuitijs & contumelijs plenam. Inter cætera; Iudæos (inquit) zelum Dei habere Apostolus profitetur; Stephanus verò, qui per successionem Petri cathedram habere se prædicat, nullo aduersus hæreticos zelo excitatur. Hæc Firmilianus: quam verè, quam modestè ipse viderit. tamen non negat Stephanum Petri successorem esse, sed potius supponit; eumque inde arguit, quod cum successor Petri sit, & se tallem esse glorietur, non ita contra hæreticos zelo exardescat, & eorum baptismum tanquam irritum damnnet. Qui zelus in Firmiliano fuit, sed non secundum scientiam. Multoque minus tu sapis, qui cum nullum prorsus ex Sanctis Patribus afferas, vel Græcum vel Latinum, vel antiquum vel modernum, qui neget

I. 4. c. 1. n. 2. Petro in Romanâ Ecclesiâ peculiarem successionem;
3. 4. &c. Imò cum cites Patres etiam Græcos penè omnes, qui Petrum Episcopum Romanum fuisse peculiarissimè dicant: tamen contendis errorem hunc esse contra sacras literas expressum. Magna ineptia. Vbi enim sacrae literæ exprelle & in terminis diūct, Petrum nunquam Romanum Episcopum fuisse? Vbi hoc leviter insinuant? Nihil prorsus adfers, nisi tantum argumenta, & illa nugatoria, ut probes Petrum viginti quinq; annis non fuisse Romæ Episcopum. Esto fuerit solum viginti vel decem annis, hoc vobis sufficit; imò si fuit Episcopus vel anno uno. Quanquam quod dicens, non nisi paucis mensibus ante mortem suam tertiodecimo anno Neronis Petrum Romanum primum venisse, non solum pugnat cum alijs authoribus: sed etiam cum tua assertione, qui lib. 4. c. 3. n. 1. dicens Marcum à Petro Alexandriam Româ missum esse. Marcus au-

tem

tem longè ante mortem Petri vel decimum tertium Neronis annum missus Alexandriam fuit, cum Martyrio coronatus fuerit octavo anno Neronis, ut Hieronymus & Eusebius testantur. Sed tu modò scribas & chartam atramento illinas, sint vera vel inter se consentanea, quæ scribis non valde sollicitus es.

ARTICVLVS VII.

An in solo Episcopatu Romano, an etiam in Monarchia Ecclesiæ Romanus Pontifex Petro succedat?

Dico Septimò Romanus Pontifex Petro succedit in totius Ecclesiæ Monarchiâ. Hęc conclusio non inde probatur, quia Petrus Romæ obiit. Sed ex his 4. propositionibus, quas iam ex tuis dictis euicimus: Primo Petrum fuisse totius Ecclesiæ Monarcham: Secundò successorem iure diuino habere debuisse: Tertiò hunc successorem certæ Ecclesiæ Episcopum esse posse & debere; ut qui eius ope indigent, sciant ubi sit Pastor, ad quem per literas, vel per nuncios vel in suis personis, configiant: Quartò Petrum iam fundatâ Ecclesia vniuersali se Romanæ Ecclesiæ mancipasse, ibique Episcopum mortuum esse. Ex his sequitur Romanum Pontificem post Petrum Ecclesiæ Monarcham esse, quia Petrus alicui certo Episcopo Monarchical regimen Ecclesiæ relinquere debuit & reliquit. Non alteri quam Romano: nec enim, alius nominatur. Deinde is Episcopus est Ecclesiæ Monarcha, qui solus moriente Petro auctoritate auctus est: aliquis enim Petri decadente potestate Petri Monarchical augeri debuit. Sed per mortem Petri nullus Episcopus auctoritate auctus est; nisi Romanus. Antidicendum enim Petro mortuo non maior esse

cæpit, quam viuente fuerat. Igitur Episcopus Romanus post Petrum iure successionis, Ecclesiae totius Monarcha est.

22. Secundo probatur ex tuis dictis, qui varia dicis ex quibus efficitur ut Episcopum Romanum Monarchicum Petri successorem esse concedas, vel in etiatis p̄tissimus sis. Nam primo concedis Romanos Pontifices doctrina & sanctitate præstantes perpetuò assertuisse, se peculiares Petri successores esse, & regimere Ecclesiæ in Euangeliō Petro promissum & exhibitum ad se successionē pertinenisse. Tertio eo tempore Ecclesiam Romanam fuisse purissimam & puritate doctrinæ supra modum excelluisse & eo nomine oraculum totius Ecclesiæ fuisse. Ita l. 4.c.9.n.2. Ex his arguo. Illud dogma quod Romana Ecclesia docuit, & palam tanquam certum & notum proposuit, quo tempore purissima fuit, & oraculum totius Ecclesiæ, non potest sine impietate erroris damnari. Sed Romanum Pontificem Petro succedere in regimine Ecclesiæ vniuersalis, cum totâ potestate, quæ Petro promissa & exhibita fuit in pollicitis & datis Euangelicis, Romana Ecclesia palam docuit, quo saeculo doctrina eius pura puta Christiana fuit ut tu fateris: Igitur hoc dogma verum est, nec nisi impius erroris arguitur. Quid hic respódeas Antoni? Fortassis Romanos Pontifices non hoc perpetuo sensisse. Nā Leonem Magnum dicis huius opinionis authorem fuisse, & ab eo posteros omnes, sed prioribus Pontificibus non venisse in mentem. Sed in hoc recum ipse pugnas: Nam l. 4.c.10.n.84. respondens ad hoc testimoniū Ambrosij; cum totus mundus Dei sit, tamen dominus eius Ecclesia dicitur, cuius hodie rector est Damasus. Hæc verba, inquis, si nolit à Papifica significatione abstrahi, tunc dicemus authorem fuisse blandâ quorundam de seipsis Romanorum Pontificum opinione imbutum, ad eos scili-

Ambros. in
Epist. ad
Tim. c. 3.

scilicet per Petrum totius Ecclesiae regimen deuenisse. Igitur Damasus & eius præcessores hac fuere opinione imbuti, per Petrum ad se totius Ecclesie supremum regimen deuenisse; Zosimus etiam Romanus Pontifex ^{Zosim. ept.} ante Leonem; Tantam, inquit, Apostolorum Principi ^{ad African.} Canonica antiquitas per sententias omnium voluit esse potentiam ex ipsa quoque Christi Dei nostri promissione, ut C^o 418, ligata solueret. & soluta vinciret: par potestatis data conditio in eos qui sedis hereditatem ipso annuente meruissent. Non igitur Leo omnium primus potestatem Euangelicam Petri ad Romanum Pontificem successione deriuauit.

At iterum fortassis dices, hunc errorem Romanæ fidei puritatem non multum maculasse. Nam l. 4. c. 10. n. 9. næuum & venialem errorem vocas. Sed neque hic tibi constas. Nam l. 4. c. 8. n. 13. Tempore Iulij nondum (inquis) Hieromonarchia se verbis Euangelicis Tuis es Petrus, & Tibi dabo claves, & Pascione, per summum abusum erexerat. Et. lib. 4. ca. 6. n. 20. Quod Romanus Pontifex perpetuus Petri successor sit dicis errorem expressum & manifestum contra Sacras literas esse. Si summus abusus Sacrae scripturæ, quomodo venialis error? Si contra sacras literas expressus error, quomodo non nisi næuuus? Si error crassus & expressus, quomodo Ecclesia Romana olim hoc errore conspicua illo ipso tempore supra modum pura & fidei tutum asylum, & Catholicae doctrinæ oraculum? Si ad eam hoc dogma imbutam sanctissimi Patres, velut ad oraculum confiebant, cur ab eam propter hoc dogma tu fugis.

Tertiò potestatē in metaphorā petræ Petro pro- 24. missā id est Monarchicā in Romana Ecclesia per successionem à Petro esse probatur autoritate Patrū qui Romani Episcopi non fuerunt. Augustinus in psalmo contra Donat. Numerate (inquit) Sacerdotes ab ipsa sede Petri. Hoc est Petra, quam nō vicū superba inferiorum portat.

apud Baron. Cypri Episcopi ad Theodorum Papam: firmamen-
tom. 8. an
643. n. II.
& Sand.
vissib. Mon. 557.
tum à Deo fixum & immobile aī qz sicuti formam lucidissi-
mam fidei, vestram Apo. Tolicam sedem constituit Christus
Deus noster. Tu enim es (sicut diuinum pronunciat verbum)
Petrus, & superfundamentum tuum Ecclesia columnæ con-
firmatæ sunt. Tibi & claves regni calorum commisit, atqz
ligare & soluere potestatiæ, que in terra & in celis sunt.
Vides Patres etiam Græcos ex verbis Euangelicis,
Tues Petrus; Romani Pontificis supremam potesta-
tem ante nongentos & amplius annos asseruisse.

Sed præcipuè vrgeo locum Hieronymi ad Damasum. Ego (inquit) nullum primum, nisi Christum sequens,
Beatitudini tua id est Cathedra Petri communione conso-
cior: super illam petram adificatam Ecclesiam scio. Cathe-
dra. (vt tu. l. c. 10. n. 18. eam definis) est potestas gu-
bernatiua Ecclesiæ per successionem ab Apostolis
accepta. Igitur Cathedra Petri, seu Damasi Beatitu-
do, de quâ loquitur hic Hieronymus, potestas est gu-
bernatiua Petri ad Damasum successione deuoluta.
Sed cathedra Petri seu Damasi Beatitudo, teste Hies-
ronymo est petra cui Ecclesia vniuersalis nititur, hoc
est à quâ regitur. Igitur potestas gubernatiua Petri ad
Romanum Pontificem deuoluta, petra est & funda-
mentum, à qua vniuersalis Ecclesia gubernatur. Tu
locum Hieronymi l. 4. c. 10. n. 88. ita explicas. Ego
Beatitudini tua id est Cathedra Petri communione conso-
cior: super illam petram adificatam Ecclesiam scio, id est,
quia nunc in terris video Apostolicam doctrinam Romam ma-
xiū puram conseruari; ideo in his dissensionibus tibi omni-
nd id est cathedra Petri volo adherere, & quod tu tenes id
mihi tenere est tutissimum. Non igitur (inquis) Damasum
Hieronymus sequitur, quia Petri sedem teneat, quasi per-
petuum sediu Petri priuilegium, sed quia Damasus Petri se-
de in tenebat, id est re ipsa docebat eandem doctrinam, quam
Petrus ibidem docuit. Ita tu Hieronymum, quem com-
patriotam

patriotam tuum vocas, conariſ à ſua mente dimouere
ſed fruſtra. Nam quiſquis Hieronymum legerit, ſta-
tim perſpicit eius verba à te violenter torqueri ſed e-
go te in hac reſponſione ineptire, alijs tuis dictis con-
uincam. Nāl.4.c.3.n.32. dicis Hieronymum *non Ur-
bem ſed ipſam Eccleſiam Romanam vocaſſe Babylonem &
purpuratam meretricem, quia (inquis) iam tum videbat
eam in ipeſis rebus Eccleſiaſticis & ſacris, nescio quid Baby-
lonicum redolere.* A te quæro. Si iam Romana Eccleſia
Babylon & purpurata meretrix Hieronymo erat, fi
iam doctrina & disciplina illius quid Babylonicum
redolebat; quomodo videbat doctrinam eius tutiſſi-
mam & maximæ in Eccleſia authoritatis eſte? qui di-
cere verè poterat, quod eum dicere tu loco citato fa-
cis; video in terris Apostolicam doctrinam maximè puram l.4.c.10.nu.
Rome conſeruari. ego Petri fidem in Eccleſia Romana puram 88. & 89.

cerno & cernit mecum Eccleſia reliqua orthodoxa? Quod
monſtrum ſuo ſeculo vidit Hieronymus, niſi tu mó-
stra ſingas? vidit Romanam Eccleſiam ſanctiſiſſam
eſte, à quâ veram Christi doctrinam petebant, cum
dubitarent Eccleſiæ vniuersæ, & ſimul vidit Baby-
lonem & purpuratam meretricem eſte, cuius erro-
rum poculo, populi terræ inebriabantur. Nescio quo
tu poculo inebriatus illa vides; quæ Hieronymus
certè nunquam vidit, nec ſobrius videre vllus potest.
Deinde ſi Hieronymus non aliud Romę in Dama- 26.
ſo quærerat; quam Eccleſiam, cuius doctrinæ ſecu-
rus fideret, quia de facto non errabat: quid opus erat
ex Syria Romam literas per tot maria mittere, cum
prope illi eſſet ad manum Eccleſia Hierosolymitanæ,
quam Hieronymum iſummet Romanæ ob doctri-
næ puritatē prä tuliffe tu l.4.c.3.n.9. ſcribis. Quan-
tum verò (inquis) ex hoc capite Hierosolyma präcedat Ro-
manum, habes fuſiorem apud Hieron. diſputationem in ea epi-
ſtelæ, quam ſcripsit ad Marcellam; in qua ſatis oſtendit ſuo

344 MONARCHIAE ECCLESIASTICAE,
ad huc tempore fuisse vera fidei & disciplina magistrum te-
debellimam. Hæc tu. Si fuit magistra fidei & discipline
celeberrima Hierosolyma, & ex hoc capite Romæ
præferenda, quomodo Roma omnium Ecclesiarum
purissima, & maximæ authoritatis ? cur Hiero-
mus, qui nihil aliud, quam puræ fidei Ecclesiam
quærebat relicta Hierosolymâ fidei magistrâ cele-
berrimâ, Romam consuluit quam credebat (si tu ve-
ra dicas) iam tum quoad sacra & Ecclesiastica purpu-
ratam meretricem, & in doctrina & disciplina Chri-
stiana nescio quid Babylonicum redolere? Certe re-
dolet hæc tua scriptio perpetuo secum ipsa pugnans
summam insipientiam ; ut operam & oleum mihi
perdidisse prope videar, qui tua consueto, quæ nemo
lecturus sit cui non statim sordeant. Igitur sit huius
capitis ista cōclusio, Romanam Ecclesiam propriam
Petri sedem esse, in eaq; ipissimam Cathedram &
potestatem Ecclesiæ gubernatiuam, quam Christus
in Petro instituit, contineri.

C A P V T Q V I A R T V M.

**Pontificem Romanum iure diuino succedere Apostolis in tñ-
râ omnium Ecclesiarum reliquos Episcopos, quoad
Ecclesiæ particulares.**

Pontificem Romanum esse verum & proprium
Petri successorem, atq; adeo totius Ecclesiæ Mo-
narcham vniuersim ostendimus. Ut autem eadem
veritas particularius adhuc & plenius probetur, no-
tandum est, ad Monarchiam triplicem requiri vni-
uersalitatem potestatis. Primo enim requiritur vni-
uersalitas, quoad regiones & loca; vt nulla pars Mo-
narchiæ ab unius potestate libera sit. Secundo vni-
uersalitas, quoad personas; vt nulla persona spectans
ad communitatem Monarchicam à Monarchiæ im-
perio

perio iure ordinario eximatur: Tertiò vniuersalitas, quoad causas omnes, præsertim grauissimas, ut eas Monarcha definiat, & illius iudicio stetur. Hanc triplicem vniuersalitatem iurisdictionis Ecclesiasticæ in solo Romano Pontifice semper Ecclesiam agnoscisse, ostendemus: & hoc capite de prima vniuersalitate agendum erit.

QUARTVM ANTONII FVNDAMENTVM.

*Romani Pontificis autoritatem non esse magis, quam
caterorum Episcoporum iure diuino
vniuersalem.*

SINGULOS Episcopos potestatem vniuersalem 2. non minus, quam Romanum habere iure diuino, Pontificem verò Romanum, nō minus, quam Episcopos habere restrictam humano iure millies affirmas: hocque pronunciatum est ex præcipuis totius operis tui fundamentis. Primam partem probas l. 2. c. 7. n. 5. & sequentibus. In primis exemplo Episcoporum sanctissimorum, qui potestatem in alienis prouincijs (quod nunquam fecissent, nisi diuino iure & institutione vniuersalem potestatem habuissent) propriâ authoritate exercuerunt. Secundo varia adducis Patrum dicta, quibus asseritur vniuersalem Ecclesiam esse concreditam Episcopis, Episcoposque esse Apostolorum successores, Christi Vicarios, &c. quæ sic exponis. vt singulis vniuersali intelligatur esse commissa. Tertio vrges charitatem plurimorum Episcoporum qui de Ecclesia vniuersali solliciti fuerunt, contra hæreses scripserunt, consilium dederunt potentibus, vel etiam non potentibus obtulerunt. Igitur vniuersalem potestatē habent omnes Episcopi iure diuino. Secundam partē huius fundamēti tui Romani Pontificis potestatē iure

iure humano esse restrictam probas duobus argumentis, quæ vbique repetis. Primo, quia Gregorius damnauit titulum Episcopi vniuersalis in Patriarcha Constantinopolitano; & talibus argumentis vtitur, quæ probent nullum esse posse totius Ecclesiæ supremum Principem & caput: septem colligis, quæ postea referam & examinabo.

Secundò ex canone sexto Niceno, quem nunquam non inculcas, qui variè legitur: communis tamen lectio (inquis l. 4. c. 2. n. 19.) prout in Graeco habetur talis est: *Mores antiqui, qui sunt in Aegypto & Lybia & Pentapoli obtineant ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem: quoniam & Romæ Episcopo hoc est consuetum:* Vbi dicis synodum præscriptissime limites Episcopo Alexandrino, quos non transiliret, ex eo quod Romanus Patriarcha proprijs limitibus provinciæ ex antiqua consuetudine se contineret.

Tertiò, quia Romano Episcopo vniuersalior potestas quam ceteris competit tantum ex voluntaria delatione Ecclesiæ propter priuata priuilegia. Primo propter magnitudinem Vrbis imperij Metropolis. Secundò propter insignem illius Ecclesiæ fundationem à Principibus Apostolorum. Tertiò propter maternitatem, quia plurimæ ab ea Ecclesiæ propagatae sunt. Quartò propter fidei puritatem, in qua multis sæculis supra modum excelluit. Hæc præcipua sunt argumenta tua contra vniuersalitatem potestatis Pontificiæ: alia leuiora habes, quæ omitto; quale est Romanum Pontificem non esse Episcopum totius Ecclesiæ, quia sèpè dicitur absolute Romanus Episcopus, Episcopus Vrbis, & Romæ Episcopus: quæ dicta ex varijs authoribus colligis, & in illis describendis integra folia absumis, quasi verò Episcopus Romanus totius etiam Ecclesiæ Episcopus esse non possit, & non sèpè etiam ut Romanæ Vrbis sic

Nicen. con-
cil. can. 6.

sic totius & vniuersalis Ecclesiae Pastor dicatur.

Quare his nugis omisis hoc capite quatuor examinanda sunt. Primo an singuli Episcopi potestatem vniuersalem habeant. Secundo an Petri successor iure diuino vniuersitatem potestatis habeat. Tertio an Episcopus propter Imperialem amplitudinem ciuitatis, cui praest, vniuersalis Episcopus dici possit. Quartò an Concilium Nicenum restrinxerit Romanorum Pontificis vniuersalem iurisdictionem.

ARTICVLVS PRIMVS.

De singulis Episcopis.

Hanc quæstionem quatuor conclusionibus explicabo.

PRIMA CONCLV SIO.

OMNES & singuli Episcopi non succedunt Apostolis in potestate vniuersali: Probatur. quia non succeditur in vera potestate nisi cedenti, & potestatem in qua succeditur a se transferenti. Sed Apostoli non cesserunt Episcopis, quos viuētes crearunt, suam potestatem vniuersalem. Neq; enim ea se abdicarunt. Igitur Episcopi quos Apostoli viuēti crearunt non successerunt Apostolis in curā Ecclesie vniuersali. Posteriores autem Episcopi succedunt plerique Episcopis, quos viuentes Apostoli crearunt, nec ampliorem potestatem habent. Igitur omnes & singuli Episcopi in potestate vniuersali Apostolis non succidunt.

SECUNDA CONCLV SIO.

Potestas vniuersalis reliquorum Apostolorum prester Petrum extraordinaria fuit, nec in ea successores habue-

iure humano esse restrictam probas duobus argumentis, quæ vbique repetis. Primò, quia Gregorius damnauit titulum Episcopi vniuersalis in Patriarcha Constantinopolitano; & talibus argumentis vtitur, quæ probent nullum esse posse totius Ecclesiæ supremum Principem & caput: septem colligis, quæ postea referam & examinabo.

Secundò ex canone sexto Niceno, quem nunquam non inculcas, qui variè legitur: communis tamen letio (inquis l. 4. c. 2. n. 19.) prout in Græco habetur talis est: *Mores antiqui, qui sunt in Aegypto & Lybia & Pentapoli obtineant ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem: quoniam & Romæ Episcopo hoc est consuetum*: Vbi dicis synodum præscriptissime limites Episcopo Alexandrino, quos non transiliret, ex eo quod Romanus Patriarcha proprijs limitibus provinciæ ex antiqua consuetudine se contineret.

Tertiò, quia Romano Episcopo vniuersalior potestas quam ceteris competit tantum ex voluntaria delatione Ecclesiæ propter priuata priuilegia. Primò propter magnitudinem Vrbis imperij Metropolis. Secundò propter insignem illius Ecclesiæ fundacionem à Principibus Apostolorum. Tertiò propter maternitatem, quia plurimæ ab ea Ecclesiæ propagatae sunt. Quartò propter fidei puritatem, in qua multis sæculis supra modum excelluit. Hæc præcipua sunt argumenta tua contra vniuersalitatem potestatis Pontificiæ: alia leuiora habes, quæ omitto; quale est Romanum Pontificem non esse Episcopum totius Ecclesiæ, quia sæpè dicitur absolute Romanus Episcopus, Episcopus Vrbis, & Romæ Episcopus: quæ dicta ex varijs authoribus colligis, & in illis describendis integra folia absumis, quasi vero Episcopus Romanus totius etiam Ecclesiæ Episcopus esse non possit, & non sæpè etiam ut Romana Vrbis sic

Nicen. con-
cil. can. 6.

sic totius & vniuersalis Ecclesiae Pastor dicatur.

Quare his nugis omissis hoc capite quatuor examinanda sunt. Primò an singuli Episcopi potestatem vniuersalem habeant. Secundò an Petri successor iure diuino vniuersitatem potestatis habeat. Tertiò an Episcopus propter Imperialem amplitudinem ciuitatis, cui præst, vniuersalis Episcopus dici possit. Quartò an Concilium Nicenum restrinxerit Romanii Pontificis vniuersalem iurisdictionem.

ARTICULUS PRIMUS.

De singulis Episcopis.

Hanc quæstionem quatuor conclusionibus explicabo.

PRIMA CONCLUSIO.

OMNES & singuli Episcopi non succedunt Apostolis in potestate vniuersali: Probatur. quia non succeditur in vera potestate nisi cedenti, & potestatem in qua succeditur a se transferenti. Sed Apostoli non cesserunt Episcopis, quos viuētes crearunt, suam potestatem vniuersalem. Neq; enim ea se abdicarunt. Igitur Episcopi quos Apostoli viui crearunt non successerunt Apostolis in curā Ecclesiae vniuersati. Postiores autem Episcopi succedunt plerique Episcopis, quos viuētes Apostoli crearunt, nec ampliorem potestatem habent. Igitur omnes & singuli Episcopi in potestate vniuersali Apostolis non succedunt.

SECVNDA CONCLUSIO.

Potestas vniuersalis reliquorum Apostolorum preter Petrum extraordinaria fuit, nec in ea successores habue-

habuerunt. Patet ex dictis, quia vel omnes Episcopi succedunt Apostolis in potestate vniuersali vel nulli: neque enim (vel te satente) maior ratio de uno Episcopo est, quam de alio. Sed omnes & singuli non succedunt Apostolis, ut iam probatum est. Igitur nulli succedunt. Secundò vel in potestate vniuersali succeditur omnibus Apostolis in solidum, vel singulis. Omnibus in solidum non succedi iam demonstrauimus: singulis autem non succedi tu contendis, & per te patet. Nam qui sunt illi duodecim Episcopi vniuersales, qui vndecim Apostolis & Paulò, singuli suo proprio successori succedunt? Ratio huius conclusionis est. quia potestas quæ data est cōmunitati, non ad regimen illius, sed vt opus in ea perficiatur, nō est potestas cōmunitati ordinaria, quæ successione continuari debeat; sed extraordinaria, quæ finito opere, ad quod cōcessa fuit exspirat. Sed potestas duodecim Episcoporum vniuersaliū, qui quacunq; in mundi regione vellēt Ecclesias fundarent & instituerent, non fuit data ad regimen Ecclesiæ iam constitutæ & fundatæ, sed ob opus temporale perficiendum: nimirū vt illi duodecim Episcopi excurrentes Ecclesiam vnam per orbem plantarent & erigerent. Igitur hoc opere perfecto potestas illa vniuersalis duodecim Episcoporum, quæ sicut foundationē Ecclesiæ promouit, ita Ecclesiæ iam fundatæ pacē & vnitatē turbare posset, cessare debuit, & loco illius succedere Episcopalis propriè certis sedibus affixa. Hanc tu (in inconstantia perpetuus & constans) veritatem l.2.c. 7.n. 4. aperte doces in hæc verba: *Illato in omnes orbis partes (inquis) per Apostolos Euangelio excursus non erat necessarius. Sed iam vnicuiq; Episcopo erat circa propriam Ecclesiam labrandum.* Hæc tu. quæ ostendunt Apostolorū potestatem extraordinariā fuisse. Nam post tempus Apostolorū dicis excorium amplius necessarium non fuisse.

ib92

Vnde

Vnde in inferno neque post illud tempus necessarios fuisse Episcopos vniuersales, qui eûtes doccent omnes gentes; atq; adeo potestatē vniuersalem datam Apostolis per hæc verba ; *Euntes docete omnes gentes, exspirasse.* Probatur, quia potestas data suppositâ necessitate excurrendi & in præcepto excursionis inclusa cessat cessante necessitate & præcepto excursionis. Sed potestas, quæ continetur in his verbis, *Euntes docete omnes gentes;* supponit necessitatē excurrendi & datur cum præcepto & onere excurrendi; sunt enim verba imperatiua & imperando excursionem, facultatē excurrendi dant. Sed excursus desijt esse necessarius & præceptum excursionis Apostolicæ cessauit mortuis Apostolis, vt tu concedis. Igitur ius excurrendi cum potestate Apostolicâ vbius gentium Ecclesiæ constituendo cessauit; atque adeo ordinaria non fuit.

TERTIA CONCLUSIO.

Singuli Episcopi (successore Petri excepto) potestatē in Ecclesiam vniuersalē nullo iure habent. Tudiuno iure eos potestatē vniuersalem habere asteris, non tamē Ecclesiastico. In quo tecū ipse ineptissimè pugnas, & ius diuinū & Ecclesiasticū inter se pugnare facis. Nam l.3.c.2.n.1.& alibi millies conceptis verbis dicis singulorū Episcoporū potestatē iure Ecclesiastico certis sedib. & Dicecibus arctataq; & alligata esse. At l.2.c.7.n.4.&5.& alibi særissimè atfirmas iure diuino vniuersalē in vnoquoq; Episcopo potestatē esse, quā liberè exercere potest vbi cunq; charitas postulauerit; hæc autē inter se aperte pugnant. Nam si Episcopi iure diuino possunt, quādo charitas vrget, vbi cunq; voluerint suam potestatem exercere; igitur eorū potestas ad certam dicecsem ne iure quidē Ecclesiastico limitata est. Cōsequentia patet. quia potestas Episcoporū, vt vbi cunq; voluerint suā potestatē exerceat, nihil aliud quā ius est, vt hoc licite possint. Sed

Sed singuli Episcopi ius habent illudque amplissimum, diuinum scilicet, quascunq; Ecclesiis vbi cunq; voluerint gubernandi, & quoscunq; fideles ligandi & soluendi, vbi charitas hoc postulat: non suadente autem charitate, ne quidem in sua dioecesi soluere & ligare possunt. Quomodo igitur habent potestatem suam arctatam & limitatam iure Ecclesiastico, quam non obstante iure Ecclesiastico adhuc iure diuino amplissimam habent? si dicas ius diuinum, quod habebant olim Episcopi regendi Ecclesiastis omnes, abrogatum ipsis esse iure Ecclesiastico, quo stante non possunt vbiuis docere, sed tantum in suis Ecclesijs: hoc (inquam) si dicas iam destruis, quod millies affirmas, in Episcopis potestatem vniuersalem adhuc esse. Nam si potestatis vniuersalitatem Ecclesia ipsis iure abstulit; si suo illos iure diuino, quo omnia vbiuis poterant, meritò priuauit: certè iam nec iure diuino, suam vbiuis potestatem exercere possunt: Præterea si singuli Episcopi iure diuino possunt quando charitatem hoc postulare censuerint, suam potestate in vbiuis exercere: quo iure Ecclesia hoc eos iure priuauit? quomodo statutum Ecclesiasticum ius censi re debet, quod cum diuino è diametro pugnat, vt illud pugnare tu facis? Nam si tibi credimus, ius diuinum nunc præcipit singulis Episcopis, quod olim præcepit Apostolis; *docete omnes gentes;* ius diuinum vnicuique Episcopo dicit quod dictum est Petro, nec minus abolutè & sine vllâ restrictione, quam illi; *pascere oves meas;* ius autem Ecclesiasticum hoc prohibet dicens Episcopis; *nolo doceatis omnes gentes;* nolo pascatis vniuersas Christi oves, sed tantum populos & oves, certæ ciuitatis. *Quis non videat hæc duo iura & præcepta inter se pugnantia esse.* & Eccleiam per tua dicta probari impiam, quæ prohibeat, quod Christus expresse precepit? Si dicas, hoc ius diuinum datum.

'eporis cum dependentia, & subordinatione ad Ecclesiam, & ideo iustis de causis auferri ab Ecclesia posse: hoc inquam si dixeris, Ecclesiam hoc posse nō nego; atq; adeò cum hoc iustas ob causas fecerit, sequitur, ius vniuersale iam in Episcopis nullum esse.'

QUARTA CONCLUSIO.

Quod Episcopus huic certæ sedi præfit potius, quam alteri, iuris Ecclesiastici est: tamen Episcopum certæ alicui sedi alligari ius diuinum postulat. Probatur ex varijs dictis tuis, quibus tui immemor clarissimè hoc asseris & probas. Primus locus l.3 c.1.n. 4. cum protulisses illud Cypriani; *Episcopatus unus est, Cyprian. l.1.* cuius à singulis in solidum pars tenetur. & item. *singulis epist. 3.* pastorib[us] portio gregis est adscripta, quam regat unus quisque & gubernet. *His locis (inquis) satis explicat Cyprianus diuinam institutionem , vt Ecclesia unica sit unitate, quam modo dicebam, & Episcopatus unus : sed nunquid unicus Episcopus huic toti Episcopatu[m] præest ? minimè verò. Sed singulus (inquit) est sua portio assignata. Hæc tu: Ex quibus verbis sic arguo. Episcopatus unus, cuius à singulis Episcopis in solidum pars tenetur, diuina institutio est. Sed si potestas singulorum Episcoporum non sit diuina institutione ad certas sedes & partiales Ecclesiæ restricta, sed ad omnes & singulas Ecclesiæ iure diuino extensa; diuina institutio non est Episcopatus unus, cuius à singulis in solidum pars teneatur, sed Episcopatus unus, qui totus & integer à singulis in solidum teneatur. Igitur si tibi constare vis, si Cypriano consentire, Episcopalem potestatem fateri debes ad partem Ecclesiæ seu Ecclesiam partialem diuinâ institutione restringi.*

Secundus locus est l.3: in proœmio n.2. Explicans regimen à Deo institutum in Ecclesia, ita loqueris. Ecclesia (inquis) est vinea, in quam Pater familiaris con-

duxit operarios multos, qui non confusè se in opere & labore vineaq; solerti cultura præpedirent, sed ordinate in ea omnes, quisq; in parte suâ ad consequendum denarium diurnum laborarent. l.3.c.1.n.13. Vnde haec magna, diuinâ dispositione, in multis sunt diuisa: vi vnuſquisq; operarius suam partem excolet. Hæc tu: vbi tibi ipsi contrarius dicitis Deum tria instituisse. Primo, vt in Ecclesia multi Episcopi sint. Secundo, vt non confuse Ecclesiam gubernent, sed ordinate. Tertio hunc ordinem diuinitus institutum in hoc positum esse, vt quisque in sua parte laboret, nec in alienam prouinciam tal- cem suam mittat. Igitur Episcopi diuino iure & in- stitutione potestatem habent, vt tantum in parte sua laborent, nec se possint in reliquas Ecclesiæ partes pro libitu extendere; nec charitas hoc ab eis postu- lare, sed tantum superbia potest.

Tertius locus est l.2.c.5.n.21. Iis, inquis, qui in Eccle- sia potest mittere Episcopos, quod est ordinare, potest mit- tere aliquem ad tales populum, deinde ad alium; & ita con- sequenter auctor potestatem illi Episcopo erga priorem populum & confert erga alium. Qui potuisses apertius limitatam Episcoporum potestate in assertere? cum sit, inquis, Episcopus vnius populi & ciuitatis, tolli- tur illi potestas supra populum & ciuitatem cuius antea Episcopus erat. Non igitur potestas Episcopa- liis vniuersalis est, quæ simul ad plures vel ad omnes Ecclesiæ se extendat, sed limitata, quæ simul non nisi in vnum certum populum haberi posset.

Quartus locus. l.4.c.4.n.18. dicitis potestatem Epis- copalem esse ita certu finibus circumscribam, vt quisque Episcopus suâ dioecesi contentus esse debeat: neque ullus (in- quis) Episcoporum numerus in Concilio congregatus, licet maior Niceno, potest hoc conuelleret, aut lumen facere, vt Patriarcha quiung; seu Primas aut Metropolitanus possit in alienam Provinciam, extra proprios fines legitime pra- scriptos

scriptos se extendere, præsertim in ordinationibus Episcoporum seu Metropolitarum faciendis. Hactenque vera non possunt esse, nisi restrictio potestatis Episcopalis ad certam diœcesim diuini iuris sit. quia quod iuris humani tantum est, potest Concilium generale mutare & conuellere, si contuenire Reip. Christianæ videatur. Sed hanc limitationem diœcesium, ut tu fateris, nec concilium quamlibet magnum potest conuellere, nec statuere licitum esse & officium charitatis ut Episcopus in alienam Provinciam suam potestatem pro arbitrio exerceat. Igitur limitatio Episcoporum ad suas diœceses diuini iuris est, & ab Ecclesia immutabilis.

Hinc sequitur quæm̄ sint inepta, quæ producis exempla, ut probes Sanctissimos olim Episcopos suis se limitibus non continuuisse, sed uniuersale totius Ecclesiæ regimen propriâ authoritate usurpare. In primis, quod prius in consilio profectionis tue dixeras de Lucifero Calaritano & Eusebio Vercellenti, hic iterum repetis libro secundo, capite septimo, numero nono. Quid (inquis) non fecit Antiochiae Lucifer Calaritanus in Sardinia Episcopus, ut pacem in Ecclesia componeret, qui & Episcopum in ea ordinavit Paulinum? quantum in ea laborauit Eusebius Vercellensis? de quo illud scriptum inuenies. Eusebius circumiens Orientem atque Italiam medici pariter & Sacerdotis fungebatur officio. Eusebius Samosatenus etiam simplex unius ciuitatis Episcopus extra tamen suam parochiam pro restituendis collapsis Ecclesias laborauit, ut etiam plures Episcopos ordinauerit. Hæc tu, & alia similia; præsertim Epiphanius laudans, ibidem numero quarto, quod in provincia Hierosolymæ, in uito illius Episcopo IOANNI, Diaconum & Presbyterum ordinauerit: quæ contendis ab his Episcopis propria authoritate.

Raffin. l. II.
c. 17. Socra.
l. 3. c. 7.

Epiphani.
epist. ad lo-
an. Hiero-
sol. inter e-
pist. Hiero.

sanc*t*è facta esse. In quo tecum ipse turpissimè pugnas. Nam si nulla potestas humana, ne quidem Concilij generalis quantumvis magni, facere potest licitum, vt vel Primas, vel Patriarcha, nedum simplex Episcopus, extra fines præscriptos vagetur & in aliena Prouincia Episcopos & Presbyteros ordinet: quomodo probas & laudas hos Episcopos, quos dicis extra suas parochias & præscriptos fines propriâ authoritate excurrisse, in prouincijs alienis Episcopos, imò Metropolitanos & Patriarchas ordinasse? sed sanctissimis Episcopis, vt tibi stultæ cupiditatis tuæ, quo vniuersalis Ecclesiæ audire gestis Episcopus, exempla videantur, quod non fecerunt, imputas: nā que narras, præstiterunt illi non authoritate propriâ, sed vel delegata à Pontifice Romano, qualem habuisse Luciferum & Eusebium Vercellensem in Synopsi meâ demonstrauit, vel potestate Episcopali exercitâ in alienis prouincijs cum facultate & concessione Episcoporum, vel Patriarcharum, in quorum prouincijs eam exercebant.

9. In Epiphanio verò grauissimè peccas, dum factum, quod vix excusari, nedum laudari à Hieronymo meruit adducis, omisis circumstatijs, que illius insolentiam extenuare possunt & confictis ex tuo capite falsitatibus, vt Epiphanius longius à modestia, quam reuera fecit, recensisse existimetur. Nam quod dicis Epiphanium in parochia Ioannis Hierosolymitani & Monasterio Bethleemitico Presbyterum ordinasse Paulinianum fratrem Hieronymi, falsum dicis. Neque enim in Monasterio Bethleemitico, sed in suo quod vetus sancti Epiphanius nomine dictum Hieronymus appellat epist. 67 Epiphanius Paulinum ordinavit, quod non ad parochiam Ioannis sed Eleutoropolitanum pertinuisse, tam ipse, quam Hieronymus constanter, tanquam rem notissi-

tissimam asserunt. Secundò taces hoc fecisse Epiphanium præsumptâ Episcopi licentiâ : ad quam præsumendam dupli ratione probabili mouebatur. Vna erat necessitas Monasterij Bethleemetici, quod in Ioannis parochiâ erat, & Presbytero egebatur. Paulinianus autem , quem ordinari postulabant, se, ne ordinaretur , occultabat. Quare cum inopinatus ad Ecclesiam venisset , vbi Epiphanius erat, Ioanni gratum se facturum Epiphanius sperrabat , si eum pro illo Monasterio Presbyterum consecraret. Secundò ut Epiphanius præfumeret de Diocesani voluntate, fecit mos Episcoporum Cypri, inter quos receptum fuisse dicit, ut si quis à proprio Episcopo fugiat, ne Presbyter fiat, eum quiuis Episcopus , si forsan illi occurrat, ordinet licentiamque præsumat. Quare cum ordinationem Paulinianus fugeret , Epiphanius cum Ordinarij bona venia eum ordinare præsumpsit. Hoc est quod dicit Epiphanius. Ob Dei timorem hoc sumus facere compulsi, maximè cum nulla sit diuersitas in Sacerdotio Dei, & utilitati Ecclesiæ prouidetur. Non vult dicere Epiphanius quemlibet Episcopum ubivis suæ potestatem exercere, sed potestatem ordinandi in omnibus Episcopis equarem esse, & ita quoad hoc non referre à quo quis Episcopo ordinetur, meritoq; Ecclesiæ necessitate exigente, à quoquis Episcopo præsumi licentiam posse.

Igitur inepta sunt exempla quæ profers pro potestate Episcopali vniuersali: tamen multò ineptiora sunt, quæ ad idem propositum magnâ mole per varia capita congregatas Patrum dicta, afferentium Ecclesiam vniuersalem Episcopis concreditam esse. Uno enim verbo magnæ parti voluminis tui plenè respondetur Ecclesiam vniuersalem esse traditam Episcopis simul omnibus, non singulis. Singuli enim

tantum illius partem curant; & ita simili omnibus, non per se singuli vniuersam. Quod autem dicit de sollicitudine, quam Episcopi habuerunt totius ecclesiae, non probanteos in vniuersalem ecclesiam iurisdictionem accepisse, sed tantum Charitatiuam curam, quam omnibus Christianis etiam incumbit, ut commune Reipublicæ Christianæ bonum modis omnibus licetis promoueant. In hac tamen cura Episcopos portet eminere, tum ratione officij, tum quia præstantioribus à Deo donis ornatur, ut ecclesiam iuuare possint.

a Theodor.
epist. ad
Ren. Pres-
byt. Rom.

b Sozom. l. 3.

c. 7.

II.

c Athan. ep.
ad Fælic.

Acac. ep. ad
Symp. Pa-
pam.

d Pateren-
sis in Bre-
uiar. lite-
rali.

e Damas. e-
pist. ad A-
fric.

f Episcopi
Dard. ad
Gelas.

g Paterensis
ubi supra.

h Ambros.
in epist. 1.

Timoth. c. 3
i Iustin in
Cod. Tit. 1.

k Cyprian.

l. 4. epist. 8.

ARTICVLVS II.

De Romano Pontifice.

PRIMA CONCLVSIONE.

ROMANVS Pontifex totius ecclesiarum pastor est, nec eius potestas ullis finibus continetur. Hoc mille testimonij Patrum confirmari posset tam Græcorum, quam Latinorum, qui Romanum Pontificem a omnium per orbem Ecclesiaram ducatum & principatum tenere, b ad eum spectare curam omnium Ecclesiaram, c sollicitudinem omnium Ecclesiaram, d unum esse super Ecclesiam mundi totius, e sanctorum tenere gubernacula Ecclesiaram, f universi orbis terræ Patriarcham, g unum in Catholicæ Ecclesia Episcopum, h Rectorem Ecclesiarum quæ est domus Dei, Romanamq; Ecclesiam matrem & i caput omnium Ecclesiaram & k Ecclesiarum Catholicarum radicem & matricem esse. Hec omitto & tuis verbis te addicam, qui l. 2. c. 5. n. 31. Semper, inquis, Romanus Pontifex habuit protectionem quandam & supereminentiam generalem super omnes Ecclesiias Romani Imperij; cui ius caput temporale sicut erat Roma, ita decuit ut Episcopus Romanus ex charitate & alijs curam quandam generalem susciperet omnium Ecclesiaram.

SECVN-

SECUNDA CONCLV SIO.

Romanus Pontifex habet erga Ecclesiam vniuersam plenitudinem potestatis Episcopalis. Ratio est, quia Petro succedit in cura Ecclesiae vniuersalis, qui a Christo claves singulariter accepit, id est, totam potestatem Ecclesiasticam, ut ex tuis dictis l. primo ostendimus. Præterea probatur ex ea doctrina, quam saepe insulcas: posse quidem Ecclesiam potestatem Episcopi restringere, quoad extensionem, & certæ regioni illigare, non posse tamen eam minuere nec aliquid de plenitudine eius demere. Ita l. 2. c. 5. n. 21. *Tolli quidem potest (inquis) per Ecclesiam tota potestas Episcopalis alicui Episcopo , siue respectu tantum alicuius Ecclesia particularis per translationem, siue omnino per depositionem: sed augeri & minui nullo modo potest , nisi extensiu& ex accidenti.* Hoc polito argumentor. Potestas Episcopalis vbiq; potest exerceri, ibi potest tota & plena exerceri, quia Ecclesia non potest minuere intensionem & plenitudinem potestatis exercendæ, si tantum ex accidenti minuendo extensionem & latitudinem illius. Sed Romanus Pontifex potest superintendantiam suam, id est Episcopatum exercere vbius terrarū: curam enim habet (te fatente) omnium Ecclesiarum. Igitur vbius potest plenitudinem potestatis suę exercere, quia potestatis Pontificiae latitudinem Ecclesia non restringit; plenitudinem vero minuere non restricta latitudine non potest. Sed si concedit vt vbius potestatem exerceat, etiam vt plenitudinem potestatis vbius exerceat concedere necessariò debet.

Secundò probatur, quia Romani Episcopi cura, 13. quæ se ad omnes Ecclesias extendit, Episcopatus vniuersalis est. Nam vocas superintendantiam vniuersalem, quod vocabulum Latinè significat idem, quod Græcè Episcopatus. Episcopatus verò potestas est, cum

vera superioritate & plenitudine potestatis ut tu dicas l.2.c.3.n.12. Igitur potestas Romani Pontificis est vniuersalis Episcopatus cum verâ superioritate vniuersali. Ex quo patet te valde ineptum esse, qui ex nomine superintendentis & speculatoris probare conaris Romanum Pontificem non habere in Ecclesia veram iurisdictionem. l.4.c.9.n. 9. ita scribis. *Vniuersalis superintendentia fecit Romanum Pontificem generali speculatorum ordinarium & primarium, vii ipsi potissimum Ecclesiae vniuersalis necessitatibus intendit, & ei curet subueniri. Speculator autem potestatem non habet coactuam, nec iurisdictionem. monere tantum potest & debet.* Ita tu, Romanum autem Pontificem esse tantum speculatorum probas ex eo, quod Damasus ep. 3. se vocet *speculatorum*, & Augustin. ad Bonfacium Romanum Pontificem dicit illum *celsiori fastigio praeeminere specule pastoralis*. Bernard. etiam at Eugenium. *Blanditur cathedra? specula est: inc denique superintendentis, sonans tibi Episcopi nomine non dominium sed officium.* Hæc omnia nihil contra Pontificis Romani vniuersalem iurisdictionem concludunt: Nam vel admunt Episcopis veram iurisdictionem in Ecclesijs particularibus; vel non admunt Romano in Ecclesia vniuersali. Episcopis enim cathedra specula est, nec aliud significat Episcopi nomine quam officium superintendentis. Igitur si Romanus Pontifex, quia cathedra eius specula est totius Ecclesiae, non sit verus Princeps totius Ecclesiae, etiam Episcopus Ecclesiae particularis cū sedeat in specula non erit verus illius Princeps. & tamen l. 2, cap. 3, nu. 13. dicas eum *praesse cum ver superioritate, & l. 2.c.5. nu. 5. esse Dominum absolutum & independentem, nisi a solo Deo.* Igitur etiam Romanus Pontifex quamvis superintendentis totius Ecclesiae vniuersalis sit; tamen etiam verus superior & Princeps Ecclesiae vniuer-

*Augustin.
contr. duas
Epist. Pelag.
l.1.initio.*

*De confid. l.
2.c.6.*

universalis, quoad ius regiminis, & Dominus absolutus & independens, nisi à solo Deo esse potest. Nec enim dicit Bernardus Episcopum nihil esse, quam merum speculatorum, sed aliud officium in Episcopi nomine non significari, si nominis etymologiam spectes; Episcopus enim Græcè nihil aliud Latinè quam superintendens est. Episcopus autem reuera non solum speculator est, quod nomen Episcopi significat; sed etiam Princeps, ut quamvis vigilare, intendere, admonere, & hortari debeat, hocq; eius officium præcipuum sit, tamen etiā præcipere & punire refractarios possit. Vnde Augustinus aptè Pontificatum Romanum vocat *fastigium speculae pastoralis*; hoc est, supremam & altissimam speculam, non tamen meri præconis & vigilis, sed speculam pastoralem, in qua Princeps & Pastor supremus totius Ecclesiæ sedet. Damasum verò quod affers, quasi libi potestatem iurisdictionis negauerit, cum se speculatorum dixit, mirabilis oscitantia est: cùm dicat ibidem Damasus, se summa tenere Ecclesiæ gubernacula, vt si mandata eius Episcopi negligant, eorum negligentiam inultam non sit passurus. Hoccine est officium meri speculatoris & vigilis, nō etiam gubernatoris & Principis? Igitur cathedra Romani Pontificis specula est, in quâ toti Ecclesiæ adiungilare debet; sed specula Pastoralis & gubernatoria est, ex qua toti Ecclesiæ imperare potest.

TERTIA CONCLV S IO.

Romanus Episcopus plenitudinem potestatis in 14. totam Ecclesiam habet iure diuino. Ex dictis patet. Nam potestatis plenitudinem habet per successionem à Petro, in quo fuit per Christum diuinitus instituta. Sed probatur etiam argumento ex duobus dictis tuis celeberrimis sumpto, vt appareat quam

habuerunt. Patet ex dictis, quia vel omnes Episcopi succedunt Apostolis in potestate vniuersali vel nulli: neque enim (vel te fatente) maior ratio de uno Episcopo est, quam de alio. Sed omnes & singuli non succedunt Apostolis, ut iam probatum est. Igitur nulli succedunt. Secundò vel in potestate vniuersali succeditur omnibus Apostolis in solidum, vel singulis. Omnibus in solidum non succedi iam demonstrauimus: singulis autem non succedi tu contendis, & per te patet. Nam qui sunt illi duodecim Episcopi vniuersales, qui vndecim Apostolis & Paulō, singuli suo proprio successori succedunt? Ratio huius conclusionis est. quia potestas quæ data est cōmunitati, non ad regimen illius, sed vt opus in ea perficiatur, nō est potestas cōmunitati ordinaria, quæ successione continuari debeat; sed extraordinaria, quæ finito opere, ad quod cōcessa fuit exspirat. Sed potestas duodecim Episcoporum vniuersaliū, qui quācunq; in mundi regione vellēt Ecclesias fundarent & instituerent, non fuit data ad regimen Ecclesiæ iam constitutæ & fundatæ, sed ob opus temporale perficiendum: nimirū vt illi duodecimi Episcopi excurrentes Ecclesiam vnam per orbem plantarent & erigerent. Igitur hoc opere perfecto potestas illa vniuersalis duodecim Episcoporum, quæ sicut foundationē Ecclesiæ promouit, ita Ecclesiæ iam fundatæ pacē & vnitatē turbare posset, cessare debuit, & loco illius succedere Episcopalis propriè certis sedibus affixa. Hanc tu (in inconstantia perpetuus & constans) veritatem l.z.c. 7.n. 4: aperte doces in hæc verba: *Illato in omnes orbis partes (inquis) per Apostolos Euangelio excursus non erat necessarius. Sed iam vnicuiq; Episcopo erat circa propriam Ecclesiam labrandum.* Hæc tu. quæ ostendunt Apostolorū potestatem extraordinariā fuisse. Nam post tempus Apostolorū dicis excursum amplius necellarium non fuisse.

ibid.

Vnde

Vnde in inferno nequè potest illud tempus necessarios fuisse. Episcopos vniuersales, qui eūtes docerent omnes gentes; atq; adeo potestate vniuersalem datam Apostolis per hæc verba; *Euntes docete omnes gentes, exspirasse.* Probatur, quia potestas data suppositâ necessitate excurrendi & in præcepto excursionis inclusa cessat cessante necessitate & præcepto excursionis. Sed potestas, quæ continetur in his verbis, *Euntes docete omnes gentes;* supponit necessitatē excurrendi & datur cum præcepto & onere excurrendi; sunt enim verba imperativa & imperando excursionem, facultatē excurrendi dant. Sed excursus desijt esse necessarius & præceptum excursionis Apostolicæ cessauit mortuis Apostolis, vt tu concedis. Igitur ius excurrendi cum potestate Apostolicâ vbius gentium Ecclesias constituendo cessauit; atque adeo ordinaria non fuit.

TERTIA CONCLUSIO.

Singuli Episcopi (successore Petri excepto) potestatē in Ecclesiam vniuersalē nullo iure habent. Tu diuino iure eos potestatē vniuersalem habere asseris, non tamē Ecclesiastico. In quo tecū ipse ineptissime pugnas, & ius diuini & Ecclesiastici inter se pugnare facis. Nam l. 3. c. 2. n. 1. & alibi in illies conceptis verbis dicis singulorū Episcoporū potestatē iure Ecclesiastico certis sedib. & Dicebis arctatq; & alligata ēlo. At l. 2. c. 7. n. 4. & 5. & alibi sēpissimē affirmas iuri re diuino vniuersalē in vnoquoq; Episcopo potestatē esse, quā liberè exercere potest vbi cunq; charitas posculauerit; hæc autē inter se aperte pugnant. Nam si Episcopi iure diuino possunt, quādō charitas vrget, vbi cunq; voluerint suam potestatem exercere; igitur eorū potestas ad certam diocesim ne iure quidē Ecclesiastico limitata est. Cōsequentia patet. quia potestas Episcoporū, vt vbi cunq; voluerint suā potestatē exerceat, nihil aliud quā ius est, vt hoc fieri possint.

Sed

Sed singuli Episcopi ius habent illudque amplissimum, diuinum scilicet, quascunq; Ecclesiis vbi cunq; voluerint gubernandi, & quoscunq; fideles ligandi & soluendi, vbi charitas hoc postulat: non suadente autem charitate, ne quidem in sua dioecesi soluere & ligare possunt. Quomodo igitur habent potestatem suam arctatam & limitatam iure Ecclesiastico, quam non obstante iure Ecclesiastico adhuc iure diuino amplissimam habent? si dicas ius diuinum, quod habebant olim Episcopi regendi Ecclesiias omnes, abrogatum ipsis esse iure Ecclesiastico, quo stante non possunt vbiuis docere, sed tantum in suis Ecclesijs: hoc (inquam) si dicas iam destruis, quod millies affirmas, in Episcopis potestatem vniuersalem adhuc esse. Nam si potestatis vniuersalitatem Ecclesia ipsis iure abstulit; si suo illos iure diuino, quo omnia vbiuis poterant, meritò priuauit: certè iam nec iure diuino, suam vbiuis potestatem exercere possunt: Præterea si singuli Episcopi iure diuino possunt quando charitatem hoc postulare censuerint, suam potestate in vbiuis exercere: quo iure Ecclesia hoc eos iure priuauit? quomodo statutum Ecclesiasticum ius censeri debet, quod cum diuino è diametro pugnat, vt illud pugnare tu facis? Nam si tibi credimus, ius diuinum nunc præcipit singulis Episcopis, quod olim præcepit Apostolis; *docete omnes gentes*; ius diuinum vnicuique Episcopo dicit quod dictum est Petro, nec minus absolute & sine vllâ restrictione, quam illi; *pasce oues meas*: ius autem Ecclesiasticum hoc prohibet dicens Episcopis; *nolo doceatis omnes gentes*; *nolo pascatis vniuersas Christi oues*, sed tantum populos & oues, certæ ciuitatis. *Quis non videat hæc duo iura & præcepta inter se puguantia esse.* & Ecclesiam per tua dicta probari impiam, quæ prohibeat, quod Christus expresse præcepit? Si dicas, hoc ius diuinum datum.

episcopum dependentia, & subordinatione ad Ecclesiam, & ideo iustis de causis auferri ab Ecclesia posse: hoc inquam si dixeris, Ecclesiam hoc posse non nego; atque adeo cum hoc iustas ob causas fecerit, sequitur, ius vniuersale iam in Episcopis nullum esse.

QUARTA CONCLVSION.

Quod Episcopus huic certae sedi praesit potius, quam alteri, iuris Ecclesiastici est: tamen Episcopum certae alicui sedi alligari ius diuinum postulat. Probatur ex varijs dictis tuis, quibus tui immemor clarissime hoc asseris & probas. Primus locus l.3 c.1.n.4. cum protulisses illud Cypriani; *Episcopatus unus est, Cyprian. l.1. tuius à singulis in solidum pars tenetur. & item. singulus epist. 3. pastorum portio gregis est adscripta, quam regat unusquisque & gubernet. Huius locis (inquis) satis explicat Cyprianus diuinam institutionem , vt Ecclesia unica sit unitate, quam modo dicebam, & Episcopatus unus : sed nunquid unus Episcopus huic toti Episcopatu praeest ? minime verd.* Sed singulus (inquit) est sua portio assignata. Hæc tu: Ex quibus verbis sic arguo. Episcopatus unus, cuius à singulis Episcopis in solidum pars tenetur, diuina institutio est. Sed si potestas singulorum Episcoporum non sit diuina institutione ad certas sedes & partiales Ecclesiæ restricta, sed ad omnes & singulas Ecclesiæ iure diuino extensa; diuina institutio non est Episcopatus unus, cuius à singulis in solidum pars teneatur, sed Episcopatus unus, qui totus & integer à singulis in solidum teneatur. Igitur si tibi constare vis, si Cypriano consentire, Episcopalem potestatem fateri debes ad partem Ecclesiæ seu Ecclesiæ partiale diuinam institutione restringi.

Sectundus locus est l.3. in proemio n.2. Explicans regimen à Deo institutum in Ecclesia , ita loqueris. Ecclesia (inquis) est vinea, in quam Pater familias con-

duxit operarios multos, qui non confusè se in opere & labore vineaq; solerti culturā præpedirent, sed ordinate in ea omnes, quisq; in parte suā ad consequendum denarium diurnum laborarent. l.3.c.1.n.13. Vnde hæc magna, diuinā dispositione, in multis sunt diuisa: vi vnuſquaq; operariis suam partem excolet. Hæc tu: vbi tibi ipsi contrarius dicas Deum tria instituisse. Primiō, vt in Ecclesia multi Episcopi sint. Secundiō, vt non confusè Ecclesiam gubernent, sed ordinate. Tertiō hunc ordinem diuinitus institutum in hoc positum esse, vt quisque in sua parte laboret, nec in alienam prouinciam tal- cem suam mittat. Igitur Episcopi diuino iure & in- stitutione potestatem habent, vt tantum in parte sua laborent, nec se possint in reliquas Ecclesiæ partes pro libitu extendere; nec charitas hoc ab eis postu- lare, sed tantum superbia potest.

Tertius locus est l.2.c.5.n.21. iū, inquis, qui in Eccle- sia potest mittere Episcopos, quod est ordinare, potest mit- tere aliquem ad tales populum, deinde ad alium; & ita con- sequenter aufer potestatem illi Episcopo erga priorem populum & confert erga alium. Qui potuisses aperiūs limitatam Episcoporum potestatem afferere? cum fit, inquis, Episcopus vnius populi & ciuitatis, tolli- tur illi potestas supra populum & ciuitatem cuius an ea Episcopus erat. Non igitur potestas Episcopa- lis vniuersalis est, quæ simul ad plures vel ad omnes Ecclesiæ se extendat, sed limitata, quæ simul non nisi in vnum certum populum haberi poscit.

Quartus locus. l.4.c.4.n.18. dicas potestatem Epis- copalem esse ita certis finibus circumscritam, vt quisque Episcopus sua dioecesi contentus esse debeat: neque ullus (in- quis) Episcoporum numerus in Concilio congregatus, licet maior Niceno, potest hoc conuellere, aut lucrum facere, vt Patriarcha quicunq; seu Primas aut Metropolitanus posset in alienam Provinciam, extra proprios fines legitime pre- scriptos

scriptos se extendere, præsertim in ordinationibus Episcoporum seu Metropolitanorum faciendis. Hæc tū: quæ vera non possunt esse, nisi restrictio protestatis Episcopalis ad certam diœcesim diuini iuris sit. quia quod iuris humani tantum est, potest Concilium generale mutare & conuellere, si conuenire Reip: Christianæ videatur. Sed hanc limitationem diœcesium, vt tu fateris, nec concilium quamlibet magnum potest conuellere, nec statuere licitum esse & officium charitatis ut Episcopus in alienam Provinciam suam potestatē pro arbitrio exerceat. Igitur limitatio Episcoporum ad suas diœceses diuini iuris est, & ab Ecclesia immutabilis.

Hinc sequitur quām sint inepta, quæ producis exempla, vt probes Sanctissimos olim Episcopos suis se limitibus non continuuisse, sed virtuosa regula Ecclesiæ regimen propriâ authoritate usurpasse. In primis, quod prius in consilio profectionis tua dixeras de Lucifero Calaritano & Eusebio Vercellenti, hic iterum repetitis libro secundo, capite septimo, numero nono. Quid (inquis) non fecit Antiochæ Lucifer Calaritanus in Sardinia Episcopus, vt pacem in Ecclesia componeret, qui & Episcopum in ea ordinauit Paulinum? quantum in ea laborauit Eusebius Vercellensis? de quo illud scriptum inacues. Eusebius circumiens Orientem atque Italiam medici pariter & Sacerdotis fungebatur officio. Eusebius Samosatenus etiam simplex unus ciuitatis Episcopus extra tamen suam parochiam pro restituendis collapsis Ecclesias laborauit, vt etiam plures Episcopos ordinauerit. Hæc tu, & alia similia; præsertim Epiphanius laudans, ibidem numero quarto, quod in provincia Hierosolymæ, inuito illius Episcopo I O A N N E, Diaconum & Presbyterum ordinauerit: quæ contendis ab his Episcopis propria authoritate.

Raffin. l. II.
c. 17. Socra.
l. 3. c. 7.

Epiphanius.
epist. ad Iohannem Hieronimum,
sol. inter epist. Hieronim.

60.

sanc*t*è facta esse. In quo tecum ipse turpissem pugnas. Nam si nulla potestas humana , ne quidem Concilij generalis quantumuis magni, facere potest licitum, vt vel Primas, vel Patriarcha , nedum simplex Episcopus, extra fines præscriptos vagetur & in aliena Prouincia Episcopos & Presbyteros ordinet: quomodo probas & laudas hos Episcopos , quos dicas extra suas parochias & præscriptos fines propriâ authoritate excurrisse , in prouincijs alienis Episcopos, imò Metropolitanos & Patriarchas ordinasse? sed sanc*t*issimis Episcopis , vt tibi stultæ cupiditatis tuæ, quo vniuersalis Ecclesiæ audire gestis Episcopus, exempla videantur, quod non fecerunt, imputas: nā que narras, præstiterunt illi non authoritate propriâ, sed vel delegata à Pontifice Romano , qualem habuisse Luciferum & Eusebium Vercellensem in Synopsi meâ demonstrauit; vel potestate Episcopali exercitâ in alienis prouincijs cum facultate & concessione Episcoporum , vel Patriarcharum , in quorum prouincijs eam exercebant.

9. In Epiphanio verò grauissimè peccas , dum factum, quod vix excusari, nedum laudari à Hieronymo meruit adducis, omissis circūstatijs, que illius insolentiam extenuare possunt & confictis ex tuo capite falsitatibus , vt Epiphanius longius à modestia, quam reuera fecit, recensisse existimetur. Nam quod dicis Epiphanium in parochia Ioannis Hierosolymitani & Monasterio Bethleemitico Presbyterum ordinasse Paulinianum fratrem Hieronymi , falsum dicis. Neque enim in Monasterio Bethleemitico, sed in suo quod vetus sancti Epiphanius nomine dictum Hieronymus appellat epist. 67 Epiphanius Paulinum ordinavit , quod non ad parochiam Ioannis sed Eleutoropolitanum pertinuisse , tam ipse, quam Hieronymus constanter, tanquam rem notissi-

tissimam afferunt. Secundò taces hoc fecisse Epiphanium præsumptâ Episcopi licentiâ : ad quam præsumendam dupli ratione probabili mouebatur. Vna erat necessitas Monasterij Bethleemetici, quod in Ioannis parochiâ erat, & Presbytero egebatur. Paulinianus autem , quem ordinari postulabant, se, ne ordinaretur, occultabat. Quare cum inopinatus ad Ecclesiam venisset, vbi Epiphanius erat, Ioanni gratum se facturum Epiphanius sperrabat , si eum pro illo Monasterio Presbyterum consecraret. Secundò ut Epiphanius præsumeret de Diocesani voluntate, fecit mos Episcoporum Cypri, inter quos receptum fuisse dicit, ut si quis à proprio Episcopo fugiat, ne Presbyter fiat, eum quiuis Episcopus , si forsan illi occurrat, ordinet licentiamque præsumat. Quare cum ordinationem Paulinianus fugeret , Epiphanius cum Ordinarij bona venia eum ordinare præsumpsit. Hoc est quod dicit Epiphanius. Ob Dei timorem hoc sumus facere compulsi, maximè cum nulla sit diuersitas in Sacerdotio Dei, & utilitati Ecclesiæ prouidetur! Non vult dicere Epiphanius quemlibet Episcopum vbiuis sua potestatem exercere, sed potestatem ordinandi in omnibus Episcopis equarem esse, & ita quoad hoc non resserre à quo quis Episcopo ordinetur, meritoq; Ecclesiæ necessitate exigente, à quo quis Episcopo præsumi licentiam posse.

Igitur inepta sunt exempla quæ profers pro potestate Episcopali vniuersali: tamen multò ineptiora sunt, quæ ad idē propositum magnâ mole per varia capita congregatas Patrum dicta, afferentium Ecclesiam vniuersalem Episcopis concreditam esse. Uno enim verbo magnæ parti voluminis tui plenè respondetur Ecclesiam vniuersalem esse traditam Episcopis simul omnibus, non singulis. Singuli enim

tantum illius partem curant; & ita simili omnibus, non per se singuli vniuersam. Quod autem dicit de sollicitudine, quam Episcopi habuerunt totius Ecclesiae, non probateos in vniuersalem Ecclesiam iurisdictionem accepisse, sed tantum Charitatiuam curam, quae omnibus Christianis etiam incumbit, ut commune Reipublicae Christianae bonum modis omnibus ligatis promoveant. In hac tamen cura Episcopos portet eminere, tum ratione officij, tum quia praestantioribus à Deo donis ornatur, ut Ecclesiam iuare possint.

a Theodor.
epist. ad
Ren. Pres-
byt. Rom.
b Sozom. L. 3.
c. 7.

ARTICVLVS. II.

De Romano Pontifice.

PRIMA CONCLUSIO.

ROMANVS Pontifex totius Ecclesiae pastor est, nec eius potestas ullis finibus continetur. Hoc mille testimonij Patrum confirmari posset tam Græcorum, quam Latinorum, qui Romanum Pontificem a omnium per orbem Ecclesiarum ducatum & principatum tenere, b ad eum spectare curam omnium Ecclesiarum, c sollicitudinem omnium Ecclesiarum, d vnum esse super Ecclesiam mundi totius, e sanctorum tenere gubernacula Ecclesiarum, f vniuersi orbis terræ Patriarcham, g vnum in Catholica Ecclesia Episcopum, h Rectorem Ecclesiae quæ est domus Dei, Romanamq; Ecclesiam matrem & i caput omnium Ecclesiarum & k Ecclesiae Catholicae radicem & matricem esse. Hec omitto & tuis verbis te addicam, qui l. 2. c. 5. n. 31. Semper, inquis, Romanus Pontifex habuit protectionem quandam & supereminenter generali super omnes Ecclesias Romani Imperii; cui ius caput temporale sicut erat Roma, ita decuit ut Episcopus Romanus ex charitate & alijs curam quandam generali l. 4. epist. 8. susciperet omnium Ecclesiarum.

SECVN-

Romanus Pontifex habet erga Ecclesiam vniuersam plenitudinem potestatis Episcopalis. Ratio est, quia Petro succedit in cura Ecclesiae vniuersalis, qui a Christo claves singulariter accepit, id est, totam potestatem Ecclesiasticam, ut ex tuis dictis l. primo ostendimus. Præterea probatur ex ea doctrina, quam saepe inculcas: posse quidem Ecclesiam potestatem Episcopi restringere, quoad extensionem, & certæ regioni alligare, non posse tamen eam minuere nec aliquid de plenitudine eius demovere. Ita l. 2. c. 5. n. 21. *Tolli quidem potest (inquis) per Ecclesiam tota potestas Episcopalis alicui Episcopo , siue respectu tantum alicuius Ecclesiae particularis per translationem, siue omnino per depositionem: sed augeri & minui nullo modo potest , nisi ex tensiue & ex accidenti.* Hoc polito argumentor. Potestas Episcopalis vbiq; potest exerceri, ibi potest tota & plena exerceri, quia Ecclesia non potest minuere intensionem & plenitudinem potestatis extendere, si tantum ex accidenti minuendo extensionem & latitudinem illius. Sed Romanus Pontifex potest superintendantiam suam, id est Episcopatum exercere vbius terrarum: curam enim habet (te fateente) omnium Ecclesiarum. Igitur vbius potest plenitudinem potestatis suę exercere, quia potestatis Pontificiae latitudinem Ecclesia non restringit; plenitudinem vero minuere non restricta latitudine non potest. Sed si oncedit vt vbius potestatem exerceat, etiam vt plenitudinem potestatis vbius exerceat concedere necessariò debet.

Secundò probatur, quia Romani Episcopi cura, 13. quæ se ad omnes Ecclesias extendit, Episcopatus vniuersalis est. Nam vocas superintendantiam vniuersalem, quod vocabulum Latinè significat idem, quod Graecè Episcopatus. Episcopatus verò potestas est, cum

vniuersalis ; quoad ius regiminis , & Dominus absolutus & independens , nisi à solo Deo esse potest . Nec enim dicit Bernardus Episcopum nihil esse , quam merum sp̄culatorem , sed aliud officium in Episcopi nomine non significari , si nominis etymologiam spectes ; Episcopus enim Græcè nihil aliud Latinè quam superintendens est . Episcopus autem reuera non solum speculator est , quod nomen Episcopi significat ; sed etiam Princeps , ut quamvis vigilare , intendere , admonere , & hortari debeat , hocq; eius officium præcipuum sit , tamen etiā præcipere & punire refractarios possit . Vnde Augustinus aptè Pontificatum Romanum vocat *fastigium speculae pastoralis* ; hoc est , supremam & altissimam speculam , non tamen meri præconis & vigilis , sed speculam pastoralē , in qua Princeps & Pastor supremus totius Ecclesiæ sedet . Damasum verò quod affers , quasi libi potestatem iurisdictionis negauerit , cum se sp̄culatorem dixit , mirabilis oscitantia est : cùm dicat ibidem Damasus , se summa tenere Ecclesiæ gubernacula , vt si mandata eius Episcopi negligant , eorum negligentiam inultam non sit passurus . Hoccine est officium meri speculatoris & vigilis , nō etiam gubernatoris & Principis ? Igitur cathedra Romani Pontificis specula est , in qua toti Ecclesiæ adiungilare debet ; sed specula Pastoralis & gubernatoria est , ex qua toti Ecclesiæ imperare potest .

TERTIA CONCLVSIO.

Romanus Episcopus plenitudinem potestatis in 14. totam Ecclesiam habet iure diuino . Ex dictis patet . Nam potestatis plenitudinem habet per successiōnem à Petro , in quo fuit per Christum diuinitus instituta . Sed probatur etiam argumento ex duobus dictis tuis celeberrimis sumpto , vt appareat quam

parum niētis tibi insit, qui duodecennali studio melius tua scripta non expēderis. Nam primo doces unumquemque Apostolum habuisse potestatem amplissimam & plenissimam in Ecclesiis iure diuino & institutione Christi. Secūdo quemlibet Episcopum, atque adeo Romanum iure diuino habere non minorem potestatem, nec minus vniuersalem, quam Apostoli, nisi ab Ecclesia restringatur. Ex quibus sequitur, vt Episcopus Romanus sit totius Ecclesiae pastor non requiri ius humanum Ecclesiasticum, sed satis est ut illi relinquatur ius, quod diuinitus habet, nec iure Ecclesiastico abrogetur. Nam si Romanus Episcopus, iure diuino & institutione Christi, habeat eandem prorsus autoritatem vniuersalem, quam habuit Petrus Princeps Apostolorum, vt eum habere tu affirmas, erat totius Ecclesiae pastor & Princeps non minus quam Petrus fuit solo iure diuino, etiam si nullum ius Ecclesiasticum illi addatur. Neque ius Ecclesiasticum hanc illi potestatem dedit; sed diuinitus illi datam & institutionam confirmauit. Addo hoc polito Ecclesiam ius vniuersale Pontifici abrogare non posse. Probatur, quia ius Romani Pontificis in Ecclesiam vniuersam diuinum est, nec minus absolutum & independens ab Ecclesiā, quam fuit Petri & Apostolorum. Nam ius illud ipsum est successione acceptum, vt tu fateris. Sed Petri & Apostolorum ius in Ecclesiam vniuersam, ita diuinum fuit, & ita absolutum, vt Ecclesia hoc illis ius abrogare non potuerit; præsertim Petro, qui singulariter hoc ius vniuersale speciali Christi præcepto accepit. Igitur ius vniuersale Romani Pontificis diuini iuris est, nec ab Ecclesia illi auferri potest. Quod autem dicis eandem esse omnium Episcoporum rationem; iam satis eos ostendi limitatas habere dioceſes

cesses iure diuino etiam ex suis dictis. Quibus aliud addo ex lib. 2. cap. 2. num. 3. ubi dum confutas sententiam sanctorum Patrum, qui dicunt Paulum & Barnabam ab Ecclesia ordinatos Episcopos fuisse. a quoniam, obsecra (inquis) dicuntur iniciati? num ab Apostolis? certe ab alio quam ab Apostolo, & Apostoli & Episcopi vniuersales non alicuius certa ciuitatis, sed totius vniuersitatis gentium non poterant ordinari. Ex quo dicto hoc formo argumentum. Si singuli Episcopi iure diuino haberent potestatem vniuersalem, cum tota plenitudine potestatis, non minus quam Apostoli; potuissent Episcopos vniuersales ordinare non minus quam Apostoli. Sed te fatente, Episcopi vniuersales pro tota Ecclesia non poterant ab alio, quam Apostolo ordinari. Igitur Episcopi singuli distincti ab Apostolis iure diuino non sunt vniuersales, sed certis limitibus includuntur.

Secundò probatur, quia Pontifex semper habuit ius regiminis, seu superintendentiæ in omnes Ecclesiæ, ut concedis lib. 2. cap. 5. n. 32. semper enim (inquis) Sunimus Pontifex superintendentiam generalem super omnes Ecclesiæ habuit, sed semper habere non potuit aliud ius, quam diuinum. Nam ius humanum siue Ecclesiasticum, siue laicum Imperatorium semper non habuit ut per se patet. Igitur si semper meritò & iure habuit superintendentiam & curam omnium Ecclesiarum, eam iure diuino habuit. Dices, Pontificem Romanum habuisse hoc ius ante Concilia & Christianos Imperatores ex consuetudine: in qua sententiâ citas Damasum, l. 4. c. 10. n. 23. qui dicit ep. 5. ad Romanum Pontificem omnes controversias & causas referre debere, ut ad caput, sicut semper fuit consuetudo. Fatetur (inquis) Romanum Pontificem esse caput non iure diuino sed ex consuetudine, sed falleris: non enim

enim dicit Damasus Romanum Pontificem caput totius Ecclesiæ ex consuetudine esse, sed contrariū; ideo Ecclesiam Romano Pontifici perpetuâ consuetudine detulisse, quia caput erat. Nam si antè consuetudinem Ecclesiæ non erat caput opinione Ecclesiæ, rectè perpetua consuetudo nō retulit causas ad Pontificem ut ad caput, sed ad illum causas deferendo caput fecit. Cur autem Ecclesia vniuersa Romano Pontifici potius deferret, quam alteri, si hoc illi iure debitum non fuisset?

16. Dices l. 4. c. 3. caput fuisse non potestate, sed dignitate, ob quadruplicem scilicet dignitatem Ecclesiæ Romanæ; quia fundata à Petro & Paulo; quia mater plurimarum; quia fidei purissimæ; quia Metropolis Imperij. Sed contra est, quia quoad dignitatem sacram, Hierosolymam Romā angustiorem esse ipse contendis: primo quoad fundationem: nam Ecclesia Hierosolymitana fuit à Christo gubernata, & ab Apostolis præsertim à Petro multis annis: Romana verò Ecclesia (si tu verum dicis l. 4. cap. ii. num. 3r.) Petrum vix hospitem ad paucos menses habere meruit: quanquam illo loco tibi ipse non constes, cum dicas tunc Petrum Romanæ Ecclesiæ fuisse Rectorem; quomodo enim Rector, si non nisi hospes? Secundò quoad maternitatem. Nam l. 3. c. 4. num. 8. ita scribis: *In hoc maternitatis priuilegio Romanam Ecclesiam debet Hierosolymitana longè anteire: hec enim, sicut reuera est, ita dicitur mater omnium Ecclesiarum, ut si Roma mater, Hierosolyma avia sit omnium Ecclesiarum.* Tertiò quoad fidei puritatem. Nam lib. 4. cap. 3. n. 9. dicas Hierosolymam fuisse fidei & doctrinae magistrum celeberrimam, & ideo Romanæ vel superiorem hoc titulo vel parem. Que profectò satis probant non ideo Ecclesiam semper coluisse Romanum Pontificem, ad eumque causas omnes detulisse, se, so-

se, solum quod esset Episcopus Ecclesiæ à nobilissimis Apostolis fundatae, matris plurimum, & fidei puritate praestantis, cum fuerit olim in orbe Ecclesia his personalibus priuilegijs Romanam excellenter, ad cuius tamen Episcopum causæ omnes Ecclesiæ velut ad caput relatae perpetuâ consuetudine non fuerunt. Sola restat dignitas Imperij temporalis, quâ cæteris eminuit Roma, ob quam dicas ad Romanum Pontificem regimen vniuersale præcipuum pertinuisse: Verum in eo te falli vel inde perspicuum est, quia plurimæ Ecclesiæ extra imperium, Imperatori non subditæ, nec Romanæ Vrbis dignitatem temporalem æstimantes, tamen Romanæ Ecclesiæ primatum agnoscebant, Romano Episcopo libenter suberant: adeò ut Roma (inquit Leo) per sedem Petri caput orbis effecta latius præsideret religione diuinâ, quam dominatione terrenâ. Has Ecclesias non mouit Romanæ ciuitatis temporalis authoritas, vt eius Episcopo parerent. Igitur præter prædicta priuilegia ius semper habuit Romanus Pontifex vt caput esset omnium Ecclesiarum. Non habuit autem semper humanum. Restat igitur vt semper diuinum haberet. *de Na. apostol.*

ARTICULUS III.

De titulo Episcopi Vniuersalis.

HAc obiectione contra primatum Romanum nulla vulgatior: In quâ tu caput integrum, septimum scilicet quarti libri tui, consumis. Ego breuiter ostendam ex tuis dictis te trita hæreticorum argumenta, multo quam cæteri soleant ineptius urgere.

Dico primum: certæ ciuitatis Episcopum regnentem

vni-

vniuersale sibi arrogare nullo alio titulo, quam sedilius amplitudinis ciuitatis suae illicitum & impium est. Probatur, quia ius diuinum postulat ut plures in Ecclesia Episcopi sint & copiosum corpus Sacerdotum concordiae glutino copulatum: sed si quis vnum certae sedis Episcopus, regimen vniuersale Episcopale habeat solo titulo amplitudinis ciuitatis, consequens est ut solus Episcopus sit. Nam ciuitates, quae partes sunt vnius certi & particularis Episcopatus, per se Episcopatus non sunt; sicut partes vnius certi regni per se integrâ regna non sunt. Sed si quis iure solius amplitudinis ciuitatis, in qua Episcopus est, haberet regimen Episcopale omnium ciuitatum, quae sunt in mundo, lequeretur ciuitates omnes mundi, vnius particularis Episcopatus partes esse. Igitur si quis sit Episcopus vniuersalis solo titulo amplitudinis ciuitatis suae, solus Episcopus est; & reliquæ ciuitates non nisi partes vnius magnæ curæ Episcopalis erunt, quod asserere impium est. Hinc patet te lib. 4. cap. 10. num. 55. verba Irenæi dicentis

Lib. 3. cont. necesse esse ad Ecclesiam Romanam propter potentiores c. 3. principalitatem omnibus conuenire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt vndeique fideles, sequitur, inquam, te male, ne dicam impie hanc curam vniuersalem fundare in temporali prærogativa ciuitatis. Nam si omnes Ecclesiæ & fideles, qui sunt vndeique, propter vniuersale regimen ciuale deberent Romanæ Ecclesiæ, & Episcopo adhærere, sequetur omnes Ecclesias reliquias non esse nisi partes particularis Episcopatus Romani & Pontificis curam, quæ præcise Romanus est, ad eas omnes se extendere; atque adeo Romanum solum Episcopatum esse.

18. Dico secundò certæ sedis Episcopus iure diuinitudinem vel

vel Ecclesiastico potest totius Ecclesiae curam Episcopalem gerere, nec hoc cæteris Episcopis ausert dignitatem. Probatur. quia si non posset certæ sedis Episcopus iure diuino vel Ecclesiastico subesse omnes Episcopos continere, sequeretur nullum certæ sedis Episcopum posse sub se iure diuino vel Ecclesiastico plures Episcopos habere. Nam si Episcopi, qui sub certæ sedis Episcopo iure diuino vel Ecclesiastico sunt, hoc ipso non sint Episcopi, sequitur certæ sedis Episcopo nulos veros Episcopos subiici posse; si vero Episcopi certæ sedis Episcopo iure diuino vel Ecclesiastico subesse possunt, nec ideo dignitas illis Episcopalibus eripitur; profectò ius diuinum vel Ecclesiasticum posset omnes Episcopos vni Episcopo subiicere, nec tamen desinenter esse Episcopi. Nam si potest certæ sedis Episcopus sub se habere decem, verbi gratia, veros Episcopos iure diuino vel Ecclesiastico illi subditos, cur non habere possit etiam viginti? cur non centum? cur non mille & omnes.

Dico tertio. Ioannem Episcopum Constantinopolitanum, cui restitit Gregorius Magnus, sibi titulum Episcopi vniuersalis arrogasse ex solo titulo amplitudinis ciuitatis Constantinopolitanae, non iure diuino vel Ecclesiastico. Patet quia neque ius diuinum, neque Ecclesiasticum Ioannes pro suo Episcopatu vniuersali vel habebat vel allegabat, sed tamum splendorem ciuilem ciuitatis Constantinopolitanae, ob quem sibi deberi dicebat potestatem vniuersalem in cæteros Episcopos omnes, tamen cum subiectione ad Romanum. Quâ suâ arrogantiâ cæteris Episcopis nomen & Episcopalem dignitatem abrogabat, verbo magis quam mente, neque enim vim vocis vniuersalis Episcopi intelligebat, quod propterera vocabulum *stultum* Gregorius appellat.

*Gregor. l. 4.
indict. 23.
epis. 32. 34.
36. 38 & l.
7. ind. 1. ep.*

l. 8. Ep. 302

Dico

20. Dico quartò: Romano Episcopo cura omnium Ecclesiarum & Episcopatus vniuersalis incumbit iure diuino, neque hanc vniuersalem curam titulo regiae ciuitatis sibi arrogat: immo hoc nomine eam sibi tribui molestè fert. Ex quo patet Romani Pontificis vniuersalem primatum non obstat quin veri præter ipsum Episcopi sint. Hoc declaratur exemplo. Si Londinenlis Episcopus titulo ciuitatis, quæ Metropolis Angliæ est, omnes Angliæ ciuitates & oppida ad suam curam pertinere iactitaret; certè reliquis Episcopis Episcopatum abrogaret, nec eos nisi magni Londinensis Episcopatus partes ficeret. Verum si Regis, qui gubernator supremus Ecclesiæ in spiritualibus in Anglia audit, Vicarius fiat, & hoc nomine omnes Episcopos sibi subiecti diceret: non idcirco cæteris nomen Episcopale eriperet. Ita Ioannes, qui solo titulo ciuitatis omnes Episcopatus ad suam curam pertinere dicebat cæteris nomen Episcopi abrogabat; Romanus vero, qui præter specialem curam Ecclesiæ Romanæ se quoque Christi Vicarium totâ Ecclesiâ speciali iure constitutum dicit, nihil dicit ex quo sequatur cæteros Episcopos nomine & dignitate Episcopi priuari.
21. Hinc sequitur argumenta septem, quæ tu l. 4. c. 72 n. 22. colligis ex Gregorio contra vniuersalem Episcopatum concludere contra Episcopatum Constantinopolitanum fundatum in magnitudine ciuitatis, non aduersus primatum vniuersalem Romanum fundatum in iure diuino. Primum est. Qui se Episcopum vniuersalem dicit, cæteris nomen & dignitatè aufert & se solum Episcopum facit. Hoc argumentum militat contra Constantinopolitanum, non contra Romanum. Nam Romanus non se Episcopum vniuersalem facit, sed à Deo constitutus est. Ioannes vero Constantinopolitanus seipsum vniuersa-

uersalem Episcopum ex magnitudine ciuitatis faciebat, cum nec institutione diuina, nec Ecclesiastica talem Episcopatum haberet. Igitur Ioannes reliquis Episcopis nomen Episcopi auferebat non Romanus. Secundum Luciferianū est, velle unum Episcopum se super alios Episcopos, qui sunt astra cæli & Ecclesiæ nubes efferre. Hoc etiam argumentum contra Constantinopolitanum facit, non contra Romanum. Nam qui de pulchritudine naturali ciuitatis terrena superbiens, se supra cæteros effert, quibus nullo iure superior est (quod Ioannes fecit) Lucifero similis est, qui suæ naturæ splendore delectatus cæteris Angelis præesse gestiebat, quibus diuinâ institutione non præficiebatur. At Romanus Episcopus, non ex humanâ aut naturali præstantia ciuitatis Romanae, sed diuinâ institutione se cæteris Episcopis præstare dicit, nec se effert ipse, sed à Deo præponitur. Tertium. Qui se Episcopum vniuersalem facit, schisma aperit & inducit, quale Corynthi erat, cum quidam se Patuli, quidam se Apollo esse dicerent. Nihil aptius contra Constantinopolitanum primatum dici potuit: nam Corynthijs Baptismi excellentiam non ex Christi institutione, sed ex hominum à quibus conferebatur sanctitate & stimatibus similes sunt, qui Episcopum magnæ ciuitatis cæteris omnibus. hoc solo nomine præferunt eiq; adhærent, dignitatem Episcopatus ex magnitudine ciuitatis, non ex Christi institutione metientes. Hoc Romani non facimus, Greci faciunt, non igitur à nobis, sed ab illis schismatice Corynthiaco excitatur. Quartum. solus Christus caput est vniuersale; ideo quod Christi proprium est, arrogat, qui se Episcopum vniuersalem facit. Hoc argumentum Constantinopolitanum damnat primatum non Romanum. Nam solus Christus caput Ecclesiæ vniuersale est, natu& & intrinseco iure

368 MONARCHIAE ECCLESIASTICAE,
præter quod supernaturalem & extrinsecam rei institu-
tionem non requirat. Igitur qui capit is vniuersa-
lis dignitatem non tanquam ex superuaturali &
extrinseca institutione sibi concessam, sed tanquam ci-
uitatis terrenæ splendori innatam & intrinsecam &
per se debitam arrogat , quod Christi proprium est
sibi assumit : in quo Constantinopolitanus errauit.
Romanus verò non se caput vniuersale facit iure a-
liquo quod rei creatæ intrinsecum sit , sed institu-
tione ipsius Christi, & cum subiectione ad ipsum : &
ideo nihil Christo proprium sibi arrogat. Quintum,
Neq; Petrus neq; vllus Apostolus se vniuersalem E-
piscopum fecit. Ita est , nemo vniuersalem Episco-
pum se facere debet , cum iure non sit. Nec se facit
Romanus. Tamen Petrus à Deo (vt tu etiam affir-
mas) vniuersalis Episcopus factus est , cum supremā
vniuersali potestate. cur igitur Romanus nō illi suc-
cedat? Sextum. Proprium est præcursoris Antichristi
se cæteris superbiendo præponere. Hoc rectè dicitur
in Ioannem Constantinopolitanum: Antichristus e-
nim de terrenarum rerum splendore sibi blandiens,
se Deum faciet & cæteris præferet. quem imitatur
hac ex parte, qui se Episcopis ob terrenā præstantiam
ciuitatis anteponit. Sed hæc quid ad Romanum? Se-
ptimum. Si quis sit vniuersalis Episcopus, eo lapso in
hæresim Ecclesia vniuersalis perit. Hoc verum est de
vniuersali Episcopo , qualem se Ioannes faciebat.
Cuius dicti veritas ex his pronunciatis certissimis
pendet. Primò. Ecclesia sine Episcopo esse nō potest,
cum definiente Cypriano *plebs sit sacerdoti adunata.*
Secundò. Episcopus manifestò lapsus in hæresim hoc
ipso definit Episcopus esse. Tertio. Qui ex sola ma-
gnitudine ciuitatis suæ se facit vniuersalem Episco-
pum, se solum Episcopum facit. Vnde hoc argumen-
tum conficitur. Quando solus Ecclesia Episcopus
labitur

Cyprian. l. 6
epist. 4.

labitur in hæresim, Ecclesia perit, quia solum suum Episcopum amittit: pereunte autem solo Episcopo & ipsa perit, cum sine Episcopo esse non possit. Sed quando is, qui est vniuersalis Episcopus ex magnitudine ciuitatis suæ, labitur in hæresim, solus Ecclesiæ Episcopus perit. Igitur eo lapso in hæresim Ecclesia perit. Romanus autem Episcopus non ex magnitudine ciuitatis se vniuersalem facit, sed iure diuino, & ideo solus Episcopus non est. Quare licet ipse (quod absit) laberetur in hæresim, non tamen Ecclesia periret, quia cum ipso solus Ecclesiæ Episcopus non periret, sed adhuc in Ecclesia Episcopi manerent.

Ex hac septimi argumenti solutione constat, quam 22.
ineptus sis, qui occasione huius dicti Gregoriani, vniuersali Episcopo in hæresim lapso Ecclesiam perire, congeris ex historijs varia exempla Pontificum Romanorum, qui dissolutè vixerunt, vel oscitanter Ecclesiam gubernarunt. l.4.c.7.n.34.35.36.37. Vbi mēdacia in vnum congregabas, quæ quamuis vera essent, nihil ad propositum faciunt. Non enim dicit Gregorius, Episcopo vniuersali dissolutè viuente, vel oscitanter gubernante, sed lapso in hæresim Ecclesiam perire. Nam quāuis Episcopus dissolutus & discolus sit, tamē Episcopus esse nō definit. definit autem manifestè lapsus in hæresim. Vnde solo Ecclesiæ Episcopo lapso in hæresim Ecclesia perit: nō tamē perit, quāuis vnicus illius & solus Episcopus dissolutè viuat.

Dico quintò, Gregorius Magnus vniuersalem totius Ecclesiæ primatum sibi debcri existimauit iure diuino. Hac conclusionem tuo more asseris & negas. Lib.4.c.8.n.42.& c.10.n.41.dicis Gregorium modeſtorem fuisse prædecessoribus suis, eorum ambitionem notasse, à primatu, quo omnium Episcoporum causas ad se reuocabat, abhorruſſe. At lib.3.cap.7.num.3.cum attulisses hoc dictum Gregorij l.7.epistolarum ep. 64.

Si qua culpa in Episcopis inueuitur, nescio quis sedi Apostolicæ subiectus non sit; subdis hæc verba. Hauserant iam Romani Pontifices sibi ipsis nimium blandientes opinionem, totius vniuersalit Ecclesiæ primatum quendam sibi deberi, ac propterea ad ipsos tandem ultimum iudicium super criminibus omnium Episcoporum spectare. Et l. 4. c. 10. n. 50. dicis Gregorium tenuisse ordinarium errorem Paparum, dum opinantur à Christo fuisse Petru quendam primatum iurisdictionalem traditum in Ecclesiam vniuersalem, & per Petrum in Romanos Pontifices propagatum. & l. 4. c. 12. n. 12. Gregorius in hac charitate suæ sanè ut plurimum, sed etiam interdum autoritatina superintendantia supra totam Ecclesiam voluit eminere, in potestate autem iudicaria Papatum & ipse non raro exercuit, & in hoc instituit legationes. Considera qui cohaerent ista, Antoni, Gregorius melior & modestior prædecessoribus suis fuit, & tamen non minus quam illi omnium Episcoporum causas ad se reuocabat: iurisdictionalem primatum semper exhorruit, & tamen diuino iure totius Ecclesiæ vniuersalis primatum iurisdictionalem sibi deberi existimauit, imo & exercuit, ratione cuius omnium Episcoporum supremum & ultimum iudicem se faciebat: Quare Gregorius (quod in Ioanne arguebat) se super lastra cæli & nubes Ecclesiæ extulit; si suprematus hoc in Episcopos omnes non ei vere competebat, sed alias indebitum ex sola amplitudine ciuitatis assumpit. Hoc autem de Gregorio cumne tu quidem dixeris, sater debes, ipsum sibi primatum vniuersalem deberi iure diuino nunquam negasse. Redit, enī multis annis antea in episcopatu

24. Dices, si Gregorius se totius Ecclesiæ primatem potestate & iurisdictione agnoscet, cur oblatum ab Eulogio Alexandrino titulum vniuersalis Patriarchæ regreditur, addiditque, si titulus vniuersalis

1. Indit. 1. Ep. 50: ab Eulogio in Pontificis longecepit, quin duplo Orléans Patri-

Patriarchæ vlli tribuatur etiam Romano, cæteris abrogari. Respondeo; vt hoc faceret, duplex causa Gregorium mouit. Prima. ne Ioanni scandalo & offendiculo esset, si sibi nomen Patriarchæ vniuersalis assumeret, quod in illo velut impium damnauerat. Nam quamvis titulus ille duplarem sensum haberet, & in uno sensu verè conueniret Romano; tamen in ea contentione vocabulis ambiguis sibi Gregorius abstinenter putauit. Secunda, & hæc præcipua causa fuit, cur Gregorius titulum vniuersalis Patriarchæ sibi à Græcis oblatum respuit, eò quod Græci vocabulum illud in falso semper sensu usurparent. Nam nomine Patriarchæ vniuersalis intelligebant vniuersalem ex amplitudine ciuitatis, cuius Metropolis vniuersus mundus esset; & hoc sensu illud Eulogius offerebat Romano; & ideo sibi titulum Patriarchæ vniuersalis abrogabat. Nam si Patriarchæ Romani propria dioecesis totus mundus erat, quæ pars cæteris Patriarchis relinquebatur? Gregorius igitur Græcis sibi titulum Patriarchæ œcumени offerentibus restitit, quia Patriarchatum vniuersalem sibi debitum, titulo quo non erat debitus, offerebant.

Dices iterum. Ergo Græci Romano Pontifici non 25. deberi iure diuino primatum existimabant, sed solum ex amplitudine ciuitatis, si quidem Patriarchatum vniuersalem nullo alio iure seu titulo illi dabant. Respondeo, Græcos duplex ius vniuersale in Romano Pontifice agnouisse: vnum humanum ortum ex amplitudine ciuitatis regiæ, cuius dioecesis eorum opinione vniuersus mundus, saltē Romanus esset. Hoc ius, nec aliud, significabat titulo Patriarchæ vniuersalis, & in hoc iure Constantinopolitanum Romano æquabant, quia Constantinopolis noua Roma & sedes vniuersalis imperij erat. Alterum ius vniuersale quod Græci in Pontifice agnoscebant, diui-

num erat à Petro successione acceptum; hocq; significant titulo successoris Petri, & sedis Apostolicæ & similibus. hoc iure cunctis Episcopis & Patriarchis, etiam Constantiopolitano Romanum Pontificem prestare existimabant. Quod inde manifestè colligitur, quod etiam Patriarcha Constantinopolitanus, quamvis se vniuersalem Patriarcham diceret; atque adeo iure, quod oriebatur ex amplitudine ciuitatis, Romano parem; tamen adhuc sedem suam sedi Apostolicæ, hoc est successori Petri subditam esse assidue profitebatur, vt Gregorius ipse affirmat. Hoc enim facere non potuisset, nisi præter ius Patriarchatus vniuersalis quod oriri putabat ex amplitudine ciuitatis & in quo parem Romano se faciebat, agnouisset in Romano ius diuinum Apostolicum, seu ius successoris Petri, cui se submitteret. Ius igitur diuinum in Romano Pontifice Græci agnoscebant; sed illud non titulo Patriarchæ vniuersalis, sed titulo sedis Apostolicæ significabant: titulo vero vniuersalis Patriarchæ significabant titulum humanum ortum ex amplitudine ciuitatis, qui falsus & nullus erat, neq; ius hoc vni Patriarchæ verè tribui poterat, quia ceteri Patriarchæ esse desinerent.

- L.7.Ind. 2.
Q.63.**
26. Vnum addo falsum esse, quod scribis l.4.c.9.n. 25. vbi cum dixiss Patriarchas Constantinopolitanos, nunquam prætendisse illum primatum, quem Pela-
gius & Gregoriūs impugnarunt. Ideoq; (inquis) non multo post de Menno Constantinopolitano habemus, quod imposita manu per Agapetum omnium Episcoporum Prin-
cipem, vniuersalim Episcopatum sit adeptus. Hæc tu: satis
perspicuè ostendens te non magis Theologica, quam
historica crassā Mineruā tractare. Nam Mennam
Constantinopolitanū & Agapetum Romanum
Pontificem, post Gregorium & Ioannem constituis.
quos tamē plus minus sexaginta annis præcesserunt.

Quod

Quod ita esse, nisi penitus hospes esses in historiâ Ecclesiasticâ, vel inde collegisses, quod Baronius, quem citas in margine, dicat Mennam ab Agapeto ordinatum an. 536. cùm Gregorius non ante annum Domini 591. Episcopus Romanus factus sit. Quare, quod dicitur Menham à Romano omnium Episcoporum Principe accepisse Episcopatum vniuersalem, intelligi debet non propriè, sed impropriè, id est magnum & ingentem. Nam vt tu fateris ibidem nu. 19. omnis Patriarcha olim ὀικουμενικὸς dicebatur, quia præminentiam obtinebat supra partem bene magnam τὴν οἰκουμένην; ideoq; cum paucis alijs ἢ οἰκουμένη toti nimirum orbi præsideret.

De sensu canonis Sexti Niceni.

Sensum canonis dicas esse, debere Alexandrinum Episcopum suis se limitibus Lybiæ & Aegypti continere, quia se Romanus limitibus suæ prouinciæ ex antiquâ consuetudine continebat. Vnde duo supponis. Primò Alexandrinū Episcopum vniuersalē primatum per tyrannidem affectasse l. 3. c. 10. n. 13. Nicenum concilium, inquis, iam certum de tyrannide Patriarcharum, præsertim Alexandrini, libenter suum primatum ad alienas etiam Prouincias extendentis, vt tales excessus compesceret, antiqua nixum consuetudine suos cuiq; limites denuo assignauit. De Romano verò l. 4. c. 2. n. 18. Romanus, inquis, qui erat in Urbe totius orbis Dominatrice suum primatum Ecclesiasticū nihil plus ultra Italiam non extēdebat. Insigne exemplū ceteris Patriarchis dignitate inferioribus, vt & ipsi simili modestia & obediëtia vñ extra proprios limites nō excederent. Hæc tu; sed alibi planè cōtraria.

Dico primo. Episcopus Romanus tempore Concilij Niceni, & longè antè, primatum suum Ecclesiasticū extra Italiam in vniuersâ Ecclesiâ exercebat. Probatur ex tuis dictis, quia hoc sepissimè asseris. l. 4. c. 8. n. 10. antiquissimus (inquis) est hic morbus in Ecclesia Roma-

Baron. tom.
7. an. 536.
num. 66.

manā , ut velit omnium totius mundi Episcoporum acta
ad eius censuram renocare & vniuersalem Ecclesiam gu-
bernare . Restiterunt tamen ei Polictates ; Irenaeus & Cy-
prianus . Igitur tempore Cypriani , Irenaei & Poly-
cratis , id est , longe ante Concilium Nicenum Ro-
manus Pontifex totius Ecclesiarum vniuersalis guber-
natorem & principem agebat . Et ibidem num . 750
post prolatā Romanorum sibi nimium (ut putas) ar-
rogantium singulis sæculis exempla , exorsus à Vit
etore , ita concludit . Vidi mus (inquis) per omnes fere
etates duellum papalis insolentia & Ecclesiastica liber-
tatis : Vidi mus Romanos Pontifices omnem nauantes ope-
ram , ut Ecclesiam vniuersam suā subdant potestati , ar-
deoque se solos ac supremos Ecclesia Dominos & Monar-
chias constituant . Hæc tu : cuius nescio an magis sit
detestanda blasphemia , qui Pontifices vniuersos or-
mum sæculorum insolentia & superbia temerè
damnas ; an ridenda stultitia , qui tecum ipse ita tur-
piter pugnas , Nam quos laudas , quod perpetua con-
suetudine se suis limitibus tempore Concilij Niceni
continuerint , insignique modestia & humilitate præ-
matum suum extra Italiā nunquam extenderint ,
eosdem dicis iam multo ante Concilium Nicenū in-
solētes fuisse , omnes Ecclesias gubernare & sub Mo-
narchia iugo premere voluisse . Itaque iam à te quæ-
sto , prohibeatne Nicenus Canon more Romani Pon-
tificis vniuersam Ecclesiam gubernantis & omnium
Episcoporum primatem & iudicem se facientis , vel
non si non prohibet , ineptus es , qui canonem citas
contra Romani Pontificis primatum , quem fateris
illo canone minimè prohiberi . Si probetur mos ille
Romanus ; ineptos facis Patres Concilij Niceni , qui ta-
men se supra Ecclesiam vniuersam , & omnes Epis-
copos

copos cæteris Patriarchis immodestius efferebat.

Dico secundò : Alexandrinus Episcopus tempore Niceni Concilij suos limites non egrediebatur. Probatur. quia de sanctissimo Episcopo Catholicæ religionis cōtra Arrianos omnī nobilissimo propugnatore grauiissimū scelus, quale est tyrānidē in Ecclesiā exercere, credi nō debet, cuius non existet grauiissimū testimonium. Sed Alexandrū (qui tempore Concilij Niceni Episcopus Alexandrinus fuit, Arianorū hostis acerrimus, sanctitate & miraculis nobilis) tyrānidem in Ecclesiam exercuisse affirmas, quod magnum crimen est, & dicti tui nullā non dico graue sed ne leuissimā quidē probationē adfers. Quis igitur non videt hoc à te temerè & impiè dici? In hoc autem mendacio sensum Canonis Niceni fundas: in canone autem Niceno ita intellecto totā Rempublicam tuam.

Dico tertio. Mens Concilij Niceni cum dixit, Ae 30.
 Alexandrinus horum omnium habet potestatem, non fuit Episcopi Alexandrii tyrānidem, sed suffraganeorum, qui ab eius obedientia se subducebant, infolientiam compescere. Probatur ex certissimis historicis illius temporis, Theodoreto & Athanasio, qui Concilio vnā cum Alexandro interfuerunt. Hū dicunt primò Meletiū Episcopū Patriarchæ Alexandini suffraganeum, Thebaide & AEgyptū ei finitimā tumultu & procellis refercisse, & tyrānidem cōtra primatē Alexandrinum exercuisse. Secundò, plurimos Episcopos & Presbyteros in AEgypto cōmunionis sue (schismatis n. erat) ordinasse. Tertiò, Alexandrū hoc nomine apud Concilij Niceni Patres accusasse: à quibus dānatus est, vt Episcopi quidē nomen non tamē officiū rețineret, vtq; ab eo ordinati in ordine manerent, tamē ordinatis ab Alexandro postponerentur. Quarto Alexandrū, ne Meletius falsos à se ordinatos Episcopos suæ cōmunionis nominaret, statim petiisse & accepisse

cepisse ab eodem indiculum eorum, quos ordinaverat. Quinto, Concil. Nicen. decreuisse, ut sua Episcopo Alexandrino potestas sarta tecta maneret, imo etiam epistolā pro Alexandro scripsit Ecclesiæ Alexandriæ & populis AEgyptum, Lybiam, & Pentapolim incolentibus, quā suā mentē esse declarat, vt horū omnium Alexander habeat potestatē. Hæc narrat Athanasius, & Theodoreus. Ex quibus quatuor manifesta sunt. Primo, te historiā Ecclesiasticā susq; deqv; vertere, nā tyrānū Alexandrū S. *mum* Episcopū facis: cū dicat tamē expresse Theodoreus. Meletiū suffraganeū eius in ipsū tyrannidē exercuisse. Secundo, manifestū est mentē Niceni canonis nō fuisse Patriarchē Alexandrini potestatē exundantē restringere, sed ei primatū ex antiqua consuetudine debitū à Meletianorū tyrannide vindicare. Quare nulla fingi potest interpretatio Canonis illà ineptior, quā tu rāquā genuinā vrges l. 4. c. 2. n. 24: *Alexandrinus horum omnium AEgypti, Lybia, Pētapolis habeat, potestatē, i.e. (inquis) Alexadrinus suis limitibus coercedatur, siue latioribus, siue angustiorib. nihil refert.* Quā bellus interpres! horū omnium habeat potestatē, i.e. cōpingatur in certos limites, quā sint angusti nihil refert. Tertiō sequitur, te rationēm Canonis, vt Alexadrin⁹ horū omniū habeat potestatē, quia & Romano Episcopo h.e. cōsuetū, inēptissimè explicare hoc est (inquis) quia Romanus Episcopus extra Italiam suū primatū non extendit. Quā falsū ratio illa assumat iā diximus. Sed esto tēpore Conciliij Niceni Romanus Episcopus solā Italiam contentus fuerit, quid ineptius, quām inde concludere Alexandrinū Primatē totius AEgypti & Lybie & Pentapoleos esse debere? Imo sensus iste potius Meletianos inuaret, qui Alexandrini potestatē Episcopi restringi cupiebāt. Nā si Patriarcha præcipuus, eritatis orbis dominatricis Episcopus, Apostolorum Principis

I
suc-

cessor sese Italiæ finibus continebat , cur Alexandrinus in omnem AEgyptum & Lybiā & Pentapolim suum primatum effunderet!

Quartò sequitur, nullū sensum probabilē canonis 31. Niceni fangi posse, prēter istū Catholicū, quo Romāna Ecclesiæ primatus asseritur. Romana Ecclesia sēper habuit primatū, id est, imperiū, vt de finibus Episcopatuum determinaret: & ideo mos antiquis in AEgypto, Lybia & Pentapoli perseveret, vt Alexandrinus horū omniū habeat potestatē, quia & Romæ Episcopo ita consuetū est, vt scilicet hos illi limites assignet. Nā & verū te fatēte canon assumit, Romanum Episcopū semper in Ecclesiā vniuersam primatum exercere solitū esse, & omniū Episcoporū acta ad se reuocare: & inde aptè definit contra Meletianos oportere Alexandrinum Primatem illarum regionum omnium potestatem habere, quas Romanus Episcopus semper illi committere solitus èrat:

C A P V T . Q V I N T V M

Romanum Pontificem super Episcopos diuino iure esse, quorum potestas, quamvis diuina institutionis sit à Romano Pontifice ad singulos derivatur.

Nullam regionem esse ad quā Romani Pontificis potestas non se extendet superiore capite demonstrauimus: restat ostēdere nullā in Ecclesia dignitatē esse, quæ non eidem substat eo que pendeat.

Q V I N T V M A N T O N I I . F O U N D A M E N T U M

Episcoporum potestatem nec à Romano Pontifice derivari, nec ea subiecti possunt, nisi ab eis ipsiis.

In primis li. 2, ca. 5. à num. 3. usque ad 15. & cap. 6. & lib. 3. cap. 1. Patrum plurima testimonia cōgeris, & eadem

eadem fere ubique repetis, ut probes Episcoporum potestatem diuinitus datam & institutam esse. Quo probato tanquam clarum supponis à Romano Pontifice dari & concedi non posse. Quod si non detur Episcopis sua potestas à Pontifice, Monarcha non erit, nec fons Ecclesiasticae potestatis.

Secundo varia Patrum testimonia adducis, ut probes singulos Episcopos in suâ diœcesi esse supremos Principes, nihil illis sublimius, nihil altius reperiri: quod si super se Monarcham habent, veri & absoluti Principes non essent.

Tertio producis Patrum sententias, ut ostendas omnes Episcopos esse æquales; præsertim Hieronymi solenne dictum, quod singulis pene paginis inferis, Episcopum vbiunque sit siue Romæ, siue Eugubij eiusdem meriti & Sacerdotij esse. His addis l.4.cap. 8. Episcopos dici Romani Pontificis fratres, ministros, collegas; ex quibus conficitur inter omnes Episcopos, inclusu quoque Romano, paritatem esse, nec ullum verum primatum, sed tantum ordinis & dignitatis.

Eueritur quintum M. ANTONII fundamentum.

Hæc est huius controvèrsiæ præcipua difficultas, ut Episcoporum eminens in Ecclesia dignitas cum Romani Pontificis Monarchia componatur. Nam si facimus Episcopos humanum Ecclesiæ institutum, eorum dignitati detrahere videmur: si vero Episcopis diuinitus & immediate à Christo datur authoritas, non videntur posse à Romano Pontifice pedere, nec illorum potestas ab ipso deriuari. Ut igitur breuiter & perspicue hæc quæstio explicitur, tria declaranda sunt. Primo; Episcopalem quidem dignitatem diuinitus esse; & tamen à Romano Pontifice pendere. Secundo, Quidamvis diuini iuris in singulis sit, tamen à

men à Romano Pontifice singulis cōmunicari. Tertio, quæ sit potestas Patriarchalis & Metropolitica, & quomodo à Pontifice ortum habeat, ab eoque pendeat.

ARTICVLVS PRIMVS.

An potestas Episcopalis diuinæ institutionis sit, & à Christo detur immediate.

Hanc quæstionem sex conclusionibus explicabo.

PRIMA CONCLVSIONE.

EPISCOPI singuli in sua diœcesi veri & absoluti z. Principes sunt, non meri Pontificis administrari & Vicarij. Hæc conclusio requirit ut explicemus, quis sit verus & absolutus Princeps. Ad quem constitutendum duas conditiones concurrent. Prima est, ut omnes qui pertinēt ad communitatem, in qua Princeps est, illi subijcantur, nec ullus iure ordinario exemptus sit. Sed hoc non sufficit, quia Proregez, qui veri Principes non sunt, etiam sub se habent omnes, qui Provincie illius sunt, quam gerunt. Quare secundum requiritur ut ius habeat absolutum, id est, quod à merò beneplacito nullius potestatis humanæ dependeat. Is autem à merò beneplacito potestatis humanæ pendet, cui sine ullâ iusta causa, pro solo libertati potestatis humanæ, potestas minui vel abrogari potest. Hac de causa Proregez veri Principes non sunt: quippe quorum potestas & Principatus à merò nutu & beneplacito Principis pendet, cuius administrari sunt. Duces vero sub Regibus veri Principes sunt; quia quamvis Regibus subsint, tamen ab eorum merò beneplacito non pendent, nec solo beneplacito Re-

Igitur cū Episcopos in suâ singulos diœcensi veros
Principes dicimus, duo dicimus. Primò, Episcopo o-
mnes, qui sunt illius diœcesis, iure ordinario subijci,
nisi potestate superioris Principis iustâ de causâ ex-
imantur. Secundò, potestatem Episcopalem à me-
ro beneplacito nullius hominis vel communitatis
humanæ pendere, quia sine iusta causa Episcopo of-
ficium vel à summo Pontifice vel ab Ecclesia vni-
uersa eripi non potest.

3. Hæc conclusio cū concedatur à Catholicis, proba-
tione non indiget. Solum notanda est calumnia, quâ
Bellarminum aspergis, qui cum Episcopos veros esse
Principes expressè afferat, tamen contrariam senten-
tiā illi per vim obtrudis. Nam lib. 2.c.5. n. 28. cum
verba Bellarmini ista citasles, assumuntur Episcopi à
Pontifice ad suum ipsius onus sustentandum. Ergo
(inquis) *onus Episcoporum non est ipsorum onus proprium,*
sed onus Papæ; & Episcopi illud non ut proprium, sed ut Pa-
pale, tanquam meri coadiutores & ministri sustentant.
Ita tu arguis ex Bellarmini verbis. quām ineptè!
Nam si Episcopi ad proprium ipsius summī Ponti-
fici munus obeundum assumuntur, quomodo illius
meri ministri sunt? *Quis regios ministros ad pro-*
prium Regis officium aslumi, mētis compos dixerit?
Imperator Imperatorem olim creabat, & ad solium
Imperij assumebat; quis vñquam dixerit Imperato-
res assumptos, meros ministros & vicarios Imper-
atoris assumētis fuisse? Hoc autem sensu dixit Bel-
larminus, Episcopos à summo Pontifice assumi ad pro-
priū ipsius onus sustētandum, nō vt eorum officium
deprimat, sed vt eos socios Imperij Pontificij ostendat,
ipſi Pontifici quodammodo pares. Verba eius in-
tegra sunt hæc. *Episcopi (inquit) dicuntur à Pontifice fra-*
tres &

Bell. I. 4. de
Rom. Pont.
c. 25.

tres & collegae, etiam ratione iurisdictionis, quia assumuntur a Pontifice ad suum ipsius onus sustentandum, non ad aliquod inferius ministerium. Quid dici de Episcopis honorificentius potuit? quod tamen illius dictum, quâ vel malitiâ vel stultitiâ es in aduersum sepsum per summam violentiam abripis. Imo paulo post n. 30. ita scribis de Bellarmino. Ipse (inquit) ponit Episcopos esse tantum Papæ coadiutores & non proprium sed Papæ gerere, partemque Papalis solicitudinis habere, & liberum esse Papæ sola voluntate Episcopo cuicunque, etiam sine causâ, auferre potestatem. Somnias, Antoni, non scribis. Vbi enim ista ponit Bellarminus? nusquam.

SECVNDA CONCLV SIO.

Vt Episcopus verus Princeps sit, non requiritur, 4.
vt nullum se superiorē, præter Deum agnoscat. Nā
Principes Imperij sub Imperatore, Duces & Princi-
pes sub Regibus meri Principes sunt, non meri Re-
gum & Imperatorum ministri & vicarij, quamuis
eorum potestati subditi sint, eisq; rationem reddere
teneantur. Itaq; quamvis Episcoporum verus & ab-
solutus Principatus sit, non inde conficitur Episco-
pos Romano Pontifici non subijci. Sed obijcis l.z.c.
6.n.4. dictum Ignatij quod etiam commune est alio- *Ignatius*
rum Patrum; Episcopo nihil maius in Ecclesia esse; *epist. 2.7.*
Episcopum principē Sacerdotum esse, imaginē Dci
Patris referētem. Vnde sic arguis. Episcopus propter
summum principatum Deū repræsentat, qui est Do-
minus totius creaturæ. At si Episcopus haberet supra
se aliū Episcopū non gereret summū Principatū sed
subordinatum, & sic Deū non posset propriè repræ-
sentare. Respondeo, Episcopo nihil maius esse in Ec-
clesia suā, in qua Deum Patrem, vt supremus Dominus
est, repræsentat; non in Ecclesia vniuersali, pri-
mō, quia in Ecclesia vniuersali sic Princeps est, vt pare
habeat;

habeat; cum Deus solus dominus supremus sit. Secundò, quia in Ecclesia vniuersa supra se Archiepiscopum & Patriarcham habet; cum Deus neminem supra se habeat. Tertiò, quia toti Ecclesiæ Catholicae subest, & ei rationem reddere tenetur; Deus autem nec toti communitati subest. Ideo quilibet Episcopus in Ecclesia vniuersali Dei supremi monarchæ imago non est, sed tantum in Ecclesiæ propriâ, in qua neminem sibi parem, nendum superiorem habet, qui propriè illius Ecclesiæ sit, nec illi toti communitati subest.

TERTIA CONCLUSIO.

- S.** Singuli Episcopi in sua diœcesi, potestatem diuinæ iuris & institutionis ad se successione deuolutam habent. Hanc conclusionem Catholicî innumeris Patrum testimonijs confirmant, quæ tu ex illis in tuum librum descripsisti. Ad quatuor autem classes regocantur. Prima continet testimonia quæ supra adduximus, quibus asseritur Episcopos esse Apostolorum successores. Nunquam enim Patres ita perpetuo dicerent Apostolis succedere Episcopos, nisi verè & propriè succederent; præsertim cum vix saepius Pontificem Petro, quam Episcopos Apostolis succedere seb' op. 3. & affirment. Sed Apostoli potestatem regiminis ha-Hormis. ep. bucrunt à Christo immediate institutam. Igitur po-30. Cypria. testas à Christo immediate instituta ad Episcopos l. l. op. 3. Ambros. in successione deuenit.
- Alexander**
1. ep. 2. Eu-
Aug. in qq. rentium Episcopos Christi Vicarios esse & vice eius
vet. & noui iudices Ecclesiæ: quod Patres cum tam constanter
test. q. ult. allerant, certe dubitare non possumus, quin veros &
Chrysost. proprios Christi Vicarios intellexerint. Vicarius
homil. 17. in Matth. & Legatus autem & Legatus immediate accipit potestatem ab
alij. eo cuius & Vicarius & Legatus est. Igitur Episcopi a
Christo

Christo ipso immmediatè accipiunt potestatem. Vicarium enim Regis & Legatum nemo instituere potest nisi Rex ipse. Quod si Rex hoc faciat per ministrum, Vicarium Regis instituere ille dicetur, tantum regiam institutionem & voluntatem declarando.

Tertia classis continet testimonia expressè affirmantia Christum instituisse, ordinasse, posuisse in Ecclesia Episcopos, vel Ecclesiam à Christo Iesu Episcopis regedam fuisse traditam & commissam. Respondere solet, ordinem Episcoporum in communione diuinam institutionem, non in particulari. Christus enim ordinavit ut Episcopi in Ecclesia essent, sed in particulari constitueret Episcopos Apostolis reliquit. Hoc tamen Patrū testimonij non planè satisfacit. Primo quia Patres, imo Sacrae Scripturæ videntur significare eodem modo positos in Ecclesia Episcopos à Christo, quo fuerunt positi Apostoli. Posuit igit (inquit Paulus) Episcopos regere Ecclesiam. Et ipse posuit in Ecclesia primum Apostolos, deinde pastores & doctores. Ex quo loco arguit Bernard. ad Eugenium. Erras (inquit) si ut sumimam, ita solam à Deo institutam veltram Apostolicam potestatem existimas. Non est sola tua potestas à Deo: sunt & mediocres, sunt & inferiores; nisi tu putas alium esse qui posuit in Ecclesia quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, quosdam pastores & doctores. Hac Bernardus: Ex cuius verbis ita arguere quis potest. Proprius & proximus institutor Episcoporum non est aliis ab institutore Apostolorū. Sed institutor proprius & proximus Apostolorū Christus fuit. Igitur & Episcoporum. Secundò quia Romani Pontifices fatentur alios Episcopos eodem modo institutos in Ecclesia à Christo esse, sicut ipsi metuunt instituti sunt: Ut Ioannes primus. Huius rei gratia vobis & nobis sancta commissa Ecclesia est, ut pro omnibus labore-

Origen. in
Ioan. 16. 32.

Autor 99.
vet. & noui
test. q. 97.

Sixt. 1. ep. 2.

Ignat. ep. 6.
Iust. Orge-
litana in
canticū
canticorū,
v. 194.

Concil. To-
leran. 8. c. 7.

Act. 20.
Ephes. 4.
Bernard. de
consid. l. 3.

Ioan. 1. ep. 1.
ad Zacheum.
Episc.

Dama. ep. 5. laboremus & cunctis operibus non negligamus. Damasus ad Episcopos Africæ. Et (inquit,) qui nos speculatores esse voluit, nos excusare non possumus, si eius Ecclesiam, quam nobis generaliter commissa est, in quantum praecalemus & tam illicitis usurpationibus non custodiamus. Romanæ vero Episcopi potestas propriè & proxime à Deo est.

Ambros. de dig. Sac. c. 2. Quarta classis continet testimonia, quibus Patres Augustin. tract. ult. in quâ Apostoli; Christi data & promissa potestatiua. **Ioan. Cy. prian. l. 3. ep. 9. Grego. 7. L. 1. ep. 22. Lnc. 10.** dicta Apostolis ad Episcopos pertinere, ut sunt; quae alligaueritis super terram, erunt; &c. quæ propter indicant regimen Ecclesiasticum, quod in Apostolis caput, in Ecclesia perpetuo manere.

6. Huius veritatis ratio à priore hæc est. Verus Princeps non est, qui non aliam potestatem habet, quam merobene placito potestatis humanæ institutam. Sed Episcopi veri Principes Ecclesiæ sunt, ut ab omnibus conceditur. Igitur potestatē habent non merobene placito humano sed diuinitus institutam. Major propositio, quæ solâ probatione indiget, statim patet; si distinguamus ut supra distinximus duplex beneplacitum potestatis humanæ, per quod quis fieri Princeps potest. Vnum est iam institutæ potestatis (utita dicam) translatium: alterum nouæ potestatis institutum. Translatium est, quo merobene voluntate humanâ trâstertur ab uno ad alterum potestas regiminis diuinitus instituta. Hoc modo Monarchæ per electionem libera republica fiunt. Nā respublibera, cù regē eligit, potestatē supremi regiminis, quæ in ipsâ vna cū naturâ instituta est à Deo, transiert in vnam personam, à quâ tanquam à Monarcha regis se vult. Hoc in casu potestas ipsa supremi regiminis dicitur uinitus.

unitus instituta est, tamen quod in uno existat. isq; hic potius quam ille sit, pendet ab electione humana & mero beneplacito Reipublice. Similiter, cum Rex libere regnum, vel filio, vel alteri personæ legitimè resignat, certè mero beneplacito suo Principem constituit, tamen per hoc beneplacitum non instituit nouam potestatem, sed à se transfert potestatem, quæ secundum primariam institutionem diuini iuris est.

Qui beneplacito humano huiusmodi Principes sunt, veri Principes sunt; quia quamvis mero beneplacito humano Principes siant; tamen ubi semel Principes facti sunt, non potest pro mero beneplacito imperium illis abrogari, pendet enim illa potestas à mero beneplacito potestatis humanæ fieri, non autem in conservari: hoc est, beneplacitum humanum requiriatur, ut potestas in hac vel illa persona constituatur, ubi autem semel constituta potestas sit in una persona, à Dōc immediate in illa consequatur. In potestate enim Reipub. fuit sibi Regem non praeficere, tamen ubi in Regem supremam à te transstulit potestatem gratus eam ad se pro libitu reuocare non potest.

Beneplacitū potestatis humanæ regiminis statutū est, quo non potestas iam instituta trāstetur in alterū, sed nova potestas producitur, quæ prius instituta nō erat. Hoc modo Reges, creati Proreges vel Legatos, nec enim tūc aliquid potestatis Regie à se transferunt in Vicarium suum, sed beneplacito potestatis sua creat in Vicario potestatē sua beneplacito dependentē. Dicimus igitur verum Principē cum non esse, qui potestate regiminis habet ex beneplacito humano potestatē illam instituētis, quia verus Princeps nō est, qui potestatē habet à mero beneplacito hominis vel hominum dependentē, ut prout uillius vel illorum, minuī, augeri, mutari, auferri possit. Sed potestas, quæ instituitur ab homine, vel hominib. ab illius

illius, vel illorum beneplacito pendet, ut destrui pro libitu possit. Potestas enim regiminis nulla est; quæ iure non est: hoc enim tantum possumus, quod iure possumus. Sed potestas gubernativa ut in homine sit, nullum ius habet nisi merum beneplacitum superioris illam in homine constituentis. Igitur cessante beneplacito institutoris, quacunque de causa cesseret, perdit illa ius ut sit; atque adeo cum iure non sit, verè esse non potest. Secundò, quia (ut diximus) ius, siue dominij, quo res externæ possidentur; siue regiminis, quo populi gubernantur, nihil homini intrinsecum est, sed merum beneplacitum legitimi superioris, qui potestatem de rebus disponendi homini tribuit & tribuere potest: Vnde sublatu beneplacito legitimi superioris potestatem dantis, potestas ipsa formalissimè destruitur. Actus enim hominis legitimi non sunt, nisi ius aliquod sit secundum quod fieri possint. Sed præter beneplacitum superioris legitimi Dei vel hominis potestatem dantis, nullum ius est ut auctus gubernationis ab homine in communitatem aliquam exerceri possit. Igitur sublatu beneplacito superioris potestatem constituentis, ius regiminis seu potestas iuridica necessariò cessat. Quare si potestatem habent Episcopi non diuinitus sed Ecclesiæ beneplacito in ipsis primitus institutam & creatam, certè potestatem habent, quæ solo beneplacito Ecclesiæ vel summi Pontificis minui, augeri, mutari & auferri possit, atque adeo veri Principes non sunt.

QVARTA CONCLVSIO.

8. Eminentia potestatis Episcopalis, quod diuinitus sit, non impedit quin Episcopi Romano-Pontifici subesse possint. Probatur ex refutatione rationum, quibus uteris ad probandum non posse Episcopos supra se superiorem habere. Prima est, quia potestas Epis-

Episcopalis tota spiritualis & supernaturalis est. Sed potestatem totam spiritualem, & supernaturalem, ab hominibus donari, aut concedi, aut minui, aut amplificari est impossibile. Ita tūl. 2. c. 5. n. 4. Sed tuo more scribens: hoc est ea ponens, quæ alijs locis penitus euertis. Nam quod dicis potestatem spiritualem & supernaturalem, hoc est, quæ Deum authorem habeat, non posse minui vel ampliari, nec dari, nec concedi ab hominibus, falsū esse probatur exēplo potestatis Presbyteralis, quam l. 2. c. 9. n. 9. dicis non minus quam Episcopalem diuini iuris esse, eamque Presbyteros immediate à Christo ut ab institutore accipere: & tamen ibidem n. 1. Quamuis (inquis) ad eadem munera regendarum animarum presbyteri vocati sint & ordinati, ad quæ Episcopus, lex tamen Ecclesiastica aliquos ritus Presbyterales solis Episcopis reservauit, ac ne à Presbyteris exerceantur prohibuit; atque hoc pro maiori Episcoporum dignitate & autoritate: ordinaria tamen ministeria Ecclesiastica Presbyteris cuiusque Ecclesie propriis &c. integra sunt relata: Ita tamen, ut in his ipsis ministerijs exercenda Presbyteri à nutu & voluntate Episcopi dependenter, nihilque prorsus agerent circa Ecclesiasticum regimen, nisi iussi & directione Episcopi; ut ita vitaretur confusio, & schismatum occasio præcideretur. Et lib. 2. cap. 3. nu. 18. Fateremur (inquis) non hac omnia iure diuino in sola Episcopali esse potestate; sed ex his multa solo iure Ecclesiastico Presbyteri inhibita esse, ut à solle Episcopis exhibeantur. Hæc tu: ubi dicis potestatem Presbyteralem, quamuis iure diuino Episcopali par sit, tamen quoad quædam officia iure Ecclesiastico esse limitata, ut eam exercere legitimè non possint. Secundò, Potestatem Presbyteralem, quamvis diuini iuris licet, tamen ab Episcopi nutu & voluntate pendere. Tertiò, Ecclesiam restrinxisse Presbyterorum potestatem.

ut maior sit Episcoporum autoritas, ut vitentur confusiones & schismata, quæ facile ex paritate plurimorum nascuntur. His positis statim appareat leuitas & inconstantia tua. Nam si nulla potestas diuinitus instituta potest ab Ecclesia restringi & inhiberi; cur potestatem Presbyteralem, quam diuini iuris esse contendis, meritò inhibitam & restrictam dicis, quo decessis Presbyteris Episcopus maior emineat? si potest potestas diuinitus instituta, tamen lege Ecclesiastica restringi & limitari; cur potestatem Episcopalem eo quod diuini iuris sit, inhibere & ad certos actus restringere, quo plus in Ecclesia unius auctoritas valeat, nefas esse dicis? Secundò, cum dicas & millies dicas Episcopos diuino iure habere non modo plenitudinem, sed & latitudinem potestatis, quid causæ est, cur iure Ecclesiastico latudo restringi possit, plenitudo non possit? Tertiò, cum concedas potestatem Episcopalem diuinitus institutam totam auferri posse, cur contendis minui, id est, ex parte solum non posse? si potest potestas humana totum, quod est diuinitus ordinatum tollere, cur partem illius tollere non poterit? Vides non cohædere inter se tua dicta.

Ex his satisfieri potest Catholicis, qui multò fortius, multoq; consequentius argumentantur potestatem Episcopalem, cùm minui & tolli humana potestate possit, diuini iuris non esse. Quia Pontifex ab Episcopis subditis auferre non potest, quod diuino iure habent. Quod probant tribus instantijs. Prima est, quia Presbyteri potestatem ordinis habent sub Pontifice; & tamen, quia eam habet à Deo, per Pontificem ipsis abrogari non potest. Secunda. Apostoli habuerunt potestatem sub Petro; & tamen, quia eam habuerunt immediate à Christo, non poterat eam Petrus auferre vel imminuere. Tertia. In qualibet

Vrbe

Verbe Clerus subiectus Episcopo est, tamen si quis ex Clero habet immediate à summo Pontifice aliquam authoritatem, non potest eam Episcopus auferre vel imminuere. Igitur si Episcopus potestatem diuinæ iuris habet, ea priuari per Pontificem non potest.

Respondeo. & in primis ad instantiam de Apostolis, Petrum eorum potestatem vel tollere vel minuere non potuisse, nescio quām hoc certum sit. Apostoli quidem cum confirmati fuerint in gratiâ, nihil committere potuerunt, quo mererentur potestate priuari; tamen si meruissent, & hoc Ecclesiæ expediēs fuisset, cur Petrus hoc non potuisset; cum subditi Petro fuerint, quoad potestatem omnem, quam haberunt? Exemplum verò de Clerico subdito quidem Episcopo, tamen potestatē delegatam à Pontifice habente, quæ non posset illi per Episcopum auferri, non est simile: quia Pontifex, cùm delegat Clerico aliquam authoritatem, quoad illam authoritatem eum ab Episcopo vult esse exemptum. Nam si etiam quoad potestatē delegatam Pontifex Clericum Episcopo suo subijciat, non video cur eum Clericum Episcopus, si viderit expedire, delegatā potestate priuare non possit. Christus autem Apostolos, quoad potestatē delegatam subijci Petro voluit. cur igitur Petrus eorum potestatem minuere nō potuisset causā exigente? vel cur Pontifex non poterit hoc in Episcopis, quamvis à Christo potestatē habeant; cùm Christus potestatē, quam ipsis dat, dependentem à Pontificis voluntate det? Certè in Republica humanâ, potestas patria in liberos, potestas mariti in vxorem, non à Repub. sed à Deo est: tamen quia cum dependentia à Republicâ datur, potest per Reipub. Principē minui vel auferri, si causa postulet.

Secūdò dico, nō esse eandē rationē Episcoporū respectu summi Pōtificis ac Apostolorū respectu Petri,

quia potestas particularis Episcopi, quamuis diuinè iuris sit quoad existentiam absolutè, tamen quoad existentiam in hac vel illa persona pendet à beneplacito summi Pontificis, qui potestatem à Christo institutam in hanc vel illam personam, prout expedire iudicat, confert. Quare sicut Pórifex causa est cur existat non absolutè sed in hac vel illa persona; ita si causa suppetat eam ab hac vel illa persona, non absolute ex Ecclesia tollere potest. Potestas vero Apostolica non solum quoad existentiam absolutè, sed etiam quoad existentiam in illis vndecim personis independens fuit à Petro, quia Christus potestatem Apostolicam non solum immediatè suā autoritate instituit, sed etiam certis personis applicauit. Quare etiamsi probari posset Petrum non potuisse Apostolis potestatem auferre; non tamen eadem ratio de Episcopis est, cum potestas Episcopalis in Episcopis dependenter à Pontifice existat. Ad instantiam de Clerico, dico Clericum in casu posito potestatem habere ab Episcopo penitus absolutam: nec enim potestas illa delegata vel ab Episcopo instituitur, vel media Episcopi autoritate Clerico applicatur; ut mirum non sit, si non possit voluntate Episcopi auferri, sicut potestas Episcopo potest per summum Pontificem cuius beneplacito datur.

12. Ad instantiam de potestate ordinis respondeo, causa cur illa non posuit Presbytero per Pontificem auferri, nō est quia eam habet immediate à Deo: nam Pontifex sine dubio potestatem regiminis habet immediate à Deo, & tamen si fiat hæreticus potest illa potestate priuari; quamuis sit immediate à Deo, potestas vero ordinis nec propter hæresim quidem potest ab ullo auferri: Quare indelebilis ordinis non inde præcisè oritur, quod sit immediate à Deo. Dico igitur, causam cur Presbyter potestate ordinis

ordinis priuari non possit auctoritate Pontificis, esse quia ex beneplacito Pontificis vel potestate humana non accipit Ordinem nisi valde remotè, quatenus voluntas humana applicat Sacramentum, cuius vi potestas Ordinis in animam imprimitur. Itaq; cum homo Ordinem non causet, nisi applicando agens, à quo Physicè producatur; ita eam auferre non potest, nisi applicando agens, à quo Physicè destruatur. quare cùm nullum sit inter homines, per homines ordo non potest auferri. At vero potestas regiminis Episcopis beneplacito Pontificis autoritatib; & iuridice datur; atq; ita eodem beneplacito, si iusta causa suppetat, auferri potest.

Secunda ratio, quā probas potestatem Episcopalem Pontifici subiici non posse, hæcest. Nemo tenetur reddere rationem officij, quod à Deo immediate accepit, alteri, quam soli Deo. Sed Episcopus à solo Deo, vt ab authore potestatis suæ constituitur. Non igitur tenetur, nisi Deo rationem reddere. Ita l. 3. c. r. num. 24. Optima consequentia est, vt ei soli quis subdatur, & rationem reddere teneatur sui regiminis, à quo illud accepit: cumq; à solo Christo Ecclesia sua Episcopus preparatur, certè soli Christo etiam reddet rationem, & à solo Christo erit iudicandus. Hæc autem ratio illud tanquam certissimum assumit, cuius oppositum l. 1. c. 12. num. 14. in terminis affiras, nimirum teneri Episcopos alteri quam Deo sui officij rationem reddere. In Ecclesiis (inquis) multo melius & utilius est, vt nemo sit etiam ex Rectoribus, qui non subdit & alicui pareat, vt ita à tyrannide ipsa sit magis immunis, quam si adesset Monarchia. Monarcha enim Ecclesia, cùm nemini subdit, nemini pareat, nemini teneatur in terris suarum actionum reddere rationem, neminem timeat, ex hoc facile labi potest: quod non est in Ecclesiastica Aristocracia; nam quicunq; in hac Repub. Dux hoc est, quicunq; Episcopus, siue Primas, siue Patriar-

triarcha, si peccat in Rempub. Ecclesiasticam habet coercentes se & in officio continentates. Hæc tu. Hic dicas expressè, quemcunque Episcopum teneri alicui interris actionum suarum rationem reddere, à quo si peccet coerceri & contineri in officio possit. quomodo igitur verum, quod toties affirmas, Episcopum esse Dominum independentem nisi à solo Deo, soli Deo teneri sui officij reddere rationem, à solo Deo iudicari & coerceri posse?

14. Secundò lib 2. cap.9. nu.1. doces Presbyteros habere potestatem pastoralem iure diuino. Nihilominus ibidem dicas Episcopo teneri reddere rationem officij sui, ab Episcopi nutu & voluntate pendere. & n. 15. *Episcopum Parochis curam committere, sic tamen ut ab ipsis directione & institutione & destitutione pendeant.* Hæc tua dicta planè demonstrant Presbyteros quamvis à Deo immediate accipient potestatem, tamen ab Episcopo iudicari posse, falsumque esse, quod toties repetis, optimam consequétiam esse, si quis à Deo regimen accepit, soli Deo rationem regiminis sui reddere teneri.

15. Quod autem dixit Cyprianus, & tu millies repetis, Episcopum à solo Deo iudicari posse, iam multò

Cypr. in concil. carthag. antè explicuit Augustinus hoc intelligi in quæstionibus, quæ nequam eliquatissimā perspectione discussa sunt, hoc est, in quibus Ecclesia permittit, ut quisque

Aug. de Bapt. cont. quod optimum dictu & factu censeat, dicat aut faciat; & propter peccata dubia, vel errores in fide non satis exploratos deponi non posse. Itaque nemo

Don. L. 3. c. 3. negauerit, quod tu dicas, non posse Episcopum damnari, nisi vel contra fidem vniuersalis Ecclesiæ sentiat, vel contra legē diuinā, aut canones peccet, quando autem dubitatur an peccet, in quæstionem vocari potest, actionumq; suarum tenetur reddere rationē, cum te satente iudicē in terris, habeat, quem timeat.

QVIN-

QVINTA CONCLVSTO.

Officium summi Pontificis eiusdem generis est cum officio Episcopi, in hoc autem Episcopos Pontifex supereminet, quod eiusdem generis regimen multo quam cæteri eminentius habeat & exerceat. Hanc veritatem supponit Illustrissimus Cardinallis Bellarminus, cum dicit Episcopos fratres & collegas Pontificis dici etiam ratione iurisdictionis, quia a Pontifice assumuntur ad suum ipsius onus sustentandum non ad inferius ministerium: nam si speccemus essentiam ministerij Pontificij, non superat Episcopatum, sed Episcopatus essentialiter est, licet eminentior cæteris Episcopatibus. Nec contrarium dicit lib. I. de Romano Pontifice cap. 26. cum dicit Martyrium Cypriani cum Martyrio Petri conferri posse, quamuis Petri multo nobilius sit, quia in eodem genere sunt omnes Martyrum palmæ. at Cypriani sedem non posse cum sede Petri conferri, quia non solum sedes Petri est multo nobilior sede Cypriani, sed quodammodo in alio genere, quia differunt ut totum & pars. Rectè autem Petri sedem dixit Bellarminus in alio genere esse quodammodo. Nam in sede Petri seu in summo Pontificatu distinguere possumus potestatem & dignitatem, potestas speciem sumit ab actibus quos exercet; qui si sint generis eiusdem, non erit inter duas potestates differentia essentialis, quamvis una latius quam altera se extendat, vel actus illius exerceantur erga personas digniores, et quod persona, in qua existit, digniores personas sibi subditas habet. Hoc modo potestas summi Pontificis, quamvis ad totam Ecclesiam se extendat, & etiam erga Episcopos exerceatur, quos omnes sibi subditos habet, non tamen diversi generis est a potestate simpli-
cis Episcopis.

*l. 4. de Rom.
Pont. c. 25.*

cis Episcopi, siquidem eosdem actus potestatis quam uis in sua diœcensi, nec in personas Presbyteris digniores exercere potest. At vero dignitas & excellētia non tam sumit speciem per comparationem ad personas super quas eminet: ut illud officium, quo ad dignitatem altioris generis sit, quod in personas & Reipub. altioris generis exercetur. Cum vero Ecclesia vniuersalis ab Ecclesiâ particulari genere differat, ut totum & pars, Episcopii etiam altioris ordinis & generis sunt in Ecclesia quam presbyteri & laici; sequitur summi Pontificis officium, quod in totam Ecclesiam & Episcopos extenditur, quo ad dignitatem genere differre ab officio Episcopi.

17. Nihilominus si spectemus essentiam potestatis, potestas summi Pontificis & potestas Episcopi eiusdem generis sunt, cuius rationem iam dedimus, quia utraque potestas se ad eosdem specie actus extendit; ita ut Episcopus in suâ diœcesi potestatem quoad causas illius proprias plenam habeat, sicut summus Pontifex in Ecclesiâ vniuersali, cum dependetia tamen à Pontifice, ut afferit idem Illustrissimus Bellat. l. i. de clericis c. 16. *Episcopus*, inquit, *in propriam Ecclesiam habet amplissimam potestatem ferendi leges, dispensandi, puniendi, indulgendi, &c.* Hoc probatur, quia potestatis Pontificiae plenitudo in eo consistit ut sit totius Ecclesiæ fundamentum, & in eum negotiorum totius Ecclesiæ moles incumbat, dicente Christo *Tu es Petrus, & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam.* At quilibet Episcopus Ecclesiæ particularis fundamentum est, & in illum Ecclesiæ moles incumbit. Quod dixit Cyprian. lib. i. ep. 6. *Ecclesiam super Episcopum constitui, ut per ipsum omnes Ecclesiæ actus gubernentur.* Igitur quilibet Episcopus, quoad suam Ecclesiam habet potestatis plenitudi-

plenitudinem. Deinde plenitudo potestatis Pontificiae significatur per actum pascendi ex Christi institutione , qui Petro tradens plenitudinem potestatis dixit ei: *Pasce oves meas*, id est, Ecclesiam vniuersalem. At cuilibet Episcopo dicitur a Christo, *Pasce oves meas* huius vel illius Ecclesiae , Paulo teste, qui dicit Episcopis; *Attendite vniuerso gregi*, in quo vos *Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*. Et Petrus iisdem, *Pascite*, qui in vobis est, *gregem Christi*. Igitur plena potestas Pastoralis, quoad omnes actus illius traditur cuilibet Episcopo, quoad Ecclesiam particularem & causas proprias illius.

Dices; si potestatem habeat Episcopus plenam 18. in suâ dioecesi , poterit dubia circa fidem definire, cum nascuntur in suâ dioecesi , poterit dispensare in votis solemnibus, & soluere matrimonium ratum necdum consummatum , quoad personas suæ Ecclesiae . At incredibile est cuilibet Episcopo potestatem tantam competere iure diuino, nisi ab Ecclesia restricta esset. Respondeo, Episcopum non habere potestatem, nisi ad causas proprias suæ Ecclesiae , causæ vero quæ nominantur in arguento, ad Ecclesiam vniuersalem pertinent , nec ad eas singularis Episcopi potestas se extendit. De causa fidei res est manifesta, quia omnes Ecclesiae eiusdem fidei esse debent, nec potest aliquid in una Ecclesia Christiana esse certò & ultimò definitum de fide, quin omnibus Christianis certum & definitum de fide sit. Igitur cum non possit particularis Episcopus legem fidei toti Ecclesiae figere, profectò nec poterit dubia circa fidem in sua dioecesi orta definire, sed ea ad Pontificem deferre debet. Hac etiam de causâ , quæ spectant ad disciplinam particularis Ecclesiae , si dubitationem ads-

mit-

396 MONARCHIAE ECCLESIASTICAE,
mittant & sint magni momenti; ad sedem Apo-
stolicam sunt deferenda, quia non solum in do-
ctrina fidei, sed etiam quoad disciplinam decet Eccle-
cias Christianas uniformes esse, & ideo contro-
versiae nouae circa disciplinam quodammodo com-
munes sunt, nec nisi à tota Ecclesia decidenda
sunt.

19. Iam verò votorum solemnum acceptatio vel
relaxatio ad Ecclesiam vniuersalem spectat, quia
per votum solemne castitas vel religio nominentur
tius Ecclesiæ Christo illius Principi offertur, &
Christus tanquam totius Ecclesiæ solemne do-
num illam acceptat. Ex quo patet à particulari Epis-
copo ea acceptari non posse, sed tantum ab Ecclesiæ
vniuersalis prælato vel à ministro per ipsum specia-
liter ad hoc deputato. Quare Episcopus particularis
sicut ea non acceptat, ita nec soluit. Matrimonij rati
eadem ratio est: quod patebit si spectetur modus, quo
matrimonium diuino iure insolubile, solvi ab Eccle-
sia potest. Ita se res habet. Primo, Christus offe-
runt ut coniugium inter personas Christianas, con-
iunctionis inter ipsum & Ecclesiam suam vniuer-
salem publicum & solemne signum esset. Secundo,
cum personæ Christianæ matrimonio copulantur,
Ecclesia coniugium illud approbat & acceptat
tanquam solemne signum coniugij spiritualis inter
ipsam & Christum. Tertio, hinc oritur in coniugi-
bus obligatio ut matrimonium colant tanquam si-
gnum diuinitus ordinatum ad representandam
coniunctionem Christi & Ecclesiæ, & ideo illa de-
cere debet insolubili fide & amore, quamdiu manet
signum solemne illius coniunctionis insolubilis.
Quarto, Christus & Ecclesia possunt hanc obliga-
tionem coniugibus remittere, vt eorum coniugium
non amplius lignum sit coniunctionis spiritualis
inter ipsos, qua obligatione soluta contractus marria-
monij

monij naturâ suâ solubilis est. Sicut autem matri-
monium signum coniunctionis est Christi cum Ec-
clesia vniuersali; ita hanc obligationem coniugibus
remittere sola Ecclesia vniuersalis potest, & is qui il-
lius Princeps est. Itaque potestas Episcopi ligandi &
soluendi in sua diœcesi, quoad causas illius proprias,
plena & integra est iure diuino & naturâ suâ: tamen
cum Ecclesiæ subordinata sit, potest ea iustis de cau-
sis limitari, & quoad aliquos actus inhiberi, ut in su-
periori conclusione ostendimus.

Q1

S E X T A C O N C L V S I O.

Paritas Episcoporum cum summo, Pontifice quo-
ad genus officij & potestatis stare potest cum verâ
subiectione eorum ad summum Pontificem in regimi-
nem. Hac conclusione l.i.c.6. fuse probauit: vbi ostendi
Petru (cui concedis diuino iure curâ Ecclesiæ multo)
magis, quâ cæteris demâdatâ esse hoc ipso totius Ec-
clesiæ supremum Principem esse quamvis Apostoli quo-
ad genus curæ & potestatis ipsi pares fuerint. Nâ hoc
ipso quod potestate regiminis vniuersalis super om-
nes eminuit in corpore Ecclesiæ, sub sua potestate cù-
ctos, qui ad corpus Ecclesiæ pertinêt, etiâ Apostolos
continebat. Hinc facile explicatur Hieronymi dictu, Hieronym.
quod tu perpetuo inculcas, Episcopū bicunq; lit huic ep. 25.
Romæ siue Eugubij, eiusdem meriti & Sacerdotij esse.
Quod profecto verum est de potestate ordinis, in quo
penitus pares omnes Episcopi sîl: verū quoq; de iu-
risdictione, quoad genus officij, vt iâ diximus, vterq;
enim tam Romanus quam Eugubinus Episcopus est.
quo nullum in Ecclesia illustrius genus regiminis est;
neq; ex potestate diuinitarū vel paupertatis humilitate,
quicquâ Episcopo Ecclesiastice dignitatis additur vel
autetur; Omnes enim (inquit) Apostolorū successo-
res sunt qatq; ita omnes pares quoad ordinem & genus
officij, sicut Apostoli erant. Sicut autem inter Apo-
stolos

398 MONARCHIAE ECCLESIASTICAE,
stolos unus officium omnibus commune singula-
rius & eminentius præ cæteris singulari Christi in-
stitutione accipit; ita in successoribus Apostolorum.

ARTICULUS II.

*Episcopalem potestatem quamvis diuinitus instituta sit,
tamen in Romano Pontifice velut in fonte con-
tineri, & ad Episcopos de-
riuari.*

¶ **H**anc veritatem came peius & angue odisti, eam
pronuncias flammis dignissimam, vt supra vi-
dimus; ea vero quæ sit certa apparebit, si quinque
demostrauero. Primo, Electionem Episcorum ad
nullum alium per inere præterquam ad Romanum
Pontificem iure diuino. Secundò. Nullum modum ele-
ctionis diuino iure fixum esse, sed Pontificem mo-
dum præscribere posse qui maximè conueniens illi
videtur. 3. Vacantium Ecclesiarum curam propriam
ad Romanum Pontificem pertinere iure diuino.
Quartò. Ex his recte concludi Pontificem sotent
esse Ecclesiasticæ potestatis. Quinto: Hac deriuatio-
nem potestatis Episcopalis à Pontifice cum diuina e-
iusdem institutione rectè confistere.

PRIMA CONCLVSI O.

Mortuis Apostolis ordinarium ius eligendi Epis-
copos, & eos Ecclesijs præficiendi, ex Christi institu-
tione soli summo Pontifici competit, nec alteri nisi
ipso approbante. Probatur Primo, quia quodius Ap-
postoli habuerunt constituendi Episcopos in Eccle-
sijs quæ Episcopo carebant, hoc totum Petrus habuit
eminenter quam cæteri, & nunc habet Pontifex Pa-
tri successor: Nam pastor Ecclesiæ est, non minus
quam Apostoli amplissimâ potestate: sed ius habe-
bant

bant Apostoli Episcopos dandi Ecclesijs quæ Epis-
copo carebant, & mortuis primis Episcopis nouos in-
locum eorum substituendi, igitur hoc ius Petrus ha-
buit & ad successorem deriuauit.

Secundo probatur argumento Almayni. Ad offi- 22.
cium pascendi spectat non solum Sacra menta admi-
nistrare, sed etiam pastores assumere & populis præ-
ficere, sed per verbum illud, *pasce oves meas*, Petro & Almayn. de
potest. Ec-
cles. & Lan.
q. i. c. 2.
successori eius datum est officium pascendi, ergo
data est etiam potestas instituendi Ministros ad
pascendum & instituendum, & distribuendum di-
gnitates cæteras Episcopatus, curas &c. Ad hoc argu-
mentum respondes l. 3. c. 12. n. 33. Ita, inquis, Monar-
chici detorquent scripturas diuinæ quo cunque eis
placeat. Dicat mihi Almaynus si Petro soli data est Ad. 14.
hæc potestas cur Paulus & Barnabas constituunt
Presbyteros; hoc est, Episcopos per singulas Eccle-
sias? Num autoritate Petri? Sed Petrus eos non mi-
serat? ita tu nugaris; nec aliquid negas quod Al-
maynus affirmat, neque negare potes. Nonne Petro
Petriq; successori tradidit Christus supremum pa-
storatum Ecclesiæ? an non spectat ad pastorem gre-
gibus pastores necessarios præficere. Sed dicat mihi,
inquis, Almaynus vbi soli Petro data est? Sed dicas
mihi tu Antoni, vbi dixerit Almaynus soli Petro
datam hanc potestatem, & ego tibi facile ostendero
vbi data soli Petro fit? Non dixit enim Almaynus
soli Petro datam hanc potestatem instituendi Epis-
copos; siquidem etiam alij Apostoli eadem potesta-
te donati Christo fuerunt, in quantum erant pa-
stores vniuersales totius Ecclesiæ, sed quoad hoc vni-
uersale regimen successores minimè habuerunt ut
iam satis ostendi capite præcedente; igitur solus Pe-
trus ius præficiendi Episcopos ita habuit ut illud
successori traderet. Hoc argumento quod plane con-
tinuit. D'd

400 MONARCHIAE ECCLESIASTICAE,
uincit, vtitur Bellarminus l.i.de Clericis.ca.8, quod
annotare volui vt appareat impudentia tua, qui dicas
Bellarminum illo loco hanc nostram conclusionem
quidem posuisse, sed (inquis l.3.c.12.n.34.) cum unde
illam probaret non haberet; sicco eam pertransit pede; alio-
rum assertione contentus. Qua fronte hæc de Bellarmi-
no scribis, cuius citatum locum quisquis inspicerit,
statim te mendacijs agere perspiciet? Bellarminus e-
nimir ad confirmandam hanc veritatem tria illo ipso
loco argumenta affert, ex quo;

23. Tertiò probatur nostra conclusio. Potestas con-
stituendi pastores in Ecclesijs vbi desunt, debet in
Ecclesia esse iure diuino, alioqui sibi de pastorib. ne-
cessarijs prouidere nō posset: sed in nullo alio est pre-
terquā in Papa iure diuino. Hoc probat Bellarminus,
quia vel in omnib. clericis & personis Ecclesiasticis
est, vel tantum in aliquibus est: non est in omnibus
simil sumptis, quia iamdiu consuetudo obtinuit, vt
tantū primarij clericij eligat, reliquis exclusis, hoc aut
nō fieret nec suisset tot seculis factum si omnes cleri-
ci diuino iure eligere deberent; nec est in aliquibus
tantum Primarijs clericis iure diuino, quia nullū est
ius diuinū quo potestas hæc aliquib. ex clero tribui-
tur ceteris exclusis; igitur in solo summo Pontifice est.

24. Quartò probatur ex arguento Caietani, quod et-
Caiet. opus. iam est Bellarmini. In Papa (inquit Caietanus,) esse
potestatē hanc quoad applicationē potestatum infe-
riorū Papatū patet; cum ex gestis Apostolorū dum
singulos Episcopos, per loca instituebant: tum Eccle-
siæ consuetudine, quæ quotidie hæc à Papa faciente
suscipit absque conscientiæ scrupulo: tum ex ratione
officijsui. Ad quem enim spectat plena potestas su-
premi regiminis, spectat & assumptio aliorum in par-
tem sollicitudinis, vt patet Exod. 18. vbi Moyses
dux populi ex cōsilio Iethro elegit & cōstituit Prin-
cipes populi & Millenos & Centuriones & Décanos.

Ita Caietanus, cuius argumentum insipidum vocas & quia tibi sapienti scilicet non caput Caietanus, ita declamas loco citato scil. l.3.c.12.n.44. sic nostri Monarchici ex friuolis leuisimis, ratiunculis planè puerilibus, nobis Romanā Monarchiam tota reclamante Ecclesia persuaserunt, imo & illam ad articulos fidei reduxerunt, contra quos ut tantummodo Verbis Augustini videlicet. Ista inania & ridenda potius quam refellenda non dicerent, si pro sua causa possent validum aliquid inuenire, quod dicerent.

August. post
collat. contra
Donat.
c. vlt.

Ita tu Antoni; verū amabō te, oscitātiām qua perpetuo laboras parumper excute, euigila. & iam teipsum iudicem statuam insipientiā tuā. Dicis Monarchicos Romanam Monarchiam tota reclamante Ecclesia friuolis ratiunculis persuasisse. Dic sodes, an nullus in hoc dicto sapor aut sensus sit, an sibi ipsum cōstet? si tota Ecclesia reclamet, quib. obsecro Romanā Monarchia persuasa est? si Christianis & Catholicis saltem aliquibus Monarchiam Romanā Monarchici persuaserūt; quomodo tota reclamat Ecclesia! Quod autem Caietani argumenta tanquam friuola & planē puerilia rideas non miror, si bene refelleres certe mirarer. Tria enim sunt & solida sunt: Primò. Romanus Pontifex Petri successor solus succedit Apostolis in iure Apostolico vniuersali, ut iam probatum est, sed Apostoli poterat hoc suo iure regiminis vniuersalis Episcopos per loca instituere, igitur Romanus Pontifex potest. Secundò, cōtra id quod facit vniuersa Ecclesia disputare teste August. insolentissima insanīa est. Sed Ecclesia Episcopos à Pontifice tāquam legitimā potestate constitutos suscipit, ergo. Tertio, summus Princeps potest prouincijs sibi subditis constituere gubernatores, ergo hoc Papa potest totius Ecclesiæ princeps, vt pluribus est ostensum.

August. ep.
118.

SECUNDA CONCLVSIONE.

Modus qui seruari debet vt Episcopus in locum 25.

D d 2

defun.

402 MONARCHIAE ECCLESIASTICAE,
defuncti substituatur, non est diuinâ lege fixus; sed
is statui debet ab Ecclesia, qui maximè paci Ecclesia-
Ambros. in
ep. ad Ephes.
6.4.
sticæ seruiat. Mos fuit aliquando ut defuncto Epis-
copo antiquissimus Presbyter in illius locum succe-
deret. nonnunquam Episcopus viuens successorem
sibi designabat, ita Petrus Clementem 8.q.1. cap.1.z.
Athan. Petrum Ruffin.l.2.c.3. & alios quos tu citas l.
3.c.3 n.62.63.64.65.66.67. Modus communissimus,
qui diu viguit is fuit ut à Clero & vicinis Episcopis
plebe præsente eligeretur, & deinde ab eo qui ordi-
nandi habet potestatem confirmaretur & in sede col-
locaretur. Sed postea propter seditiones & turbas
plebs ab electione Episcopi exclusa est, ne præses ad-
effet, solusque Clerus id est capitulum eligere caput.
In multis autem Ecclesijs etiam mos iste sublatus est,
& aliis obtinet, ut Episcopus à Principe nominetur,
à Romano autem Pontifice confirmetur. Hæc satis
ostendunt modum electionis iure diuino certum nō
esse.

26. In quo tu misere laboras & multis difficultatibus
te implicas dum mussitas nec aperte dicere audes di-
uini iuris esse ut Episcopus à Clero & plebe eliga-
tur. Libenter enim in Romanum Pontificem, quod
Episcopos à plebe & Clero non electos Ecclesijs præ-
ficiat, velut in diuini iuris violatorem inuolares. Sed
modum non inuenis, hoc quo præstare possis, quin
eadem operâ in Regem Serenissimum Magnæ Bri-
tanniæ irruas. Is enim in regnis suis tanquam supre-
mus Pontifex Ecclesiastica gubernat, quos placuerit
Episcopos Ecclesijs præficit, nec eos Clero, nedum
populo eligendos permittit. Itaque satis mirari non
possum Anglos libri tui censores non aduertisse, vel
si aduerterint imprimi permisisse, quæ tu pro Purita-
nis l.3.c.3.num.36. scribis. Plebem (inquis) non nisi
maxima iniuria & contrarior statuta Ecclesia ab electioni-
bus

bus excludi; inde vel maxime probatur, quod inuitis Episcopum nullo modo esse dandum tota clamet antiquitas, & ratio suadet vehementissime. Et num. 37. Quamuis immixtus (inquis) plebs iam sit exclusa ab electionibus suorum Episcoporum: Clerus tamen diutissime in suo iure eligendi perseverauit, & adhuc perseverat, vbi nimia potentia sanctissima iura Apostolicam, imo & Euangelicam traditionem non extinxit. Hæc tu, quasi digito Anglis ostendens Serenissimum Regem, qui solus Episcopos Angliae eligit; cuius nimia potentiam causaris, quodque sanctissima iura & legem Apostolicam imo Euangelicam, id est, à Christo ipso in Euangeliō institutam extinxerit. Certè in hac causa purus putus Puritanus es, qui nihil molestius ferunt, quam quod Serenissimus Rex electionem pastoris sui ipsis non permittat. Nam si nullus eligi posset in Anglia Episcopus nisi plebe totâ præsente & consentiente & liberi suffragijs eligente hocq; diuina lege statutum sit, quas Puritani turbas vbiq; concitarent? Nam quod postea dicis n. 54. Regi cupiens blandiri, Principes optimè & meritò loco plebis, cuius protectores sunt plebe exclusa eligere, in nouas difficultates tecum cōiūcis. Nam totum destruis, quod iam dixisti de Apostolicâ & Euangelica lege, quæ postuleat ut Episcopus à plebe eligatur, ne contingat plebi inuitæ Episcopum obtrudi. Quis n. non videt si Rex loco plebis eligat facilè fieri posse, ut plebi Episcopus, quæ minimè ve- lint, detur? imo quāvis eum animo auersentur, tamen metu Regis, à quo cōstituitur, cōtrà ne mussitare quidē audebūt. Vnde nihil potuit Euāgelicæ legi (si talis villa sit pro plebis libertate) repugnati excogitari, quā ut Princeps ibi plebis elector Episcopi substituatur.

Deinde si Deus statuit & suâ lege fixit ut potestas 27.
eligendi Episcopos in ipsâ plebe sit, non potuit Ec-
clesia nedum Princeps secularis hoc plebem iure pri-

uare; immo nec Plebs ipsa illo se se abdicare potest. Regimen enim Ecclesiæ à Deo institutum mutare nemo potest, vt tu dicis l.i.c.12.n.4. Igitur si régimen à Christo institutum Democraticum fuit, vt Episcopus à plebe & Clero eligatur, hoc Ecclesia mutare nō potuit Quomodo igitur ab electione Episcopi in Anglia non solū plebs, sed etiā Clerus excluditur. Deniq; si Rex potest plebis personam gerere & iure diuino, quod habet vt eligat Episcopū, ipsā exclusa solus vti, quia illius & protector & curator est; cur non poterit loco Cleri eligere Metropolitanus vel summus Pontifex ipso Clero excluso, cum totius Cleri præsertim quoad negotia Ecclesiastica, qualis est electio Episcopi, supremus Princeps, illiusq; & curator & protector sit? Itaq; cum Euangelici seu diuini iuris esse dicit, vt Episcopus à Clero & plebe eligatur, & tamen Episcopū eligi excluso clero & plebe à Rege posse, à Pontifice non posse contēdis, facis quod facere hæreticos solere dicit Hilarius, *non ad veritatis regulam, sed ad studia hominum doctrinam coaceruas.*

28. Quanquam quod blateras non magis in summum Pontificē, quam in serenissimū Regē, plebis ab Episcoporū electionibus exclusionē traditionē Euāgelicā & ius sāctissimū, id est, diuinū violari, nō video quid ex Euangelio ad hoc probandum possis adducere, certè nihil prorsus adducis. Vrges ex Patribus maxime testimoniū Cypriani, qui dicit *De diuina authoritate descendere, vt sacerdos plebe præsente sub omniū oculis delegatur, vt detegātur malorū crima & honorū merita prædicentur.* Vbi in primis Cyprianus nō dicit Sacerdotē à plebe oportere eligi, sed tantū plebe præsente, vt si plebi nō placeat, eius crima detegātur. Deinde mōrē elegendi Sacerdotem plebe præsente assistente dicit de diuina authoritate descendere, non quod diuina lege præceptus sit, sed quod motis huius in diuina scri-

Cyprian.
l.i.ep.4.

Scriptura exemplum habeamus, etiam post Christū, nimirū Matthiæ plebe præsente electi. Act. i. nec nō septē Diaconorū. Act. 6. Quo sanè exemplo ostenditur hunc morē eligendi optimū maximeq; æquitati consentaneū esse, quando sine turbis & tumultu exerceri potest: quoniā verò illū eligēdi morē seditionibus obnoxiu esse magistra experientia docuit, merito illum Ecclesia postea antiquauit: Hoc tantū diuinī iuris est, quod Romanus Pótifex seruat; vt Episcopus sine Cleri & populi cōsciētia nō fiat, sed facultatē habeant crimina, si velint, obijciēdi, que si probētur, non debet illis iustè inuitis Episcopus obtrudi.

TERTIA CONCLV SIO.

Iure diuino & ex institutione Christi summus Pó-

tifex tenetur Ecclesiarum vacantiū propriā & singulare curā Episcopalē gerere, quādo proprio Episcopo carēt. Probatur, quia ideo Romanus Pótifex Princeps totius Ecclesiæ, præter proprios singularū Ecclesiarū

Pastores, à Deo constitutus est, vt propriā & singularē curam gerat illius partis Ecclesiæ, quæ propria & singulari cura indiget. Sed Ecclesia destituta proprio Pastore indiget propria & singulari cura, quæ præter communem singulis Ecclesijs iure diuino debetur. Igitur eam Ecclesiæ vacanti & proprio Pastore destitutæ impendere tenetur summus Pontifex. Vnde Gregor. l. l. ep. 18. mandat Petro Subdiacono suo vt si vacantia repererit, id ei renuntiet. Secundo, quia nō minus, imo magis indiget Ecclesia particularis propria cura summi Pastoris, quando nullum Episcopum habet, quā quando negligentem Episcopū habet, quiq; suo officio nō fungitur, regimen illius Ecclesiæ proprium iure diuino pertinet ad Romanum Pontificem vel ad Metropolitanum & Patriarcham, quem sibi substituit. Igitur multò magis, quando

*De elect. c.
Is cui in 6.
&c. fin. de
suppl. end.
neg. pral.
in o.*

Ecclesia vacat Episcopo, illius proprium regimen diuino iure pertinebit ad summum Pontificem vel ad Metropolitanum & Patriarcham, cuius illud communicavit. Denique ut dicunt Canonistæ in cap. Quanquam, de electio. in 6. res de facili reuertiur ad suam naturam, seu fontem & originem, sed fons & origo omnis Episcopalis potestatis fuerunt Apostolæ quibus fluxit in Ecclesiam: igitur ad Apostolos seu ad Apostolicam supremam potestatem suâ naturâ revertitur: Cum vero quoad Apostolicam propriam autoritatem solus Romanus Pontifex Apostolorum sit successor, ut diximus, sequitur iure diuino, seu ex natura potestatis diuinitus institutæ defuncto Episcopo, illam ad summum Pontificem reuerti, nisi eam ille à se anticipata cessione vel in Capitulum, vel Metropolitanam, vel alium transferat.

30. Ex hac conclusione sequitur. Primo quando regiones infidelium nouiter ad fidem conuertuntur, & in illis Ecclesiæ eriguntur, earum curam propriam ad Romanum Pontificem pertinere, donec illis proprium Episcopum det, quo constituto, tum earum sicut & cæterarum tantum generalem curam gerere tenetur. Vnde facile intelligitur, quomodo Episcopi, qui in Ecclesijs constituuntur post Apostolorum seculum institutis Episcopalem potestatem per successionem ab Apostolis habent. Nam summus Pontifex Petrisuccessor curam propriam quam iure diuino gerere tenebatur illarum Ecclesiarum, in Episcopos quos in illis constituit à se transfert. Hinc illi Episcopi nouiter constituti Romano Pontifici quoad illam Ecclesiam, seu propriam curam illius succedunt, quamvis generalem curam tam illius Ecclesiæ, quam Episcopi semper summus Pontifex gerat, nec eam à se transferre potest quamdiu summus Pontifex manet.

Secun-

Secundo sequitur Episcopos succedere quidem A¹ 31.
postolis, tamen non nisi medio summo Pontifice.
Ratio est, quia regimen singularum Ecclesiarum,
quod Apostoli à se transtulerunt in Episcopos, mo-
riente Episcopo ad summum Pontificem transit vñ
cum curâ nouum Episcopum constituendi; Nam va-
cantium Ecclesiarum cura propria & singularis iure
diuino pertinet ad summum Pontificem, vt dictum
est. Igitur cura illarum, quam successoribus suis reli-
querunt Apostoli, non immediate transit ad succes-
sorem, sed medio summo Pontifice, qui medio tem-
pore interdecessorem & successorem proprius illa-
rum Ecclesiarum Pastor est, curamque quam tantissi-
per illarum gessit Episcopis electis cedit.

Q VI A R T A C O N C L V S I O.

Omnis potestas Episcopalis à Romano Pontifice
tāquam à fonte deriuatur. Sequitur ex dictis, quia iu- 32.
re diuino Romanus Pontifex curam propriam &
singularem gerit cuiuscunque Ecclesiæ vacantis,
& quando Episcopum constituit, onus & officium
proprium illius Ecclesiæ regendæ, quam tantissi-
per ipse sustinet, Episcopo tradit. Igitur omnis
Episcopalis potestas prius in Romano seu vniuer-
sali Pontifice, quam in particularibus existit, &
abillo ad omnes deriuatur. Hæc causa est cur Cy-
priani Petri cathedram seu potestatem gubernati-
uam à Christo in Petro institutam & ad illius suc-
cessorem deuolutam vocet originem, caput, exordi-
um vnitatis Sacerdotalis, hoc est, dignitatis Episco-
palis; Ecclesiamque, quæ Petri continet cathedram
seu potestatem, solem, radicem, fontem, matrem, ca-
put cæterarum, quia à Petri cathedra seu potestate,
quæ vniuersalis est, omnes aliæ cathedræ & potesta-
tes particulares seu vnitates Sacerdotales exoriūtur,
vt l.i.c.5. explicuimus. Vnde Cyprian.l.4.ep.88.v-

cat apertissimè Romanā Ecclesiam à legitimo Petri successore possessam , radicem & matricem Ecclesiæ Catholicæ cum dicit se hortatum esse episcopos qui Romam tempore schismatis Nouatiani missi nauigabant veritatis indagandæ causâ , vt Ecclesiæ Catholicæ radicem & matricem agnoscerent & tene-rent.

33. Quod quia tu impudenter & s̄æpe negas l. 4. c. 10. num. 77. ex ipsa serie Epistolæ perspicuè probabo. Ita enim se res habet. Primo, schismate Romæ per Nouatianum contra Cornelium excitato , multi in Africa dubitabant cui potius adhærerent ut legitimo Petri successor & Ecclesiæ Catholicæ Episcopo. Secundo, ne propter varios rumores in Africa hac de causa dissensiones & schismata ori-en-tur; statuerunt Episcopi , vt neque Nouitianos neque Cornelio per literas communicarent, donec mi-sissent Romanos Episcopos, qui veritatem oculis usur-parent, remque exploratam referrent. Tertio, Poly-carpus Adrumentinus Episcopus huius Africani decreti ignarus literas ad Cornelium miserat, eique ad-hærebat; qui tamen à Cypriano admonitus; postea non ad Cornelium sed ad Clerum Romanum literas misit. Quartò, cum hoc Cornelius ægrè tulisset fa-ctum excusat Cyprianus, dicitque se non hoc fecisse, quod de Cornelij electione vñquam dubitasset; sed retena rei veritate velut dubitantem se cum ceteris gesuisse, vt interim suppremo schismate , tandem ve-ritate comperta, maiori vnanimitate omnes Corne-lio adhærerent. nam alioqui propter varios rumo-res, nisi missa legatione veritatem certò sciri per to-tam Africam non potuisse. Quintò, probat Cypria-nus se nunquam de Cornelij electione legitima du-bitasse ex eo quod singulos Episcopos qui legati mit-tebantur, veritatis indagandæ causa, hortatus fuerit, vt Ec-

33. 4

ut Ecclesiæ Catholicæ radicem & matricem agnoscerent & tenerent, ne nauigantes cum Româ venissent Catholicis Romanis, quibus Cornelij electio cōpertissima erat, scandalô forent. Hæc summa totius Epistolæ. Vnde appetit impudetia tua, qui Cyprianū loqui contedis de Ecclesia vniuersali, quod falsū esse tribus argumentis euidenter ostenditur. Primo loquitur Cyprianus de radice & matrice Ecclesia quam Romæ non agnoscere scandalum erat. Sed Ecclesiâ vniuersalē matrē non agnoscere utrobiq; non minus in Africa, quā Romæ scandalū erat, non igitur de Ecclesia vniuersali loquitur Cyprianus, sed de Ecclesia Petri legitimo Episcopo possessa quam non agnoscere in Africa Catholicus sine scandalô poterat, propter varios de Cornelij electione ruores, Romæ, re comperta, non licebat. Secundo loquitur Cyprianus de matrice & radice, quā Catholicî Episcopi ut agnoscendam scirent, egebant instructione & hortatione priuata Cypriani. At Catholicî Episcopi ut Ecclesiam vniuersalem velut matrem agnoscendam scirent non egebant priuata Cypriani vel monitione vel hortatione. Quis enim Catholicus, nedum Episcopus hoc nescit? Non igitur de Ecclesia vniuersali loquitur Cyprianus, sed de legitimo Petri successore quem Legati Episcopi Africani agnoscendum in Cornelio necdum sciebant, & ideo Cypriani notitia indigebant. Quare nemo, qui Cyprian. intelligit, negare poterit Petri Ecclesiam, sēdem fontem Ecclesiarum matricem & radicem Cypriano esse, atque adeo inde omnem potestatem Ecclesiasticam fluere.

QVI NTA CONCLVSI.

Catholicorum sententia, quæ potestatem Episcopalem diuini iuris facit, non pugnat cum eâ, quæ potestatē omnē à Romano Pontifice deriuari censet.
Nam

Nam Romanus Pontifex potestatem, quam diuinō iure Ecclesiarum vacantium tantisper habet, potestatem scilicet non à se, sed potius in se à Deo ipso institutam ad Episcopos deriuat. Vnde facilē soluitur argumentum, quod tu tam sāpē vrges; præsertim l. 2.c.5.n.30. Si potestas Episcopalis deriuetur à Pontifice, sequi, posse Pontificem sine iustā causā Episcopo potestatem Episcopalem auferre pro solo imperio voluntatis. Nam potestas Episcopalis (inquis) pendet à Pontifice ut lumen lunæ pendet à sole. At lumen lunæ sic pendet à Sole ut si illuminatio Solis libera esset, pro sola voluntate posset lumen Luna eripere, eamq; cum vellet vel lucidam vel obscuram facere. Hoc, inquam, argumentum non concludit. quia Pontifex non deriuat potestatem in Episcopos eo modo quo Sol illuminat Lunam, potestatem nouam à perpetuo voluntatis suæ influxu dependentem producendo, sed potestatem Episcopalem, quam in se tantisper habet iure diuinō in Episcopum transferendo. Quare potestas iam translata à Romani Pontificis mero beneplacito non pendet, nec auferri potest ex mero beneplacito, nisi etiam iusta causa subsit. Nam Sol si particulam lucis, quā lucidus ipse est in Lunam libere transfundederet, Luna non haberet lucem à Solis perpetuo influxu dependentem, sed à solo Deo immediate pendeleret quoad lucem non minus, quam Sol ipse: tamen lucem quam à solo Deo immediate dependentem habet, beneficio solis acciperet. Hoc modo Rex cum Principes & Duces libere creat, ubi semel eos creauit potestatem traditam pro solo libitu reuocare non potest, quia partem regiæ suæ potestatis à se in eos transtulit, quoad eas prouincias, in quibus eos Principes facit. Ita Romanus Pontifex curam Episcopalem diuinę institutionis, quam à se in Episcopum transfert, ad se pro libitu reuocare non potest; præsertim

fertim cum eam in Episcopos transferre, iure diuino teneatur. Dices. Ergo cum Pótifex creat Episcopum potestas eius minuitur. Respondeo, potestatem vniuersalem ratione cuius Princeps totius Ecclesiæ est non minuit; nihilominus cura propria illius particularis Ecclesiæ Pontifex se tunc exonerat, nec debet constituto iam proprio Episcopo, gubernationem propriam illius Ecclesiæ ordinariam exercere, sed tantum quando id necessitas exigit.

Dices secundò. Episcopi plurimi confirmantur, & 35. Episcopi constituuntur à Patriarchis vel Metropolitis independenter à Romano Pontifice. Non igitur in omnes Episcopos iure diuino potestas Episcopalis deriuatur. Respondeo, summum Pontificem ius diuinum habere, ut omnes Episcopos ordinet & constituat ipse, & omnium Ecclesiarum vacantium propriam & singularem curam gerat: quia tamen unus singulis Ecclesijs sufficere non poterat, nec eartum vacantium particularem curam gerere, nec Episcopos singulis tempestiè prouidere, *quoniam diu gregibus Domini deesset cura Pastorum*, ideo instituti sunt Patriarchæ à Romano Pontifice, quibus partem Monarchiæ suæ potestatis impertijt, in eosq; anticipata cessione ius regendi certas Ecclesijs vacantes, quod ad ipsum deuenislet, transtulit. Itaq; Episcopi à Metropolitanis, Metropolitani à Patriarchis, Patriarchæ à Romano Pontifice ad se deuolutam potestatem diuinæ institutionis habent; ut tandem à Romano, velut à fonte & capite omnis iurisdictio oriatur. Quod pulcherrimè dixit S. Leo ep. 84. De quâ formâ (nimirum præminentia vnus Petri inter Apostolos). Episcoporum quoq; est orta distinctio, & magnâ dispositione prouisum est, ne omnes sibi omnia vendicarent, sed essent in singulis prouincijs singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia; & rursus quidam

412 MONARCHIAE ECCLESIASTICAE,
quidam in maioribus Vrbibus constituti solicitudinem sus-
ciperent ampliorem, per quos ad vnam Petri sedem vniuer-
salis Ecclesia cura confluere & nihil usquam à suo capite
dissideret.

ARTICULUS III.

De origine Patriarcharum, & eorum subiectione ad Romanum Pontificem.

37. DE Patriarchis & Metropolitis multa congeris
parum ad rem facientia l.3. quem in hoc argu-
mento integrum consumis. Et quia Primatem te-
scribis, Patriarchas deprimere, Metropolitas & Pri-
mates extollere pro virili laboras. Res autem facile

38. expediri potest. Nam quinq; hic queri possunt. Pri-
a Anacle ep. mō, quis instituit Patriarchas? Secundō, cur Romæ,
3. & habe- Alexandriae & Antiochię potius quam alibi? Tertiō,
tur d. 22. c. quę sit potestas Patriarchae? Quartō, quę sit subiectionis
Sacrosancta. b Damas. in Metropolitanorum ad Patriarchas suos? Quintō, quę
concl. Ro. fit subiectionis patriarcharum ad sedem Apostolicam
in edition. Petri?

Crescon. Dico primo Patriarchales sedes, Romanam, Ale-
c Inno. 1. ep. xandrinam, Antiochenam Apostolorum Princeps
20. instituit. Patet quia hoc Romani Pontifices a Anacle-
d Leo ep. 53. datus, b Damasus, c Innocentius, d Leo, e Gelasius, f Gre-
e Gelas. ep. gorius & alij afferunt.
ad Epis.

Dard. Causa vero cur Petrus harum sedium dicatur in-
f L 6. ep. 37. stitutor non est solum, quia has Ecclesias fundauit vt
Nicol. 1. ad tu fingis Bellarminum dicere, vt eum commodius
cōsul. Bulg. impugnare possis l.3 c.10. n. 4. Vbi scribis eum tra-
dē. 92. dere Petrum fundasse per se Romanam Ecclesiam, Ale-
Bellar. l. 1. xandrinam per Marcum apostolum & Euangelistam, An-
de Rōm. tiochenam vero per Euodium, neq; Apostolum, neq; Euange-
Pont. c. 24. listam,

listam, & ideo Antiochenam Alexandria postpostam. Hac
 tu Bellarmino tribuis & deinde acerrimè impugnas.
 Sed hæc tua figmenta sunt, non Bellarmini cogitata.
 Quomodo enim tam stupidus Bellarminus vñquam
 fuisse, vt Marcum Euangelistam Apostolum dice-
 ret, vel Petrum Antiochenam Ecclesiam per Euo-
 diū fundasse somniaret? Verba Bellarmini sunt hæc.
 Ratio ordinis (inter tres sedes Patriarchales) est, quia
 [cum omnes tres sint sedes Petri, tamen Romanam
 per se administravit vsq; ad mortem, Alexandrinam
 per Marcum Euangelistam, Antiochenam per Euo-
 diū; sicut ergo maior est Petrus Apostolus Marco
 Euangelista, & Marcus Euāgelista Euodio, qui neq;
 Apostle neq; Euangelista fuit; ita quoq; Romana
 Ecclesia Alexandrinam & Alexandrina Antioche-
 nā authoritate & dignitate superat.] Hæc Bellarmi-
 nus. qui neque Marcum fuisse Apostolum, neque
 Petrum per Euodium Antiochenam Ecclesiam fun-
 dasse, sed administrasse dicit. Quibus verbis signifi-
 cat Petrum absentem proprium tam Alexandrinæ,
 quam Antiochenæ Ecclesiæ Episcopū quoad morte
 fuisse; Marcum verò & Euodium non fuisse Petro
 viuente Episcopos illarum sedium; quoad absolu-
 tum regimen, sed Petri vicarios & ministros,
 quod non est incredibile; illud enim Gregorius,
 quem Bellarminus citat, insinuat. Nihilominus exi-
 stimo Petrum tres has sedes, non tam suo Episcopatu,
 quam decreto & institutione honorasse. Statuit e-
 nim vt hæ tres sedes cæteris eminerent, vt ipsius Pe-
 tri propriæ sedes haberentur, non solum quia in il-
 lis ipse sederat; sed quia illis præter Episcopalem or-
 dinariam iurisdictionem, quam cæteri Episcopi ha-
 bēt, partē suę proprię Monarchię potestatis assigna-
 uit; vt aliorum Episcoporum Principes & iudices es-
 sent. Ideo Patriarchales sedes hę Apostolice. *Theodor.*
Primitus *Aposto-*

Apostolici dicuntur, non præcise quia fundatæ ab Apostolis erant, sed quod partem habeant Apostolicæ propriæ authoritatis sibi annexam, ratione cuius, ut olim Apostoli super alios Episcopos eminebant, sicut ipsi nunc eminent.

- Bell. ubi
sup. & quæc.
etiam &c.*
39. Dico secundo. Causa cur Petrus Patriarchatus in his tribus ciuitatibus Roma, Alexandria, Antiochia exerit, fuit etiam temporalis dignitas harum ciuitatum. Hoc exprefse dicit Bellarminus; quem tu, quasi negaret, acriter impugnas, l. 3. c. 10. n. 31. nunquam enim quos impugnas, intelligis. *Non est negandum (inquit) quin Petrus in his sedibus eligendis rationem etiam habuerit magnitudinis & nobilitatis Vrbium.* Nam certe alioquin vix potest sufficiens ratio reddi, cur Alexandrinus Antiochenum præcedat: nam de successore Petri Euodio quod dignitate inferior Marco fuerit, non plene satisfacit, cum plurimas alias dignitates Antiochena Ecclesia habuerit, quibus illam Alexandrinam excellentiam abundè compensaret. Neque hoc negant Romani Pontifices cum dicunt,
- Aliam esse potestatem secularis regni, aliam distributionem Ecclesiasticarum dignitatum.* Duo enim tantum dicunt.
- Dard.* Primò solam dignitatem sæcularem Vrbis non sufficere sine decreto Ecclesiastico, seu Romani Pontificis consensu, ut quis Episcopus Patriarcha sit. In quo valde & sepius Patriarchæ Constantinopolitani errarunt. Secundo quod etiam si Petrus in eligendis & ordinandis sedibus Patriarchalibus secutus sit dignitatem sæcularem Vrbium; tamen positâ hac Petri institutione à Concilio Nicæno approbatâ, non debere facile alias Vrbes, quæ post Petrum sæculari dignitate nobiles euaserunt, his Vrbibus anteferri quoad dignitatem sacram. Tantum enim Petro tanto Ecclesiæ Principi, & eius institutioni deferre debemus, ut his ciuitatibus, & eorum Patriarchis primitum,

Leo ep. 54.

Gel. ad Ep.

Dard.

matum; nullius postmodum sese efferentis terrenæ ciuitatis fastus eripiat.

Dico Tertiō: Patriarchas, Primates & Metropolitas, nullam diuino iure certam & constantem iurisdictionem habuisse, sed pro téporum & occasiōnum diuersitate variatam. In hoc enim differunt ab Episcopis Patriarchæ, Primate, Metropolitæ, quod Episcopi cum diuino iure in Ecclesia sint, etiam habeant diuino iure certam in suâ prouinciâ potestatem, quam propterea Romanus Pontifex restringere nisi grauiissimâ decatâ non debet. Nam si sua vnicuique Episcopo iurisdictione per Romanum Pontificem non ferueretur, quid aliud (inquit Gregorius lib. 10. epistola 31.) agitur, nisi ut per nos, per quos Ecclesiasticus custodiri debuit ordo, confundatur? At Patriarchæ, Primate, Metropolitæ, sicut ius diuinum tales immediate non constitutæ, ita neque certam iurisdictionem illis atsignet, sed Ecclesia maiorem illis vel minorem tribuere, prout æquum censuerit, potest. Quare non est quod mireris, quod tamen l. 3. c. 7. num. 29. satis admirari te non posse dicens in Concilio Tridentino Metropolitanorum potestatem erga suos Suffraganeos non parum restrictam & coarctatam, præsertim ne visitationes instituant Provinçiae, sine Suffraganeorum consensu. Cur enim mireris Ecclesiam Catholicam potestatem, quam Metropolitis iustis de causis dederat, eandem cum iusta causa suppetunt reuocare? Multò autem insipientius l. 3. c. 12. n. 41. hortaris Metropolitas ut Papam contemnatur sicut ipsi à suis Suffraganeis contemnuntur; hoc est sicut Suffraganei, qui Concilio Tridentino concedente in nonnullis à Metropolitæ potestate exemptos se gerunt; ita Metropolita nullo Concilio approbante, sola superbia incitante Romanum Pontificem, cuius supremum in Ecclesia regimen

416 MONARCHIAE ECCLESIASTICAE,
diuino iure constare ostendimus, reijciant librumq;
illum hoc epiphonemate concludis: *Quod si Archiepis-
copi ita contemnerent papam sicut ipsi papam authore con-
temnunt a suis Suffraganeis, qui se eis penitus faciunt a-
quales, ordo certe Hierarchicus facile ad suam primam in-
stitutionem, integratatemq; renocaretur, & primarium
splendorem recuperaret. Vbinam. Nimirum si subditi
superiores contemnant: si quae semper viguit disciplina
proculcetur, tunc primaeus Ecclesiæ splendor
rediret. Ita deliras!*

41. Dico quartò. Patriarchas Romano Pontifici sub-
iiji, & ab eo potestate accipere, Probatur. Si Patriar-
chæ authoritate Romani Pontificis in officio cōfir-
mantur, deponantur, depoliti restituuntur; certe
Romano Pontifici subditi sunt. Sed Romani Ponti-
fices antiquissimi Patriarchas confirmarunt, depo-
suerunt, depositos restituerunt. De confirmatione ex-
empla habemus. Nam Maximum Antiochenum a S.
Leone confirmatum in Episcopatu in Cōcilio Chal-
cedonenti Act. 7. legimus. Anatolius ab eodem Leo-
ne confirmatus est ipso Leone teste ad Martianum
Augustum. *Vestra pietatis auxilio, & nostrifauoris assen-
tu, Episcopatum tantæ Vrbis obtinuit & ep. 84. ad Ana-
stasium Thessalonensem suum Vicarium ordinatio-
nem ritè celebrandam tua firmet autoritas, nihil (in ordi-
nationibus Episcoporum) permittimus te ignorante
præsumi.* Quod verò tu singis Romanum Pontifi-
cem non aliter confirmasse Patriarchas vel Episco-
pos, quam factum approbando, Episcopo ordinato
communicando, cuius ordinationem irritare non
poterat, ineptum est. Nam si Ego v.g. Romanus Pon-
tifex tenebatur consentire Anatolio Episcopo ordi-
nato, cur dicit sua gratia & sui fauoris assentu Anatolium Episcopatum accepisse, & te in eo confirman-
do benigneum quam in iustorum fuisse nullam enim

Leo ep. 54.

grat

gratiam Anatolio Leo fecit, si quod debuit facere fecit, quod nisi fecisset ipse peccasset, non Anatolio Episcopatum eripuisset.

Deposuerunt Romani Pontifices octo Patriarchas 42.

Constantinopolitanos, ut author est Nicolaus primus ad Michaelem : Diocorum Alexandrinum secundæ sedis Episcopum suâ authoritate sedes Apostolica damnauit, inquit Gelasius : Flauianum Patriarcham Antiochenum depositum Damasus ; nec unquam potuit alterum Episcopatum obtinere, donec Romanus Pontifex consensit.

Restituerunt Romani Pontifices Patriarchas de-

positos Athanasium Alexandrinum, Paulum Constantinopolitanum, & Marcellum Ancyranum, scribit Gelasius & Sozomenus l.3.c.7. cum (inquit) propter sedis dignitatem cura omnium ad ipsum spectaret, singulis tuam Ecclesiam restituit. Quod vero tu respondes sensum esse ; cura omnium ad Iulium spectabat, h.e. Iulius curam omnium ad se spectare arroganter & falsò putabat ; ridiculus es expositor. Imo non solum Iulius & Sozomenus, sed Athanasius, Paulus, Marcellus, & alij plurimi Orientales Episcopi curam omnium ad Iulium spectare, eumq; posse suâ authoritate depositos Episcopos restituere arbitratì sunt ; hancq; Romani Pontificis curam Christianis omnibus tam notam & sanctam esse, vt literis Iulij confisi ad suas (inquit Sozom.) Ecclesiæ reuertuntur, literasq; Iulij ad Episcopos Orientis mittunt : nec aduersus illorum restitutionem vilus præterquam Eusebianus, hoc est Arrianus se opposuit, vt ipse Athanasius scribit. Deniq; Patriarchales sedes præser-tim Constantinopolitanā à Romano Pontifice pendere, ab ipsoq; vt à sole suam dignitatem accipere testatur Concilium Chalcedonense in literis ad S. Leonem. verba Conciliij sequente capite adducemus.n.

Gelas. ep. ad
Episc.
Dard.
Theodor. Lg
hist. c. 23.

25.

Epist. ad
Episc.
Dardan.

CAPVT SEXTVM.

Causas totius Ecclesiae grauissimas à Patribus & Concilijs
ad Romanum Pontificem semper relatas & il-
lius Prumatum agnitum
fuisse.

I. **T**ertium quod ad Monarchiam requiri dicimus
hoc est, ut negotia quæ totius communitatis
causam & summam continent; Monarchæ præsertim
iudicio definiantur. Hanc supremam definitiuan
potestatem in Romano Pontifice esse quoad Eccle-
siae negotia grauissima, hoc capite restat ostendere.

SEXTVM ANTONII FUNDAMENTVM.

Romanos Pontifices sibi supremam potestatem re-
sistente semper Ecclesiâ Catholica
vsurpasse.

Hoc probas exemplo Polycratis Ephesinæ se-
dis Episcopi, qui in quæstione de celebratione
Paschæ restituit VICTORI. Secundò exemplo Cypria-
ni, quem dicis se fecisse Romano Pontifici parem,
imo quodammodo superiorem. Nam cum Cornelius
(inquis l. 4. c. 8. n. 4.) aliena iudicia ad se traheret, Epis-
coporum propriam iurisdictionem usurparet & impediret
ne Ecclesiæ à suis Episcopis libere regerentur, ut eum ab in-
cepto deterreret Cyprianus, protulit aduersus Cornelium
illud celeberrimum dictum; Neque enim aliunde ha-
reses ortæ sunt & nata schismata, quam quod Sacer-
doti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia
Dei ad tempus Sacerdos, & ad tempus iudex vice
Christi cogitur &c. Tertium exemplum, Firmi-
liani & Cypriani, qui familiariter, imo contemptum

Ste-

Stephanum exceperunt, & citas verba Firmiliani, quibus Stephanum comparat Iudæ proditori, stultum & ineptum vocat, & illi applicat illud ex diuinâ scripturâ; *Vir iracundus suscitat rixas, & exagerat peccatum.* Prover. 29.

Secundò probas Ecclesiam Romano Pontifici restitisse ex Concilijs. Primum est Antiochenum in Eucænijs celebratum quod Eusebianorum fuisse Athanasius expressis verbis affirmat: tu tamen Catholicum fuisse non probas, sed vociferaris l.3.c.8.n. 9.vbi vocas illud *celeberrimum & summa in Ecclesia auctoritatis.* Contra Baroniū autē & Binium, qui cum Athanasio hoc Concilium Eusebianorum hoc est Arrianorum conuenticulum appellant, in quo renientibus orthodoxis Episcopis multa impiè decreta sunt, exclamas. *O nostrorum licentiam non ferendam! expecto ab horum & similium auctoribus, ut ipsa Oecumenica quatuor prima Concilia, imo & ipsa quatuor Euangelia similibus fædissimis notis per eis aspersa in dubium alquando resucentur & quæ scriptura si ista liceant iam tutæ relinquuntur?* Secundum est Concilium Constantinopolitanum II. cui subscripsit etiam Chalcedonense, quo decernitur, ut Episcopus Constantinopolitanus paria priuilegia habeat cum Romano. Tertium est Patrum Africanorum, qui Romanis Pontificibus Zozimo, Bonifacio Sixto & Celestino restiterunt in negotio appellationum.

His positis concludis, solos Episcopos Romanos suum Primatum asserere, quos dicis dilatare fimbrias suas & sibi nimium arrogare. etiam Leones, Innocétios, Damasos l.3.c.10.num.4.& l.2.c.5.num.23.& l.1.c.3. n. 24. *Omnium Romanorum Pontificum (inquis) in hoc Cypria. l. 4. genere dicta merito suspecta possunt videri; quia nemo non sibi auget, nemo sibi, vt ait Cyprianus, infesta & aduersa de- ep. 9. Athan. or- promis.* Et Athanasius. Nunquam profecto, inquit, Ariani. Et. Arian. l. cont.

reo partēs sibi iudicandi arrogante criminis absolūtio continget. Veruntamen (inquis) non hoc veterum Ponificum elationi & ambitioni ut nunc, quām bano cuiam, pioque ipsorum zelo tribuendum, dum cathedralam suam exaltarent: quo nimurum sincera tunc fide, additā sedis autoritate tot vndeque pullulantes heresēs possent facileius opprimere. Hæc tu.

Hoc tuum fundamentum ex dictis satis superque euerum est. Itaque quām fieri potest paucis hoc caput expediam. Primò agendum erit de Romanis Pontificibus. Se undò de Concilijs. Tertiò de Patrum factis. Quartò de Patrum dictis.

ARTICVLVS PRIMVS.

De Romanis Pontificibus.

3. **D**ico primo. Romani Pontifices semper se totius Ecclesiæ Monarchs à Deo constitutos agnoverunt. Hanc conclusionem negas sepissime, nec minus si peccas. l. 4. c. 10. n. 19. dicas antiquos Romanos. Pontifices, quorum plurimi in doctrina & sancti auct excelluerunt, non sibi arrogasse magnum Papatum cali æmulum, nec Monarchiam absolutam, nec à posterioribus Papis posse istos fauitorum pro summo Papatu meritò adiucari patronos. At eodem lib. 4. cap. 8. n. 10. dicas antiquissimos Romanos Pontifices statim ab Apostolis vniueralem Ecclesiæ regere voluisse sequi omnium totius mundi Episcoporum iudices ecclise. & ib. num. 75. dicas per omnes serè aëfates à Christo Romanos Pontifices omnes in nauasle operain, vt Ecclesiæ vniuerlam suæ subderent potestati, adeoq; se supremos & solos Ecclesiæ Dominos & Monarchs cōstituerent. Præterea Romanos omnes Pontifices se totius Ecclesiæ Monarchs agnouisse, inde euideretur colligitur; quod illos

illos ipsos Pontifices, quos à Monarchia maximè alienos facis, alio loco Monarchiam penitus extitisse & exercuisse fatearis. Duos præcipue Romanos Pontifices laudas, Leonem & Gregorium, vtrumq; primum, vtrumq; Magnum: de Gregorio iam dixi: de Leone l. 4. c. 10. n. 28. sic scribis. Leonem ego nunquam penitus exorbitasse dixerim, aut nimium extra limites sui legitimi primatus exceperisse. Qui enim se Sacrum Ecclesie Canonum obseruantissimum profitetur &c. à profecto i Monarchia Ecclesiastica absoluta satis abhorrebat. Hęcibi. & l. 4. c. 4. p. 17. dicens Leonem contra Anatolium se Patriarchae Alexandrino præfrentem vigere Nicenorum Canonum iniuriam, atque hac prætensione armatum Constantinopolitano priuilegio restituisse. Reuera tamen (inquis) se totius universalis Ecclesie Monarcham esse cupiebat: neque facile patiebatur socium & amulum in Ecclesiastico Imperio. Et ibidem adhuc apertius. Hinc illa lacrima, non paest (Leo) pati nouum primatum Constantinopolitani, quia absolutam Romanam Ecclesiasticam Monarchiam conuellebat, quam sibi ex diuina per Petrum institutione iam affingebat. Hęc tu. non exagito, quā temere de sanctissimi Pontificis animo sententia feras, quod ficte de Canonum Nicenorum violatione conqueratur, nec reuera Canones Nicenos sed suam Romanam Monarchia lędi egrę ferat. Illud obseruo, te tuo more in terminis & expresse tecum ipsum pugnare. Quomodo enim Leo (quod uno loco dicens) nunquam primum exorbitauit, sed à Monarchia Ecclesiastica semper abhorruit; si (quod alio loco dicens) se solum Ecclesiæ universalis Monarcham esse cupiebat, & absolutam Monarchiam Ecclesiasticam sibi affingebat?

Dico secundo. Romatorum Pontificum dicta & facta in hac causā magnae authoritatis esse. Primo, quia

cum fuerint te satente doctrina excellentes, non de-
credibile omnes ad vnum ius diuinum & regimen à
Christo institutum ignorasse; cum fuerint Sanctitate
præstantes & eximij, fieri non potuit vt omnes se
Monarchs & Dominos Ecclesiæ contra Christi pre-
ceptum & institutionem facere voluerint. Quod au-
tem dicas veteres Pontifices ex bono & pio zelo; re-
centiores ex elatione & mera ambitione sibi Monar-
chiam usurpare; nemo non videt hoc dictum mul-
tum habere inuidię, nihil mentis. Nam si priui Ponti-
fices pio zelo sedem suam, cum iaceret, erexerint &
Monarchicam fecerint, qua tot vndiq; pullulantes
hæreses additâ sedis autoritatē facilius opprimeret;
cur nostro sæculo hæresim feracissimo in Romano
Pontifice scelus sit tueri sibi traditam à Maioribus
sedis dignitatem extinguis hæresibus tam op-
portunam; cum non minor virtus sit parta tueri quā
quærere? Si dicas nostro sæculo nullas hæreses pullu-
lare; cæcū es. Si contendas hæresibus oprimendis
vnius sedis regimē olim necessarium fuisse, nunc non
esse; ridiculus es. Si posse modernos Pontifices ba-
no zelo se Monarchs Ecclesiæ gerere tamen eos non
zelo sed ambitione moueri pronuncijs; temerarius
es. Deus enim te iudicem summorum Pontificū non
fecit. quis tibi reuelauit consilia cordium? qui tibi
constat bono & sancto zelo non fieri, quod à Pontifi-
cibus piâ mente fieri posse & olim factum est conce-
dis. Itaq; quod regimen sancti Pontifices olim exer-
cuerunt, moderni Pontifices sancte etiam exercere
possunt, quod si contendas non ei pietate, quā dece-
sores Ecclesiæ gubernacula hos tractare, mentē non
Monarchiam mutēt. Iam regimenis sui patronos ha-
bebū sanctissimos olim Pontifices martyrio & mi-
raculis illustres, doctrina insignes, toti Ecclesiæ Ca-
tholicæ venerabiles, hæresim extinctores, à Conci-
lijs ge-

Ijs generalibus cultos; quorū tam longā serie instru-
cti & muniti, blateramenta tua meritò cotemnunt.

Secundò Romanos Pontifices in causa etiam sua 5.
magnæ authoritatis esse probatur; quia si Romani
Pontifices quādo loquuntur de suo primatu, quia lo-
quuntur in causâ dignitatis & excellentiæ suæ, testes
fide digni non sunt, etiam reliqui Episcopi nullius es-
runt authoritatis, cum se (vt tu singis) Romano Pon-
tifici pares dicunt. Loquuntur enim in causa propria,
nimirū libertatis & exemptionis suæ à supremi Prin-
cipis regimine. Nam sicut vnuſquisq; naturâ duce
desiderat esse summus; ita nemo est, qui nō egrè ferat
subiectionem, iugumq; à se, quantum potest, amolia-
tur. At Episcopis antiquis, Polycrati, Ireneo, Basilio,
Nazianzeno, Cypriano, Ambrosio, Augustino, quia
doctrina & sanctitatem excelluerunt, tantū tribuendū
censes, vt ijs Romano Episcopo se (tua opinione) æ-
quantibus fidē adhibeas & adhibendam putas. Cur i-
gitur Romanis Pótificibus, Victori, Cornelio, Iulio,
Damaſo, Zozimo, Innocētio, Leoni, Gregorio, quo-
rum doctrinam & sanctitatem latidas, in sua causa lo-
quentibus fidem non adhibeas? Nā vel Pátribus do-
ctissimis & sanctissimis in sua causa credendū existi-
mas, vel non. Si non, cur Episcoporum, qui se pares
Pontifici Romano faciunt, testimonia tanquam fide
digna affers? Si existimas credendum, cur omnium
Pontificū Romanorū, in quibus plurimos fateris fu-
isse doctrinā & sanctitate insignes, testimonia suspecta
esse dicis? Hoc clarius fieri exemplo. Dicis Cornelium
sibi ius in Episcopos & particulares Ecclesiās arro-
gasse, appellations admisiſſe: Cyprianū verò singis
ægrè id ferre, & hoc nomine aduersus Cornelij ſilū
dirigere, ſe Cornelio parē, imo quodāmodo ſuperiorē
facere. A te igitur peto, Antoni, vt verum sit quod
singis, cur ſacta Cornelij potius, quam Cypriani ſu-
pectiſ-

424 MONARCHIAE ECCLESIASTICAE,
peccatisima sunt? Si potuit blando excellentiae appetitu, nimium tibi arrogare Cornelius; cur odio subiectionis non potuerit Cyprianus iugū Christi institutione Episcopis impositū detrectare? Si sanctitas & doctrina Cypriani te certū facit, Cyprianū ne quidē suā in causā nimiū sibi induluisse, cur Cornelio, quem Cypriano Martyrio & sanctitate parē Deus fecit, fidem penitus abrogas? imò cur omniū Romanorum Pontificū dicta in hac causa meritō suspectissima esse dicis, nec ullum excipis ne Petrum quidem, quē Romanum Episcopum fuisse Patres constanter alleunt?

Tertio probatur ex tuo facto, quo ostenditur aliud te dicere, aliud facere. Nā Patres, quos in sua causa suspectos esse debere dicis, in suā causā loquentes tanquam incorruptæ fidei testes pro tua sententia cites, lib. 2. c. 3. Ibi enim ut probes contra Hieronymum & alios Presbyteros Episcopum iure diuino superiore esse Presbyteris, affers testimonia innumera Patrum, qui Episcopi fuerūt, Epiphanij, Cyrilli, Chrysostomi, Cypriani, Augustini, Damasi, Gregorij. Quārō à te, an hęc Episcoporū de suo primatu dicta suspectissima sint & nullius authoritatis, an nō? Si nullius momenti, cur illis chartā illinis? vt quid bene magnā libri tui partem occupant? quibus tam facile tecum responderi posset à Presbyteris, nemini in sua causa credendum, ridiculum esse vt rei se iudices faciant & sententiā pro se dicant; quis enim sibi infesta & aduersa depromet? Si fide digna sint Episcoporū testimonia, si suspicio-
ne careant, cum suum Privatum super Presbyteros asserunt; cur Romanos Pontifices suum super Episcopos primatum affirmantes & exercentes in suspicionem vocas? Nimurum inconstans es; nec quid dicas, modo vastum volumen condas, tibi pensi est.

Quar-

Quarto Romanos Pontifices magnæ authoritatis in hac causa esse patet, quod nullos eorum reprehendas, quin tibi ipsi ferè contrarius sis, quosque uno loco accusas, alio loco absoluas. Hoc tribus exemplis ostendam.

In primis lib. 4. cap. 10. nu. 87 in hac verba Hieronymi ad Damatum, Romani culminis facessat ambitio, cum successore Piscatoris loquor. Sugillat (inquis) Hieronymus nimiam Paparum ambitionem, qui splendorem iam secularem ambirent, & mundano fastu satis tumerent, ut propterea viderentur dēdignari ad functiones quasdam Episcoporum & sacerdotum Christi non Dominorum & principum proprias descendere. Hęc tu eo loco. At ibidem num. 10. contrarium dicis, Romanos veteres Pontifices, si plusculum limites excellerint ex pio zelo, vel ad summam ex subreptione, vel fragilitate humana, non ex ambitione & fastu. Et num. 87. quia Romani Pontifices tempore Damasi potentes erant verbo & exemplo, tunc ad eos ex omnibus mundi partibus caulae grauissimae deferebantur. Si Romani Pontifices ceteris Episcopis & toti Ecclesiae verbo & exemplo prælubebant tempore quo Hieronymus Damaso ab Episcopatu serat, certe à fastu & ambitione remoti erant; qui verum igitur eos tunc mundano fastu turgidos, propria Episcoporum munera obire dēdignatos fuisse?

Secundò l. 4. c 2. n. 11. Romani Pontifices (inquis) posteriores, adeoque semper deteriores mirò cum artificio, nec minoris superbia typho, sub humilioris & simplicioris tituli specie, se tantum Episcopos vocarunt, ut iam ordinaria Paparum inscriptio sit, Episcopus servus servorum Dei. Episcopus, nimurum absolute totius mundi, & non solum Romana Ecclesia alligatus Ita tu hoc loco. Sed eodem lib. 4. ca. 8. num. 42. de S. Gregorio, qui teste Ioanne Diacono

426 MONARCHIAE ECCLESIASTICAE,
cono primus Romanorum Pontificum titulo Epis-
copi serui seruorum Dei vsus est, dicis *fuisse alijs de-*
cessoribus suis modestiorem, à Papatu alienum, & proru-
pentes ambitionis stimulos in suis prædecessoribus damnasse,
quorum nonnulli sibi in omnes Ecclesias imperium etiam di-
uino iure obtento arrogabant. Hæc tu: vbi his tecum pu-
gnas. Primò, cùm concedis, quod sæpius negas, non
tantum modernos, sed etiam Sanctos Episcopos Ro-
manos Gregorio priores imperium in omnes Eccle-
sias diuino iure sibi arrogasse: Secundò, cum Gregorij
præ cæteris modestiam laudas. Nam si Gregorius
melior & modestior prædecessoribus suis; quomodo
Romani Pontifices, quo posteriores eo semper dete-
riores? si Gregorius qui se *Episcopum seruum seruorum*
Dei primus inscripsit, modestissimus sit; quomodo
Romani Pontifices, qui hac inscriptione vtuntur su-
perbiæ typho inflati omniumq; deterrimi? Certè
tantam in scribendo socordiam vix in alio quoquam
inuenies, qui vnquam cogitationes suas ausus sit pro-
ferre in lucem: & in te ferre si potes, patientissimus
es.

9. Tertiò l.4.c.10, nu. 53. respondes ad dicta & facta
Pontificum, qui post Gregorium Magnum fuerunt.
Ab his (inquis) nos facile liberamus. Si quis enim plus aut
dixit de suo Papatu, aut fecit, quam legitima concedunt
priuilegia, id vana persuasiōni & usurpatiōni iam stabilita
tribuendum erit. Quare Agathonis, Adrianorum, Nicolai
vtriusq; , Ioannis octauii, Leonis noni , Gregorij septimi,
Paschalis secundi , Innocentij tertij, Bonifacij octauii &
dicta sunt suspectissima , & facta mera attentata. Hæc ibi.
At eodem l.4.c.1.n.4. affers testimonia Pontificum,
qui se Vicarios Petri appellabant, & ab alijs se vocari
patiebantur. Ex his valde antiquiores Gelasio nullos
sed ipsum & Symmachum, Ioannem primum, Gre-
gorium Magnum, Gregorium secundum, Adria-
num,

num, Paschalem, Stephanum, Leonem tertium, Gregorium quartum, Nicolaum primum, Alexandrum secundum, Gregorium septimum, Innocentium secundum: hos dicas non successores Petri sed Vicarios se dixisse & dictos esse; quia (inquis) se in locum Petri hoc est puri ministri & serui substitutos puros ministros & seruos agnoscabant: nunc vero quia nudum ministerium designantur, non Petri, sed Christi, immo Dei Vicarii specialissimo titulo gloriantur. Hæc tu: quæ si cum alijs tuis dictis conseruantur, credi vix potest, quām sis ineptus & tibi ipsi contrarius. Quanta ineptia existimare substitutionem in locum Petri puri ministri & serui magis significari nomine Vicarij, quam successoris Petri? Nam cūm successor quā successor decessore major esse non possit, certe si Petrus purus minister & seruus fuit; qui se Petri successorem dicit, non minus se purum scrum & ministrum dicit, quām si se Petri Vicarium diceret: præsertim cūm Vicarius Petri iam defuncti nihil aliud significet, quām Petri successorem? Deinde quām turpiter tecum ipse pugnas, qui Romanos Pontifices posteriores Gregorios, Adrianos, Nicolaos &c. quos nominatim magno fastu & superbia se totius Ecclesiæ Dominos & Monarchs constituisse millies blateras, illos ipsos nominatim ob humilitatem laudas, quod se puros Ecclesiæ ministros agnouerint, & in hoc titulo eorum modelitiam elucidere?

ARTICVLVS II.

De Concilijs.

Dic o primò. Catholica Concilia Ecclesiæ omnipotenti Romani Pontificis autoritatem agnouerunt. De postremis Concilijs generalibus Lateranensi, Lugdunensi, Florentino, lateris I. ac I. m. ut Romanis

*Lateran.
sub Innoc.
3.c.s.*

Romani Pontificis primatum agnouisse; sed dicas celebrata esse sub iugo Romanæ Monarchiæ Ecclesiasticæ iam dominantis , & ideo applaudere tanto Monarchæ coacta esse. In quo dicto tria continentur, quæ cum alijs dictis pugnant. In primis enim hoc eodem & libro , & capite , & numero dicas verum Papatum non nisi Lateranensi Concilio vltimo sub Leone decimo, hoc est, sculo post Christum decimo sexto Conciliari voce fuisse definitum. quod qui verum esse potest , si Concilium Lateranense sub Innocentio tertio, quod Lateranense vltimum tribus saltem sæculis præcessit , Romanæ Monarchiæ iam dominanti Conciliari voce applaudat , cum sic definit. *Romana Ecclesia disponente Domino super omnes alias ordinaria potestatis obtinet principatum!* Secundò cum dicas Græcos tempore Lateranensis Concilij sub Innocentio tertio Romanæ Monarchiæ iugum passos esse, quamvis verum sit tunc temporis Ecclesiæ Græcam deposito schismate, Romano Pontifici se subdidisse; tamen in hoc dicto apertissime tecum ipse pugnas. Nam lib.2.ca.10.n.48.vt probes Clericos in Occidente legitimè vxores habere; & ijs vti, virges testimonium Innocentij tertij. Innocentius tertius (inquis) in Concilio generali (nimirum Lateranensi) fatetur iuxta morem alicuius regionis Clericalem non erant amplexæ. Frustra igitur Glosa ad Orientales id refert. *Nam eo tempore erant Ecclesia Orientales, ut nunc ab Occidentalibus schismate disiisa.* Hæc tu; quæ non solum pugnant aperte cum tuo, quod iam citaui, dicto, Græcos sub Romanæ Monarchiæ iugo tempore Lateranensis Concilij sub Innocentio tertio fuisse , sed etiam contra apertissimam historiæ veritatem. Constat enim ex ipso Con-

Concilio Lateranensi Græcos tempore Innocentij tertij ad Romani Pontificis obedientiam rediisse, quorum Clericis, non Latinis, usum matrimonij Concilium permisit. Græcos (inquit Concilium) in diebus nostris ad obedientiam sedis Apostolica reverentes souere & honorare volumus, mores ac ritus eorum, in quantum cum Domino possumus sustinendo.

Tertio contra id quod hic præcipue dicas, nimirum Episcopos, præsertim Græcos in Concilijs Generalibus, Lateranensi, Lugdunensi, Florentino coactos gementesque subscriptissime, lib. 3. cap. i. num.

23. scribis : Ne Papa quidem noster (inquis) tametsi in miseros Episcopos in suis Ecclesiis constitutos summam iam diu exerceat tyrannidem, ubi tamen Episcopi sunt in legitimo Concilio præsertim Oecumenico congregati, soudum ausus est ut & tyrannice in suam sententiam compellere ; imo multo plus terroris incutunt ei Episcopi in Concilio, quam ipse Episcopis. Hæc tu quæ plane ostendunt, quam verum sit mendacem memorem esse oportere, alioqui suis ipsum dicitis implicandum. Nam si Romanus Pontifex Episcopis in Concilio præsertim oecumenico congregatis nunquam adhuc terrorem incussit, nec Monarchia sua metu in suam sententiam adduxit ; quomodo verum , quod dicas Episcopos tam Græcos quam Latinos in Lateranensi, Lugdunensi, Florentino Concilijs congregatos coactos esse à Monarchia Romana tum dominante tanto Monarchæ applaudere ? Quod si Episcopi Catholicæ in his Concilijs non coacti , sed sponte subscripterunt Romano Primitui ; quæ vis alia, quam veritatis eos ad hanc subiectionem adigere potuit?

Dico secundo Concilia etiā prima & antiquissima non minus Romani Pontificis summā autoritatē agnouisse

Conci. La-
teran. sub.
Inn. 3.e.

*Bell. l. 2. de
Rom. Pon-
tif. c. 13.*

430 MONARCHIAE ECCLESIASTICAE,
nouisse omissis eorum sententijs , quæ clarissimæ
sunt & in Bellarmino legi possunt) hoc euidenter
ostendam, quinque testimonij tuis.

PRIMVM TESTIMONIVM.

Hieron. ep. 11. L.4.c.10. nū.85. respondens ad hoc testimonium Hieronymi, qui de se dicit, *cum in chartis Ecclesiasticis inuarem Damasum, & Orientis atq[ue] Occidentis synodis consultationibus responderem*; qui locus clarissimè ostendit totius orbis Episcopos ac synodos ad Romanum Pontificem velut ad caput, quæ dubia erant, definienda referre consueuisse; *Quis negat (inquis) ex omnibus mundi partibus in gratioribus Romanam Ecclesiam fuisse olim consultam, quamdiu verbo potens fuit & exemplo?* Romanam Ecclesiam concedis olim caput omnium Ecclesiarum & oraculum fuisse, vnde responsa in dubijs totius Ecclesiae grauissimis petere synodos omnes, & Episcopos oportebat. *Quod autem dicis hoc contigisse; non quia diuinitus institutum regimen tale erat; sed quia Romana Ecclesia potens erat verbo & exemplo, iam satis confutauit ex eo, quod Damasi & Hieronymi saeculo aliæ Ecclesiæ erant, si tibi credimus doctrinæ & disciplinæ puritate Romanæ pares, atque adeo verbo & exemplo non minus potentes, præsertim Hierosolymitana, quam dicis tunc fuisse fidei & disciplinæ Ecclesiasticae Magistræ celeberrimam: nec tamen ab ea synodi & Episcopi totius orbis responsa circa fidem postulabant, aut leges quoad disciplinam accipiebant. Non igitur hæc fidei puritas erat sola causa, cur nihil sine Romani Pontificis concilio & authoritate fieret; sed alia, nimis Christi institutio in Petro ad Romanum Episcopum successione deuoluta.*

SECVNDVM TESTIMONIVM.

L.4.c.9.n.17. Propter iam explicatam (inquis) Romanæ

manæ Ecclesiæ authoritatem , priuilegium Romani Pontificis erat , vt nihil graue in Ecclesiâ vniuersali , nisi ipso prius consulto statueretur , aut tractaretur ; cuius etiam in his non modo consilium sed consensus quoq; enixè requireretur : ita tamen vt absolutè necessarius non esset ; neq; si abesse , definitiones cassaret ; sed duntaxat definitionibus & decretis , maius robur , maioremq; adderet authoritatem . In his verbis duo fateris . Primò nihil olim graue in Ecclesiâ vniuersali independenter à Romano Pontifice geri potuisse . Secundò tantam fuisse Romani Pontificis autoritatem , vt definitionibus Concilio- rum robur & autoritatem addere posset . Ex his duobus dictis alia duo sequuntur . Primò Romani Pontificis autoritatem supremam in Ecclesiâ esse , & Concilijs superiorē . Probatur , qui decretis & definitionibus Conciliorū robur & autoritatē addere potest , maiorem auctoritatē habet , quam Concilia . neq; enim subditus & inferior robur & autoritatē decretis superioris & Principis sui addere potest . Sed Romanus Pontifex , te fatente , decreta & definitiones Ecclesiæ vniuersalis confirmare potest ijsque robur addere . Igitur Romanus Pontifex maioris est , quām Concilia auctoritatis , nec illis subditus est . Neq; di- cas Romanum Episcopum tanquā vnum de Episcopis , decretis à Cōcilio robur addere , eò quod decre- tū Cōciliij quo plures subscribunt episcopi eò firmius est . Nam falsum est concilium quo plures continent Episcopos eo firmius , vel Concilio aliquid auctorita- tis decedere , ex eo quod vñus aut alter Episcopus dissentiat . Quare cum te fatente Concilia à summo Pontifice quoad confirmationem pendeant , ita vt inde maius robur accipiant , sine dubio ab illo vt à supremo Ecclesiæ principe pendent , & inde maiore firmitatem habent non tantum extensiū sed etiam intensiū . Ex quo vltterius secundò sequitur , sine

Romani Pontificis consensu nullas Ecclesiæ definitio-
nates plenè & absolutè ratas & firmas esse pos-
se. Probatur , quia definitio , quæ caret supremæ
authoritate , quæ est in Ecclesia , non est plenè &
absolutè rata ; nec totam habet firmitatem , quam
Ecclesia illi tribuere potest. Sed definitio quæ
caret authoritate & consensu Romani Pontificis
caret supremâ Ecclesiæ authoritate , nec totam ha-
bet firmitatem , quam possunt habere Ecclesiæ de-
finitiones . Nam Romani Pontificis authoritatem ma-
ius decretis robur addere affirmas. Igitur plenæ &
absolutæ definitiones Ecclesiæ non sunt , quæ consensu
& authoritate Romani Pontificis carent.

TERTIVM TESTIMONIVM.

15. Libro quarto, capite nono, numero decimo quin-
to , Romani (inquis) Episcopi priuilegium erat , ut
ad ipsum , quicunque Episcopi cuiuscunque prouincia
& regionis , qui se ab Episcopis propriæ Prouinciae gra-
uari in iudicijs Ecclesiasticis sentirent , tanquam ad
Sacram anchoram confugerent , apud ipsum innocentiam
probaturi. Additum est , seu extortum decretum et-
iam quoddam cuiusdam Concilij Sardicensis , in casu ta-
men singulari ad Iulium tunc Romanum Pontificem ,
ut ille consulteretur , an iudicium esset in prouincia in-
nouandum. Hic duo affirmas. Primò Romanum
Pontificem legitimo priuilegio ius habere appell-
ationes Episcoporum acceptandi , quæ fiunt à Sy-
nodis ad ipsum. Secundò fateris hoc Romani Pon-
tificis priuilegium fuisse à Concilio Sardensi an-
tiquissimo , non multò post Nicenum celebrato
agnitum & confirmatum. Nihilominus ut tantam
authoritatem , quam ferre non potes , imminuas , tria-
fingis .

Concil.
Sard. c. 3.

Fingis mendacia , quæ tamen alijs locis (ita defectu memoriae in mentiendo infelix es) destruis.

Primo negas authoritatem Concilij Sardicensis, 16.

ideo vocas contemptim quoddam Concilium Sar-
dicense , & libro quarto capite octauo , numero
quarto , dicas œcumenicum non fuisse , nec vñ-
lius in Ecclesia authoritatis. *Cuius rei (inquis) can-
sam esse autumo , quia Sardica factum est schisma . O-*
*rientales enim seorsim vel Sardicae , vt inuit Sozo- Socr. l. 3.
men. vel Philippopolis , vt ait Socrates & Baronius Con- c. 10.*
*cilium cclebrarunt ; seorsim verò Occidentales , & sane Socr. l. 2. c.
decretis omnino contrarijs. Concilium autem Oecume- 16.
nicum iam esse non poterat , à quo se tam magna Epi- Baron. an.
scoporum pars separauerat . Hæc tu : quæ non so- 341. n. 16.
tom. 3.
lum omnibus historicis repugnantia dicas , sed
etiam tibi ipsi. Falsum est enim Orientales Epis-
copos Catholicos , se à Synodo Sardicensi separa-
se. Tantum enim pauci Ariani Orientales Episco-
pi , cum Sardicam iussu Imperatorum venissent ,
non ausi concilio se sistere profugerunt , vt fusè
narrat ipse Athanasius , qui Synodo Sardicensi in- Athanas.
terfuit , & illius pars magna fuit. quam non mi- Apologet.
nus quam Nicenam , Magnam , id est , Oecume-
nicam vocat. In qua (inquit) erant Episcopi plus
quam trecenti , ex multis prouincijs AEgypti ,
Lybiæ , Pentapoleos , Palestinæ , Arabiæ , Isauriæ ,
Cypri , Pamphyliæ , Ciliciæ , Galaciæ ,
Daciæ , Myliæ , Thraciæ , Dardaniæ , Macedoniæ ,
Epiri , Thessaliæ , Achaiæ , Cretæ , Dalmatiæ ,
Schisciæ , Pannoniarum , Norici , Italiæ , Piciniæ ,
Tusciæ , Campaniæ , Calabriæ , Apuliæ , Bru-
tiorum , Siciliæ , Africæ vniuersæ , Sardiniae ,
Hispaniarum , Galliarum , Britanniarum . Quis
non videt hoc Concilium Sardicense Oecumeni-*

cum fuisse ex vniuersis mundi partibus , non minus Orientis , quam Occidentis collectum ? Sed tua insipientia non nisi tuis dictis configi debet.l.3.c.3.n. II.
Concilium (inquis) **Sardicense** celebratum fuit ab iisdem **Patribus** , qui Nicenum celebrarunt , & eodem l.3.c.8. n. 21. cum **Canonem** quendam ex concilio Sardicensi citasles : **Videruni** (inquis) **hi Patres** iisdem pene omnes , qui **Magnam Nicenam Synodum** celebrarunt . Hæc tuz
 Nam si Patres ijdem . qui Nicenæ conuenerant , quo-
 rum pars longe maxima Orientalium erat , omnes
 aut penè omnes Sardice Cōcīlīum celebrarunt ; quō-
 modo à solis Occidentalibus celebratum ? Si ex ijs-
 dem Episcopis conflatum fuerit ex quibus Nicē-
 num ; quomodo non magnum , neque Oecumenicū
 , si Nicenum magnum & oecumenicum fuit &
 quomodo nullius authoritatis ; si Patres illi ipsi , qui
 Nicenam Synodum Ecclesiæ venerabilem fecerunt ,
 suam illi præsentiam & autoritatem impertiti sunt ?

17. Secundò , quò decreto Sardicensi fidem eripias , di-
 cis fuisse illud extortum . Quo dicto tum Sanctis Pa-
 tribus illis ipsis Nicenis iniuriam facis , quos metu
 singis à recto deflexisse ; tum tibi ipsi contradicis .
 Nam quomodo decretum Sardicense S. Iulius Roma-
 nus Pontifex extorsit , si (quod te l.3.c.1. n. 23. affir-
 mantem vidimus) nunquam ad hunc usq; diem Ro-
 manus Pontilex cum Episcopis , præfertim in Con-
 cilio Oecumenico congregatis , vi ac tyrannide ege-
 sit , aut metu extorquere tuam sententiam ausus sit ?
 Si dicas non vi sed fraude & astu decretum extortum
 fuisse ; de S. Iulio mendacia nullo teste singis : qua-
 tamen (adeo miserâ memoriâ es) ipse alibi euertis .
 Nam l.3.c.8.n. II. ita scribis . *In Concilio Sardensem*
hoc ipsum appellationum negotium excussum diligenter &
exactatum fuit. Si Patres Concilij Sardensis , nego-
 tium appellationum diligenter excuslerunt & tra-
 starunt ;

Starunt; profectò decepti à Romano Pontifice in negotio appellationum non fuerunt. Cur igitur decretum Sardicense, de appellationibus ad Romanum Episcopum extortum, quod sateris Patres illos scientes volentes, re prius maturè discussâ nullo metu adactos statuisse.

Tertiò dicas Canonem Sardensem ordinare ut 18.
Romanus Episcopus consulatur an iudicium innovandum esset; hocque priuilegium fuisse singulare, quod ad Iulium solum spectaret: Sed hæ meræ nugæ sunt, quibus ostendis te quamuis nihil habeas, quod dicas, tamen silere non posse. Nam Concilium ius acceptandi appellationes omnium Episcoporum à Synodis quibusunque in Iulio agnouit, quia Petri successor erat, & quia Petrum in eo honorare volebant. Nam rationem Canonis sui tertij reddentes honoremus (inquiunt) memoriam B. Petri Apostoli &c. Sed quilibet Episcopus Romanus non minus quam Iulius Petri successor est. Igitur hoc ius iudicio Concilij Sardicensis in quolibet Episcopo Romano est. Neque solum statuit, ut Episcopus Romanus consulatur, an iudicium renouari debeat, sed etiam illius sententiæ stare reliquam Eccleiam vult. Si Romanus Episcopus iudicauerit renouandum esse iudicium, renouetur, & det iudices. Si autem probauerit talam causam, ut ea non refricentur qua aetas sunt, qua decreuerit Romanus Episcopus infirmata erunt. **Concil. Canone** etiam septimo totum Concilium Romano **Sard. 8.7.** Pontifici non imperat sed supplicat, ut dignetur causas Episcoporum, qui ad ipsum appellant examinandas remittere Episcopis vicinis, & ad eos scribere. Quod si (inquiunt) qui causam suam cupit audiri, Romanum Pontificem mouerit obsecratione suâ, ut è latere suo Presbyterum mittat; erit in potestate Pontifex, quid vellet. & quid estimet, & si decreuerit mittendos esse, qui præsentes

res cum Episcopis iudicent habentes eius potestatem à quo destinati sunt; erit in suo arbitrio. Si vero crediderit Episcopos sufficere, ut negotio terminum imponant, faciat quod sapientissimo suo concilio iudicauerit. Hæc Patres Sardenses, hoc est te fatente illi ipsi Niceni toti Ecclesiæ venerabiles. nec nouam Romano Pontifici potestatem tribuunt; nec illi præcipere audent; sed omnia illius arbitrio permittunt, ut amplissima potestate pro suâ sapientiâ vtatur: sicut Ecclesiæ expedire censuerit.

QUARTVM TESTIMONIVN.

19. L. 4.c. 10.n.7. respondens ad testimonium ex literis Concilij Chalcedonensis ad Leonem Papam; vbi Episcopi totius Ecclesiæ se membra, Leonem vero, suum caput agnoscunt: *quibus tu velut caput membrum præeris.* & iterum, enumeratis Dioscori sceleribus tandem velut maximum hoc numerant. *Post hæc omnia in super & contra ipsum, cui vineæ custodia à Saluatorē commissa est, extendit insaniam suam, id est, contra tuam Apostolicam sanctitatem.* Vineæ custodiam (inquis) Concilium non dicit Papæ soli à Saluatorē commissam, quia illa æque & in solidum omnibus est commissa Episcopis &c. Vineæ custos itaq; Romanus Pontifex ab hoc Concilio vocatur, quia illum primum & præciputum generalem speculatorum agnoscit. Hæc tu; solempne tuum seruās Cōcilio & tibi ipsi cōtradicis; Romanique Pontificis primatum Concilium agnouisse concedis. Cum dicis vineam, id est, Ecclesiam æque in solidum omnibus commissam Episcopis; cum Concilio & tecum ipse pugnas. Nam si Saluatoris institutione reliqui Episcopi æque sunt Ecclesiæ custodes ac Romanus, cur Romanum Pontificem singulariter dicunt illum cui vinea à Saluatorē commissa est; eo quæ titulo à reliquis omnibus Episcopis distinguunt existimant? Deinde si Leo ut tu dicis fuit præcipuus custos vi-

flōs vineæ, id est Rector Ecclesiæ; quomodo reliqui
et que custodes, et que Principes? Denique si concilium
Saluatoris commissione, id est, diuino iure Roma-
num Pontificem quoad regimen & curam Ecclesiæ
præcipuum speculatorem & custodem vniuersalem
fateatur; quomodo non eius Monarchiam agnoscunt
diuinitus institutam, cum Monarchia nihil aliud sit
quam ius regendi Ecclesiam vniuersale & supremum;
vniuersale quod se ad totam Ecclesiam extendat; su-
pernum, quod præ cæteris & supra cæteras omnes
Ecclesiæ potestate semineat.

QUINTVM TESTIMONIVM.

Lib.4.c. 10.n.8.respondens ad testimonium Con- 26.
ciliij Constantinopolitani Secundi, quod quintam ge-
neralem Synodum præcessit, & illius quoddam ini-
tium fuit; vbi Mennas Conciliij Præses, nomine totius
Conciliij ita loquitur: *Nos Apostolicam sedem sequimur &*
obedimus, & ipsius communicatores communicatores ha-
bemus, & condemnatos ab ipso & nos condemnamus.
Quam clare totum Concilium se sedi Apostolicæ
obedire profitetur! Tu de verbo obedire litigas &
Concilium profiteri contendis erga Romanam se-
dem Obedientiam, quâ recta monentem & sua-
dentem sequimur, non qua superiori obtempe-
ramus. Post hanc nugatoriam responcionem tan-
dem subdis: Si etiam Romani Pontificis Bellarminus
dicat hic insinuari præminentiam quandam in sedes
reliquas Patriarchales, adeoq; in reliquam Ecclesiam
vniuersam, non repugno &c. Hæc tu; quibus verbis
Romani Pontificis primatum verum potestatis in-
ter Episcopos, non tantum dignitatis & excellentiæ
agnoscis. Quod inde probo, quia l.i.c. 7.ni 24, expli-
cans dictum S. Augustini, quod dicit Petrum Prima-
tum in discipulis habuisse, notas *aliud esse primum in*

discipulis; aliud primatum in discipulos: primatum in discipulis tantum significare primatum dignitatis, quā ratione etatis & vocationis Petrus inter discipulos excelluit: primatū verò in discipulos aliud significare dicis, sine dubio potestatē & authoritatē in discipulos; *atque adeo si Petrus primatum in discipulos habuisset, verus eorum Princeps & superior fuisse negari non potuisset.* Iam dicens Romanum habuisse praeminentiam & primatum non in Patriarchis nec inter Patriarchas, sed in ipsis Patriarchales sedes, & in Ecclesiam vniuersam. Igitur, si quod dicens intelligis, Romanum Pontificem superiorem ceteris omnibus Episcopis & Patriarchis, & cum potestate in vniuersos constituis.

35. Dico Tertio. Concilia, quæ vrges, Constantino-politanum primum, Chalcedonense, Antiochenum, Romani Pontificis autoritati supremæ non obstatunt. Probatur conclusio de singulis.

DE CONCILIO CONSTANTINOPOLITANO PRIMO.

Concilium Constantinopolitanum tantum statuit, ut Episcopus Constantinopoleos post Romanum, ante Alexandrinum Patriarcham esset. quid hoc Romanum primatum lèdit? Nihil Romanus de dignitate perdit, siue Alexandrinus, siue Constantinopolitanus à primo proximus sit. Quod tu fateris l. 4. c. 4. n. 4. Nihil intererat (inquis) Romano Pontifici, quod Constantinopitana facta fuisse secunda sedes; ipsi enim Romano Pontifici suus ordine primus locus seruabatur. Hæc tu cur igitur Canonem illum vrges, vt Romano primatui aduersantem? Concilij sunt hæc verba. *Constantinopitana civitas in Episcopum habere oportet primatus honorem post Romanum Episcopum*, propterea quod sit noua Roma. Ex quibus Concilij verbis patet, te duo men-dacia

dacia Concilio imponere. Primum est, quod scribis l.4.c.4.n.1. Concilium statuisse ut Constantinopolis suum Episcopum habeat in omnibus priuilegijs & prerogatiis Romano equalem. Quod quam sit falsum, verba Concilij testantur, quæ nullam de paritate vel de priuilegijs vllis, nedum de priuilegijs omnibus faciunt mentionem. Secundum est quod ibidem ponis: Concilium (inquis) illud Oecumenicum totam Romanorum Pontificis præminentiam, ab ipsâ solâ Imperialis ciuitatis dignitate profectam cognoscit & profitetur. Somnias, Antoni, tuaque somnia Concilio imputas. Quod somnies inde patet, quia etiam tecum ipse pugnas. Dicis enim totam præminentiam Romanæ sedis ex sola imperiali dignitate ciuitatis profectam. At hoc ipso l.4.c.3. præter dignitatem ciuitatis varias causas aperis cur Romana sedes excellat, fundationem illius à glorioſissimis Apostolis; fidei puritatem, Ecclesiatarum maternitatem. Et l.4.c.9.n.9. dicis vniuersalē superintendantiam Romani Pontificis ex quatuor causis ortam, quarum una est imperialis dignitas ciuitatis. Si quatuor causæ sunt, ob quas Romanus Pontifex emineat; qui verum totam eius præminentiam ex sola imperiali dignitate ciuitatis ortam?

Præterea, si sola origo & causa præminentiae in 22. Romano Pontifice fuit imperialis dignitas ciuitatis; certe hac causâ sublatâ exarescere debuit Romana præminentia, Romaq; Constantinopolim migrare. Nam loco citato scilicet l.4.c.4.n.1. dicis Constantinopolim postquam sedes Imperialis facta est ad maximam celebritatem & potestatem deuenisse, & Romanâ Urbe iam depresso supra illam plurimum caput extulisse. Ex quo dicto tuo multa confutantur figura tua; In primis, si sola radix Romanæ Ecclesiastice præminentiae fuit dignitas Imperialis Ciuitatis; quomodo hac excellentia amissa nō simul suam

Romanus Pontifex amisit præminentiam? cur Romana Ciuitate quoad dignitatem per Constantinopolitanā depresso; tamen Romanus Episcopus quo ad primatum Ecclesiasticum super Constantinopolitanū semper eminuit? Secundo si Constantinus & Christiani Imperatores post ipsum sedem suam non Romanam sed Constantinopolim esse voluerunt; quomodo verum, quod l.4.c.9.n.3.scribis, Romanū Pontificem pre ceteris in causis Ecclesiæ plus potuisse; non quod diuino iure regimen illi singulariter in cumberet; sed quia (inquis) causa Ecclesiastica egebant ope Imperatoris , qui Ecclesia curator & defensor generalis erat. Imperator autem in totius Ecclesiæ protectione operâ maxime Romani Pontificis vtebatur, quem perpetuo ad manum habebat, tanquam in rebus Ecclesiasticis periti. Hæc tu: quæ mera figmenta esse nullus, qui Christianas hiltorias vel leuiter attigit, ignorare potest. Imperatores enim Christiani adeo ad manum Pontificem Romanum semper non habuerunt, vt ne quidem cum in Occidente essent, Romæ habitauerint, sed vel Mediolani vel Rauennæ, vel Treueris. Nam si Christiani Imperatores Romæ perpetuo habitassent; nunquam Româ depresso Constantinopolis (quod tu dicas) caput extulisset.

23. Tertio ex eo quod dicis Christianos Imperatores Constantinopolim supra Romanam plurimum crexisse, sequitur falsum esse quod l.4.c.3.n.22.scribis: ubi cum protulisses varia diplomata Imperatorum, qui Romani Pontificis Monarchiam agnoscunt & confirmant. Negi, ego (inquis) puto hæc ex Imperatorum pietate in Romanam Ecclesiam priuilegia emanasse; sed ex solo typho superbia, vt ipsorum Imperialis ciuitas tanto esset splendorior. Hæc tu: quā temerè de cordibus Principum, quæ in manu Dei sunt, illiusque solius oculis nuda, & aperta sententiam præcipitas; non ex pietate, sed

sed ex solo typho superbiæ Romanam ornasse Ecclesiæ! Qua quidem in re in primis Christianos Imperatores sanctissimos, si qui vñquam Sancti fuerunt, mendacij arguis. Hi enim quibus sua corda post Deum exploratissima erant, in illis ipsis edictis que citas, testantur se ex pietate & reverentia erga S. Petrum, cuius Romanus Pontifex successor erat Romanæ Ecclesiæ priuilegia tueri. Hoc enim cum falsum esse afferas, clarissimè Imperatores mentiri affirmas. Deinde l. 4. c. 13. num. 94. plane contrarium scribis, vt te ipsum mendacem sed immemorem probes. Ibi enim respondens ad argumentum pro Primitu Pontificis ex edictis Imperatorum dicis planum esse multos Imperatores partim ex deuotio- ne pia, magis verò ex ciuili quadam prudentiâ Romanum Episcopum ad Monarchiam spiritualem euehere voluisse, vt eadem Vrbs vtroq; gladio pollleret. Hectu. quām ridiculè in omnibus dictis tuis etiam minutissimis tecum ipse in terminis pugnas! Nam si Christiani Imperatores Romanum Episcopum ad Monarchiam euererunt partim ex deuotio- ne pia, partim ex ciuili prudentiâ; quomodo verum, quod iam dixeras, non ex pietate, sed ex solo typho superbiæ eorum pro Romani Pontificis Monarchiâ edicta manasse? Denique si nulla causa sit Ecclesiasticæ Monarchiæ in Romano Pontifice nisi Imperialis dignitas ciuitatis; cur Romanum Pontificem Imperatores Monarcham esse voluerunt potius quām Constantinopolitanum, qui tamen Constantinopolim super Romanam Imperiali dignitate euehebāt? Quorsum tam falsa, tam fatua à te in lucē edūtur? Nisi fallor, Antoni, in Italia dum eras transalpinos Protestantes & fungos & stipites existimasti, quibus ob hæc tua Venetijs nata scripta mirabilem te fore credidisti. & verò es. quis enim tantam tamque per- petuam

petuam in scriptore oscitantiam non admiretur?

DE CONCILIO CHALCEDONENSI.

34. **C**oncilium Chalcedonense vnum affirmat & alterū statuit, quæ videntur Romano primatui obstat. Primo affirmat Patres concessisse antiquæ Romæ priuilegia propter imperialem dignitatem ciuitatis, ex quo sequi videtur Romanum primatum non à Christo institutum, sed à Patribus. Secundo statuit, ut Episcopus nouæ Romæ post Romanum paria priuilegia habeat. Quod si Romano Pontifici par in Ecclesia sit, iam non erit totius Ecclesiæ Monarcha. Verum si rem diligentius inspiciamus, hæc Romano primatui non obstant, neque ullum Concilium luculentius, quam Chalcedonense absolutam Romani Pontificis Monarchiam agnouit. Quod ut ostendam

Primo notandum est, Patres Græcos distinguere in Romano Pontifice triplicem potestatem. Una est Episcopalis, quæ per se sumpta Romanæ dioecesi alligatur: hæc sicut & aliorum Episcoporum potestas iuris diuini est. Altera est Apostolica, qua per se toti Ecclesiæ præst, illamque loco Christi regit vicarius curæ & amoris Christi ab ipsomet Christo singulariter constitutus. Hanc potestatem regiminis habet Pontifex non ab hominibus sed à Christo, ipsâ Synodo Chalcedonensi teste, quæ Romanum Pontificem à ceteris Episcopis hac nota distinguit, quod ille Episcopus sit, cui custodia vineæ, id est, Ecclesiæ fuerit à salvatore commissa. Tertia Romani Pontificis potestas est Patriarchalis, quæ media incedit inter primam & secundam.

Notandum secundo, Patriarchalem potestatem (ut iam probauimus) in reliquis Patriarchis à Romano non aliud esse quam participationem quandam potestatis Monarchicæ in Petro institutæ, ratione cuius Patriarchæ super Episcopos certæ regionis pot-

potestatem habent , tamen sub Romano Pontifice sunt. Nam cum non possent ab uno solo Episcoporum Ecclesiæ vniuersalis per orbem diffusæ omnes ordinationes commode perfici, nec causæ audiri , vel lites componi institutum est ut Patriarchæ certis regionibus præficerentur , qui Episcoporum ordinationes mature fieri current , causas iudicent , lites sorianiant ; cum obligatione nihilominus ut grauiores causas Romanis Pontificibus definiendas seruent , ut subleuati de minimis (inquit S. Gregorius Papa) in causis maioribus efficacius occupemur. Hunc autem fontem Patriarchalis potestatis in Romano Pontifice esse Concilium Chalcedonense clarissimè agnoscit in epistola ad Leonem Papam. Ibi enim petunt à Romano Pontifice , ut suum decretum circa Patriarchatum Constantinopolitanum confirmet: & dicunt se decretum illud fecisse confidentes quia lucente apud vos Apostoli-
cor radio , & usque ad Constantinopolitanorum Ecclesiam ciliorum consuetegubernando illum spargentes , hunc sapient expan-
detis eo quod absque iniuria consueritus restrorum Graco-Lati-
bonorum participatione ditare domesticos. Ex quo pag. 441. in
tria colliguntur. Primo potestatem Ecclesiasticam Concilio
in Romano Pontifice velut lucem in sole esse. Se- Chalced.
cundo Romanum Pontificem in Ecclesiam Con- part. 3. opis-
stantinopoleos radios consuetæ seu ordinariæ guber- stola ad
nationis extendere colueuisse. Tertio Patriarchalem Leon.

Notandum tertio Romanum Pontificem quoad 26.
Episcopos suæ sedi Viciniores sibi ius Patriarchale
referuare, ita ut illi Episcopi nullum supra se Episco-
pum aut Patriarcham habeant , nisi illum qui sit et-
iam totius Ecclesiæ Monarcha. Simile quid videmus
in Monarcha seculari. Solent enim Monarchæ in
qui-

quibusdam Prouincijs Imperij sui remotioribus à sua curia veros Principes & Duces ordinare, qui sub ipso illas tanquam proprias regant: nonnullas tamen prouincias sibi integrè seruant, quæ nullum proprium Principem habeant præter illum qui sit etiam totius regni supremus Princeps. Quare sicut contingit sæpe Monarcham cum Principe sibi subdito contèdere de ciuitate aliqua, ad quemnam ex ipsis proprium illius regimē pertineat, neq; hoc eius Monarchiæ officit: ita nonnunquam Romanus Pontifex cū Patriarchis alijs cōtrouerfias habuit de Prouincijs nonnullis, ad cuius Patriarchatum illæ propriè pertinerent. Quas contètiones præsertim illam de Bulgaria tu l.3.c.12.n.13. dicas signa manifesta esse Romanum Pontificē Principem totius Ecclesiæ olim habitum non fuisse. Non enim contentio erat de iure regiminis supremi, sed de Patriarchali; quod in alijs Patriarchis à Romano supremo vnius regimini subest.

27. Quartò notandum est, causam cur in his potius ciuitatibus, Româ, Alexandriâ, Antiochiâ, quam alijs Patriarchæ instituti sint, & hoc ordine instituti, vt Romanus primus, Alexandrinus secundus, Antiochenus tertius esset, fuisse sæcularem dignitatem ciuitatum, quâ Roma Alexandriam, Alexandria Antiochiam Apostolorum tempore superabat: & ideo causa cur Roma Patriarchalis sedes sit, fuit dignitas ciuitatis. Nam quia Romanus Pontifex totius Ecclesiæ Monarcha Episcopus erat regiæ ciuitatis; ideo Patres Ecclesiæ expedire censuerunt vt in Occidente Patriarcha ipse esset, nec hoc officiū alteri delegaret.
28. Ex his patet Concilium Chalcedonense nihil dicere vel statuere, quod Romanæ Monarchiæ derogat. In primis non dicit primatum Romani Pontificis institutum fuisse à Patribus. Non enim (quod notandum est) dicunt quod Patres concederint priuilegia

gia Romano Pontifici, sed *Vrbi Romana*. Romano enim Pontifici nihil potestatis vel Patres vel Concilia contulerunt ; cum iure diuino Patriarcha & plusquam Patriarcha sit : Romanæ tamen Vrbi priuilegium & primatum aliquem tribuerunt, dum propter illius dignitatem Romanum Pontificem præter primatum vniuersalem ius Patriarchale Occidentis sibi reseruare, nec à se in alterum sibi subordinatū Episcopum trāsterre voluerūt. Ex hac.n. Patrū constitutio ne factum est, vt hanc à se dignitatem Romanus Pontifex nunquam alienauerit, atque adeo vt Romana Patriarchalis Ecclesia semper permanserit. Secundo cum statuunt, vt noua Roma paria priuilegia habeat cum Româ veteri, per priuilegia paria nihil aliud intelligūt, quam primatum seu Patriarchatum; vt nimis iphius Episcopus Patriarcha sit, sicut Romanus est. Quare (quod etiam notandū est) non dicunt quod tu illis imponis, nouam Romam Veteri parem esse debere quoad omnia priuilegia, sed *quoad priuilegia Romæ concessa à patribus propter amplitudinē ciuitatis*: hæc autē tantum sunt Patriarchalia, quæ Patres Romæ concesserunt, non quia Romanum Episcopum Patriarcham fecerunt, sed quia Romanum Episcopum ius suum Patriarchale retinere voluerunt, nec illud alteri, quoad Occidentem demandare. Præter hanc autem Patriarchalem potestatem, ratione cuius præcisè consideratæ par Romano Constantinopolitanus est, agnouerunt in Romano Patres Chalcedonenses potestatem Apostolicam directè in Ecclesiam vniuersam à Saluatore concessam : ratione cuius se membra, illum caput Ecclesiæ dicunt; se filios, illum Patrem appellant, & vt eorum decreta, præsertim circa Patriarchatum Constantinopolitanum confirmet & illis robur addat, postulant. *Reganus igitur (inquiunt) & tuis decretu nostrum honora iudicium, & sic ut nos*

*Condil.
Chalced.*

*p. 3. epist. ad
Leon. Pa-*

446 MONARCHIAE ECCLESIASTICAE,
ut nos capiti adiecimus consonantiam, & summitas tua si-
luis, quod deset, adimpleat. Quibus verbis honorificen-
tissimis præcipue ostendunt, nunquam sibi venisse in
mentem Episcopum Constantinopolitanum Roma-
no, quoad omnia prorsus æquare.

29. Dices, si splendor sacerdotalis ciuitatis causa iusta sit,
vt in ea sedes Patriarchalis erigatur, & Patriarcha ille
præferatur cæteris secundum quod ciuitas illius ciui-
tibus aliorum præstat; videntur Patres Chalcedo-
nenses recte statuisse, vt Constantinopolitanus Epis-
copus reliquis Episcopis & Patriarchis post Roma-
num emineret, cum ciuitas Constantinopolis cæteras
omnes sacerdotali tunc gloria superaret. cur igitur adeo
contra Chalcedonenses S. Leo succensuit? Respon-
deo S. Leonem decretum Chalcedonense meritò re-
prehendis, quia quamvis sacerdotalis dignitas ciuita-
tum causa prima fuerit institutionis Patriarcharum
in ipsis & ordinis inter ipsos Patriarchas: tamen ordo
iam institutus non debuit postea cum sacerdotali digni-
tate ciuitatum mutabilis esse. Primò quia fuit ordo
ille à Petro & Apostolis institutus. Secundo quia fuit
perpetuæ Ecclesiæ consuetudine consecratus. Tertio
Niceni primi Concilij Oecumenici sanctissimi au-
thoritate stabilitus. Hæc maioris apud Ecclesiam
momenti erant vel esse debebant, vt in suâ Patriar-
chali dignitate Alexandrina Ecclesia permaneret,
quam noua sacerdotalis dignitas ciuitatis Constantino-
politanæ, vt eius Episcopus Patriarcha à Romano
Primus esset. Reprehendit ergo Episcopos Chalce-
donensis Concilij S. Leo, quod splendori sacerdotali
Constantinopolitano tot Ecclesiæ clara nomina post-
ponenda putarint; nec maiorem reverentiam Nice-
no decreto, perpetuæ Ecclesiæ consuetudini, Apo-
stolicæque institutioni habuerint. Hac de causa Ca-
nonem sua authoritate Apostolica cassavit, quo per-
spicu

spicuè ostendit supra Concilium esse totius Ecclesiæ confessione. Nam nisi Romanus Pontifex tantam authoritatem habuisse, hocq; toti tunc Ecclesiæ exploratissimum fuisset, ridiculè S. Leo tali autoritate usus fuisset, & Canonis cassationem Ecclesia irrisisset, cum tamen eam Leonis aduersus Concilium oppositionem vniuersam Ecclesiam reueritam esse certissimum sit. quamuis postea Episcopus Constantinopolit. conniuente Romano Pontifice secundum locum inter Patriarchas obtinuerit, cum Græci hoc perpetuo vrgerent, neque res vel ad fidem spectaret, vel tanti momenti esset.

DE CONCILIO ANTIOCHENO IN EN-

canys celebrato.

HOc Concilium præ ceteris vehementissimè 30. Vrges, de quo tamen duo constant. Primo nec legitimum, nec ullius authoritatis esse. Secundo si legitimum esse concedatur, Romano Pontifici non se opposuisse. Non legitimum sed Arianum fuisse, euidenter probari potest (vt videoas quam tua sit stulta temeritas, qui hoc Concilium, quia Romano Episcopo restitisse tibi videtur, Euangeliō comparas) Primo authoritate Athanasi, qui dicit Eusebianos, id est, Arianos illud Concilium celebrasse. Socratis qui Pseudosynodum appellat. Sancti Iulij & Episcoporum Occidentalium quinquaginta, qui illud velut conciliabulum Arianum auersati sunt. S. Ioannis Chrysost. & Episcoporum, qui illi adhærebant: nam cum S. Chrysost. argueretur, quod depositus à Synodo, sine Synodo maiori, authoritati Romani Pontificis & literis Imperatoris restitutus fuisset, & in hoc contra Antiochenum Canonem peccasset, obiecit Canonem illum Antiochenum ab Arianis contra Athanasium compositum suille,

Athan. ad Solit.
Socr. l. 2.
c. II.
Athan. ubi supra.
Socr. l. 6. c.
16. Tuptor.
l. 10. c. 17.

448 MONARCHIAE ECCLESIASTICAE,
quando depositus ab ipsis, restitutus per Iulium
Pontificem fuit. Quod verò tu respondes Cano-
nem illum, quem reiecit Chrysostomus, non hu-
ius Antiocheni Concilij fuisse, sed alterius contra
Athanasium, quod quale sit nescis, nec quando, nec à
quibus celebratum, cuius nec ullus historicus me-
minit; quis non rideat te Concilio, quod tuo iudicio
Euangelio autoritate proximum est, tam misere
patrocinari?

Secundo nullum Concilium legitimum esse po-
test, quod repugnante Romano Pontifice celebra-
tur, ut dicitur in Concilio Chalcedonensi; Conci-
lia sine autoritate sedis Apostolicæ celebrare nun-
quam factum est, nunquam licuit. At Concilium hoc
Antiochenum celebratum est Romano Pontifice re-
pugnante, qui aliud Concilium indixerat, ut narrat
Athanasius. quin Concilij Antiocheni hac de causa
vanitatē etiā Græci agnoscunt. Sozomenus nullius
Sozom. l. 3. fuisse authoritatis probat, quia (inquit) Iulius Ro-
manus Pontifex non aderat, nec quenquā qui eum
locum suppleret, eo milit; cum Canon Ecclesiasticus
iubeat non oportere absq; sententia Romani Ponti-
ficiis decreta Ecclesijs sancire. Socrates, quoniam Ro-
mana Ecclesia (inquit) priuilegiū præter cæteras ob-
tinebat, cum Iulius intellexisset contra Athanasium
Pseudosynodum celebratam, scripsit eos cōtra Ec-
clesiæ Canones egisse, qui illum ad Concilium non
vocassent, quippe cum Canon Ecclesiasticus vetet
præter sententiam Romani Pontificis concilia celebrari.

32. Tertio illud Concilium legitimum esse non po-
test, ut pro tota Ecclesia Canones condat, ad quod
Episcopi non legitimè conuocantur. Sed Episcopi
legitimè conuocati Antiochiam ad Concilium non
fuerunt, sed fraude pellecti. Nam cum Eusebiani vi-
derent (inquit Athanasius) Iulium Romanum Pon-
tificem

Concil.
Chalced.
ad. 1.

Ath. epist.
ad Solit.

Socr. l. 2.
c. II.

tificem Concilium Catholicum indixisse, vbi nec Comes ipsis affuturus esset, neque satellites pro foribus excubarent, neque ex Cæsaris præscriptis omnia fierent, quibus rationibus & non alijs Episcopos vicerant; imò qui sine hoc præsidio ne loqui quidem auderent: metu contraëti Presbyteros à Pontifice missos ultra conditum diem detinuerunt, sua seruntq; Constantio ut occasione Encæniorum seu dedicationis templi Episcopos Antiochiam conuocaret, quo cum nonaginta conuenissent, Concilium cum Eusebianis celebrare ab Imperatore compulsi sunt. Quis Christianus hoc Concilium legitimum summæq; in Ecclesia authoritatis existimet?

Quarto legitimum Concilium non est, in quo 33. hæretici dominantur & ex præscripto hæretici Imperatoris omnia faciunt. Sed teste Athanasio Concilium illud Antiochenum eiusmodi suit, & res ipsa loquitur. Nam non consentientibus Orthodoxis, qui maiori numero quam Ariani Concilio interfuerunt, primò damnatus Athanasius est; secundò in eius locum subrogatus Gregorius Cappadox homo impius & nullius fidei; tertio decreto Concilij in Ecclesiam Alexandrinam missus est, qui cædibus & crudelissima piorum, præsertim Monachorum & Virginum stragre eam impleuit; deniq; ab hoc Concilio variae fidei confessiones conscriptæ sunt, in quibus Niceni Concilij confessio & vox homousion Catholicæ fidei symbolum semper omissum est. Hæc omnia ex Arianorum præscripto agebantur, non consentientibus quidē orthodoxis, tamen metu Imperatoris minus generose resistentibus; vt propterea teste Athanasio Iulius in ipsis reprehederit degeneres animorum pusillanimitates. Canones quidē editi hoc Conciliū, quorū nonnullos Ecclesia recepit. non propter Conciliabuli autoritatē, sed quia à Cō-

Athan. ep.i.
ad Solit.
Socr. & So-
zom. loc. cit.

Athan. ep.i.
ad Orthod.
Iulius apud
Athan.
Apol. 2.
Soc. l. 2. c. 7.

Socrat. ub:
supra.

cilio Niceno anteà sancti erant, quos Eusebiani ut se Catholicos fingerent, renouarunt. Hæc de Concilio Antiocheno cum apud historicos testatisima sint; quantæ est vel dementiæ vel impietatis illud summæ in Ecclesia authoritatis dicere, adeo ut Concilij huius authoritatem negantibus nihil impietas superesse putet, quam ut ipsum Euangelium negent? Nimirum quicunque Romani Pontificis autoritatem ferre non possunt, quales Ariani sunt, tibi Euangelici sunt, qui non aliud Euangelium, quam Romani Pontificis odium videris agnoscere.

Secundum quod proposui, nimirum hoc Concilium, quale fuit, Romano Pontifici non se opposuisse, probatur. quia ex Episcopis nonaginta, qui Concilio Antiocheno interfuerunt, quinquaginta & amplius Orthodoxi erant; trigesima sex, vel ad summum quadraginta Ariani, ut testatur S. Iulius in Epistola ad ipsos. Sed Orthodoxi, sicut Athanasium non damnarunt, nec deposuerunt; ita Romano Pon-

*spud Atha.
Apol. 2.* tifici illum restituenti non restiterunt, ut Athanasius testatur, nec ad Iulium literas increpatorias misserunt. Quod constat primo, quia literæ, quas Eusebiani contra Athanasium & Iulium qui eum restituerant scripsérunt, indignæ erant, quibus Orthodoxi consentirent: tales enim, teste S. Athanasio, erāt, ut S. Iulius honori scribentium consulens supremendas putauerit; tandem tamen, cum pergerent Eusebiani sceleribus scelera addentes protulit. *Credite mihi* (inquit S. Iulius) *omnes admiratione pleni vix induci poterant, ut crederent istiusmodi literas à vobis profectas esse, in quibus rixandi potius, quam Charitatis affectus eminebat.* Has tu literas Euangeliō comparandas existimas, quarum impietatem Catholicī Episcopi admirari non poterant. nisi dicas vel S. Iulium mentiri, vel Athanalium & alios sanctos Episcopos tam

tam Græcos quam Latinos, S. Iulio assentiri voluisse. Deinde Episcopi Orientales Orthodoxi, qui Antiochiæ fuerunt, non aliter sentiebant de Romani Pontificis autoritate, quam S. Athanasius, Episcopique Occidentales. Hi verò factum Iulij, qui suā authoritate Athanasium contra decretum Conciliabuli Tyrensis restituit, approbarunt, & illud licere arbitrii sunt. Imò & Patres Concilij Sardicensis, in quibus erant Episcopi Orientales Orthodoxi, Antiochenum Conciliabulum damnarunt, Romani Pontificis ius Episcopos à Synodis damnatos absoluendi Canone firmarunt. *Concil. Sard. e. 3.* Quis igitur tibi credit, qui ex tuo cerebro fingis Orthodoxos cum Eusebianis contra Romanum Pontificem conspirasse, nec ullum tuæ assertionis testem aducas? Nam quod ex literis Iulij adfers, Episcopos, qui ipsi scripserunt, ægre tulisse quod Iulius literas suas inscripsisset Eusebio cum suis; unde colligis Catholicos fuisse, quippe qui Eusebianos se dici ægrè ferebant leuissima coniectura est. Ariani enim Episcopi superbi erant, se pares dignitate Eusebio putabant & reuera erant, & ideo solum Eusebium in literis Iulij nominari, se verò non, nisi ut illius asseclas, dolebant. Itaq; non Catholici se Eusebio coniungi, sed Ariani solum Eusebium in Iulij literis nominari, se tanquam nullius nominis Episcopos præteriri, indignantur. De Concilijs satis.

ARTICVLVS III.

De Patrum factis.

PATRES Catholicci Romani Pontificis supremam 35. potestatem & factis & dictis semper agnouerunt. Facta Episcoporum omnia infinitum esset recensere, qui Romano Pontifici obedientiam præstite-

Gg 3 runt,

runt; à Concilijs ad ipsum appellarunt, causam apud ipsum dictuti Romam profecti sunt, ab alijs depositi ab ipso restituti sunt, ab ipso autem depositi non nisi ab ipso restitutionem petierunt, vel obtinere potuerunt. vide Sanderum, qui nihil aliud quām huiusmodi refert.

Dico igitur primò. nullus vñquam Catholicus Episcopus Romano Pontifici restitit, quasi ipse pastor totius Ecclesiæ non esset, sed hoc tibi arrogaret. Hoc ostenditur ex refutatione exemplorum, quæ tu adducis: tuis enim dictis & verbis conuincam illos ipsos Episcopos, quos velut Pontifici repugnantes citas, tunc illius autoritatem agnouisse; vel exempla damnatissima, quæ nec probare ipse audes, à te inceptè adduci; quibus nugis caput octauum libri quarti impleuisti.

DE POLYCRATE.

- Euseb. l. 5.
c. 23.*
- Hieron. de
Script. Ec-
cles. in Po-
lycrato.*
36. PRIMVS quem Romano primatu factis aduersari facis Polycrates est Ephesiorum Episcopus, qui Victorii Asiatis præcipienti, vt Pascha non cum Iudeis decimaquartâ lunâ, sed die Dominico, quo Christus resurrexit, celebraret, obedire noluit, quāuis Victor excommunicationem minaretur. Non formidabo (inquit) eos qui nobis minantur: mei enim maiores dixerunt: obedire oportet magis Deo, quām hominibus. Hæc, inquis l. 4. c. 8. n. 2.) dixit Polycrates, vt ostenderet se alios maiores non agnoscere nisi Apostolos, & præcepta Victoris præcepta esse hominis non Dei, minis illis excommunicationis ait se non turbari. Atque in hoc ingenium & authoritatem laudat Hieronymus. Hæc tu & falsa fingis, & tibi contradicis, & quod cupimus totum concedis, nec à tuis moribus vñquam discedis. Primò de Hieronymo mendacium fingis, quod ingenium Polycratis in hoc, quod Romano Pontifici restitisset,

fet, laudauerit. Hieronymus enim tantum dicit, se
verba Polycratis posuisse ut ingenium viri ostende-
ret, quod neque laudat neque vituperat, sed ex eius
verbis lectori iudicandum relinquit. Secundò tibi
ipsi contradicis (in hoc enim constantiam ingenij
tui non possum non admirari) cum dicis Aposto-
los Maiores Polycratis fuisse, nec alias Maiores eum
habuisse. Nam si loquaris de Maioribus ætate &
tempore, falsum est eum non alias maiores habuisse,
cum in sede Ephesina non immediate Apostolis suc-
cesserit. Si loquaris de Maioribus potestate & offi-
cio, tibi contradicis Apostolos dicens maiores Poly-
crate fuisse. Millies enim affirmas Episcopos pares
summo Apostolorum, quoad potestatem esse & A-
postolis succedere (ita loqueris l.z.c.2.n.1.) in tota
regiminis Ecclesiastici ministeriali potestatem
agnouisse. Nam dicis agnouisse præcepta Romani
Pontificis esse præcepta hominis non Dei. Duo igit-
ur in Pontifice Polycrates agnouit: Primò hominē
potestate præditum, qui toti Ecclesiæ præcipere &
sibi repugnantes corripere posset; alioqui præcepta
Victoris ne quidem hominis præcepta, sed mera de-
liria meta existimaslet. Secundò in Romano Pontifi-
ce agnouit hominē subditum Deo, cuius propter ea
præceptis nō sit obtéperandum, cum diuinis cōtraria
sunt. Quid sentiunt de Pótificis potestate Catholici,
quod etiā Polycrates (te fatente) non sensit? Quis Ca-
tholicus Pontificē Deum dicit, vel ei magis, quā Deo
obediēdū? Magis (inquit) Deo obediendū quā homi-
ni. i. Romano Pontifici rectè. Sed si magis Deo, quā
Pótifici, igitur etiā Pótifici: min⁹ quidē quā Deo, nec
contra Deū, tamen obediendū est. Sicut Apostoli, cū
dixerūt magis obediēdū Deo, quā hominib. i.e. magi- A. 5.
strati-

stratibus humanis, non negabant imo supponebint Christianos debere magistratibus obedire, nisi Deo contraria præcipiant. Igitur Polycrates Romanum Pontificem Principem non recte præcipere neque prudenter existimauit; ideoque nec obedientiæ necessitatem sibi incumbere; & in Victore, decuius toti Ecclesiæ præcipiendi potentia non dubitabat, quoad illud particulare præceptum de Paschate Dominico die celebrando, prudentiam desiderauit, im-
merito, ut iam dicam.

DEIRENAE O.

37. POLYCRATEM sequitur Irenæus. *Hic (inquis Euseb. l. 5. c. 1. 4. c. 8. n. 3.) contra Victorem acrius insurrexit, restituit q[ui] præcipitem hominis & non secundum scientiam zelum, ostendit q[ui] ei quam remotus esset à modestia & charitate suorum prædecessorum, qui in hac causâ Paschæ, sua fisionibus & hortationibus egerint, nunquam schismata & separationes fecerint. & ipse igitur se ei opposuit viriliter, nec consequenter in Victore Papatum ullum agnouit.* Ex hac Irenæi contra Victorem oppositione, prout à te describitur, colligitur eum Romani Pontificis primatum agnouisse. Inepta enim est consequentia, quam facis. Viriliter se Victori opposuit. ergo nullum in eo primatum agnouit. Sæpe enim Presbyteri sanctissimi sese suis Episcopis opposuerunt, eosque grauiter obiurgarunt: nec tamen inde concluditur, illos non se agnouisse suis Episcopis subditos. Viriliter quidem Irenæus se Victori opposuit, sed etiam humiliter; vt se cum superiore suo agere satis ostenderet. Nam si Pontificem non nisi vnum de Episcopis Ecclesiæ existimasset certæ diœcesi alligatum, qui nihil haberet in Ecclesiæ Asiae potestatis; cur non fastum illius tanquam hominis nulla potestate prædicti, sed se inaniter efferentis contempnit? nam

præce-

cepta hominum potestate carentium deridenda sunt. Suasit quidem Victori ut hortationibus ageret cum Asianis, non minis, non excommunicationibus: non dixit autem eum pro imperio, & tanquam Principem agere non posse. charitatem in eo requirebat: zelo maiori, quam scientiam ferri putabat. Vsurpatæ autem iurisdictionis vel arrogantiæ Victorem nec ille, nec ullus unquam Catholicus accusauit. Supponebat igitur Irenæns, supponebant cæteri Episcopi, tanquam certissimum Romanum Pontificem potestate præditum fuisse, ut legitimam causam cæteros Episcopos omnes & Ecclesiæ coercere posset; sed tot Ecclesiæ à Romana communione amputare prudentis non arbitrabatur. Nihilominus quod Victor non solù legitimam potestate sit usus, sed etiam prudenter usus, non in destrucionem, sed ædificationem Ecclesiæ, Catholicæ ostendunt. Bellarm. l.2. de Rom. Pontif. 19. Sander. de visib. Monar. p. 248. Nā tempore Victoris Asiani suam consuetudinem de celebratione Paschæ Lunæ decimâ quartâ tanquam necessariam & diuina lege præceptam vrgebant; & ita in Ecclesiæ contra legem gratiæ necessitatem obseruationis legis Mosaicæ inducebant. Quare non est mirum si Victor seuerius cum ipsis egerit, quam maiores ipsius cum maioribus eorum egerant, cum ipsis maiorum suorum consuetudinem non pia ut illi mente sed heretica opinione defenderent. Quam seueritatē Victoris ex-
Euseb. lib.
communicationisq; sententiam aduersus Quartadeci-
manos Conciliū primum Nicenum confirmavit, vt Const.

post tantum testimonium præcipitantiæ Victori obijcere, non solum præcipitantia sed etiam stultitia fit. Quod autem dicis l.4.c.10.n. 17. excommunicationem Victoris fuisse separationem sui ipsius ab illis Ecclesijs & verè schisma, non temere & præcipitanter solum, sed etiam impiè hoc à te dictum puta-

Gg 5 rem,

rem, si tua dicta soleres expendere. Nam non solum
Smo. Pontifici crimen tuo iudicio grauius longè quā
hæresim, obijcis: sed etiam Martyri clarissimè Mar-
tyrij gloriam eripis, imò successoribus eius vniver-
fis. Nemo enim Martyr esse potest, qui schismaticus
moritur, cum schisma, teste Cypriano, macula sit,
quæ nec sanguine luitur; inexpabilis culpa, quæ nec
passione purgatur. At Victor in sua aduersus Asia-
nos seueritate ad mortem usque permanit, per-
manerunt omnes illius successores. Igitur si verè
schismatici fuerint, vt tu fingis, nec Martyres fue-
runt, nec Catholici, nec membra Ecclesiæ Christia-
næ. Quis autem fuit unquam ante te tam impius, vt
hæc de Romanis Pontificibus illis antiquissimis di-
cere ausus sit?

DE CYPRIANO.

38. DE Cypriano se opponente Cornelio plura di-
cis quæ mera deliria sunt. Primo Cyprianus
(inquis) se Episcopo Romano nihil inferiorem esse
patitur, sed ei se penitus parem, imo quodammodo in-
terdum pene dixerim superiorem facit. Deliras, nam
vel tibi ipsi contrarius es, vel Cyprianum arroganter
facis. Probatur quia l.2.c.5.n.31.dicis Romanū Pop-
tificem præ cæteris Episcopis semper habuisse gene-
ralem superintendentiam omnium Ecclesiarum &
l.4.c.10.n.9.curam & custodiā totius Ecclesiæ Ro-
manæ Pontifici præcipue à Salvatore esse cōmissam.
Hoc verum, vel falsum est. Si falsum, iam tibi ipsi
contrarius es, tuaq; dicta ipse met demoliris: Si ve-
rum; ergo arrogans Cyprianus fuit. Is enim arrogans
est, qui se penitus parem facit alicui, cui reuera par
non est. Sed dicis Cyprianum se Romano Pontifici
penitus parem, imo quodammodo superiorem fe-
cisse; cum tamen super ipsum Romanus Pontifex
(te fatente) & humano & diuino iure emineret. quip-
pe cui

pe cui erat Ecclesia à Saluatore præcipue & magis quam Cypriano commissa. Quis igitur non videt te tuis ineptijs Cyprianum arrogantem facere.

Secundò dicas Cornelium ambitiosè ad se aliena iudicia traxisse ; Episcoporum iurisdictionem usurpasse; impediuisse ne Ecclesiè liberè ab Episcopis regerentur : ha cque Cyprianū epistolā ad eū datā exaggerasse; vt hominem(inquis) hoc pacto deterreret ab inceptis. Quā tu somnias! quā deliras ! Cyprianus nihil tale de Cornelio sēlit, quē ep. 68. vocat Sacerdotē pacificum & iustū & Martyrio dignatione Domini honoratū. Quomodo iustus, si iurisdictionē alienā usurpauit? quomodo pacificus, si regimen Episcopū turbauit , nec liberè Ecclesiā regi ab ijs permisit?

Tertiò dicas in Cornelium dirigi dictum illud 39.

solemne Cypriani, Non aliunde vel ortas hæreses, vel nata schismata, quām quod vnum in Ecclesia Dei vice Christi Sacerdos & iudex non cogitur. Hoc quoq; non nisi deliriū est hominis in meridiana luce velut media nocte palpantis. Nā luce solis clarissimus est, hoc dictū Cypriani aduersus Fortunati & Felicissimi factionem dirigi. Duplex enim erat in Ecclesia Cypriani sèculo schisma præcipuum: vnum Romæ, vbi se cōtra Cornelium Nouatianus erexerat: alterū Carthaginē; vbi cōtra Cyprianū Fortunatus cōstitutus Episcopus erat. Schismatici Romani nulos ad pænitentiā lapsos admittebāt; vt Cornelium, qui pænitentes recōciliabat velut remissū & disciplinæ Ecclesiælticæ negligenter inuidiè exponeret. Schismatici Carthaginenses prorsus contraria leuitate, lapsos oēs nullo discrimine, nulla prius acta pænitentia recipiebāt; quo Cyprianū pænitentiæ exactiore velut durum & difficile plebi redderent odiosum. Vtriq; schismatici, ambæ hæreses, quamuis inter se contrariæ, ex eodem fonte superbiæ oriebantur, quod vnum supra se Episcopum

copum Presbyteri vel Romani vel Carthaginenses pati recusarent. Quare merito Cyprianus non aliunde vel ortas hæreses vel nata schismata dixit. Quid in hoc dicto contra Cornelij primatum? prorsus nihil.

40. Quarto dicis Cypriani sæculo hæreses à Romana Ecclesiâ propagatas fuisse, hoc modo. De hæresi (inquis) ab Episcopo suo conuictus Romam fugiens simulationibus extorquebat reductionem & ad suam Ecclesiam regressum obtentâ Romana communione, & ita in hæresi firmabatur & alios inficiebat: hinc hæreses obortas dicit Cyprianus. Planè deliras. Primo ut demus S. Cornelium, ut tu fingis, hæresum authores recepisse, & fuisse à suis Episcopis proscriptos: non tamen inde hæreses primum gignebantur, sed ad summum iam natæ confirmabantur. At hæreses ex contemptu vnius Pastoris nō dicit Cyprianus confirmari sed nasci. Secundò Cyprianus non tantum dicit ex inobedientia erga vnum Sacerdotem hæreses nasci; sed etiam, non aliunde nasci: quis autem præter te tam demens est, ut dicat hæreses omnes Cypriani sæculo inde natas quod hæreticos ab Episcopo proscriptos summus Pontifex soueret & adiuuaret? Tertio si fautrix omnium hæresum Cypriani iudicio fedes Romana fuit; cur dixit hac ipsa Epistola, ad Ecclesiam Romanam perfidiam habere non posse accessum? cur tu millies dicis Romanam Ecclesiam puritate fidei præ cæteris supra modum multis sæculis floruisse?

41. Quintum delirium est, quod dum collo obtorto dictum Cypriani aduersus Cornelium trahis, Romani Pontificis primatum agnoscis. Primo, quia dicas, quod tempore Cypriani ab Episcopis suis conuicti & damnati, postea à Romano Pontifice absoluti necessariò reducebantur & impunè ibi erat suo inuito

inuitò Episcopo : quod nunquam Episcopi passi
fuisserent, niti Romanum supra se potestate eminere
credidissent. Secundo quia dicis Cyprianum dicere
non aliunde nata schismata , quām quod Episcopi à
Romano Pontifice suo sēculo male tractati ab ipso
tandem desciscerent. Si Episcopi à Romani Pontifi-
cis obedientiā , quia ab ipso malè tractabantur , de-
sciscerant & schismatici fiebant: certe Romano Pon-
tifici , tanquam suo Principi adhærere tenebantur.
Tertio dicis Cyprianum dicere, si Sacerdoti Dei ob-
temperetur, id est , Episcopo in suā Ecclesiā plene defera-
tur; si iudicata ab eo , ab alijs Ecclesias à Romanā præsertim
tanquam bene iudicata firmentur; hec incommoda , hæreses
& schismata vitari. Ex hoc dicto sequitur primò, quod
ius habeat Romanus Pontifex quo bene iudicata ab
Episcopis firmare potest. Nam si potestatem talem
non habeat, quid attinet illorum iudicia ab ipso fir-
mari. Secundò sequitur, quod ius habeat iudicata ab
Episcopis examinandi: vnde enim sciet, quæ iudicata
sunt ab Episcopis, bene iudicata esse, nisi discutiat; cū
possint Episcopi malè iudicare, & illa dogmata velut
hæreses proscribere, quæ reuera illiusmodi nonsunt?
Tertio sequitur, quod ius etiam habet malè iudicata
rescindendi. Nam si Pontifex potest ab Episcopis
bene iudicata firmare ; cur non poterit etiam malè
iudicata rescindere? potestas quæ formam inducit,
potest etiam contrariam expellere. Si potest Ponti-
fex quæ sunt bona approbare ; cur non poterit quæ
sunt ab Episcopis malè statuta damnare? Quod si
Romanus Pontifex sēculo Cypriani potuit iudi-
cata ab Episcopis examinare , quæ erant constituta
firmare, quæ secus euertere; certè Episcoporum to-
tiusque Ecclesiæ caput & Princeps fuit.

42. SE Stephano Firmilianus opposuit (inquis l. 4. c. 8.n.9.) nec in eo Papatum agnouit. Sanè se opposuit Firmilianus errans Stephano rectè sentienti; Firmilianus Euangelicam veritatem totius Ecclesiæ pérpetuâ consuetudine firmatâ, nouâ temeritate labefactare conatus, Stephano nihil præterquā, quod traditum erat, innouandū sancte & Catholicè præcipiènti; deniq; Firmilianus qui baptizatos ab hæreticis abluendos nouo lauacro contendebat, Stephano se opposuit qui secundum baptismum velabat, Firmianum & alios Episcopos, qui rebaptizabant, excommunicauit. Firmianum igitur & nimium vituperas, & falsò laudas. Quod dicis Firmianum virum sanctissimum fuisse, cui nemo vel ex Romanis Catholicis hæretici & schismatici vel minimam labeculam aspersit; falsum est. Nā Baronius eum schismaticum non modo dicit, sed probat; nec tantum rebaptizatorē, sed etiam quartadecimanū; quāmuis eum postea pœnituisse ostendat. Nimium vituperas, cum dicis ibidem, *Esto erroris eum pœnituerit; at de Stephano contempto & acriter obiurgato nunquam pœnitentiam fecit.* Vnde tibi constat Firmilianum egisse pœnitentiam errorum non autē contumeliarum, quas cùm suos errores defenderet in Stephanum effudit? Certè si verum dicis, Firmianum non mōdō grauiissimi sceleris, sed etiam in scelere impœnitentiæ damnas. Nam grauiissimè eum peccasse, dum Stephanum contemplit ex tuis dictis euidenter probatur. l. 4. c. 10. n. 45. respondes ad testimonium Gregorij Magni in epistola ad Natalem Salomonitani, qui Gregorij & Pelagij literis parcere neglexerat. Si quilibet ex quatuor Patriarchis (inquit Gregorius) hoc fecisset, sine grauiissimo scandalo tanta contumelia transire minimè potuisset. scandalum (inquis) esset, non quod Patriarcha parere teneantur. Sed quia ob

*Baron. tom.**2. An. 258.**Pag. 571.*

schismatis non modo dicit, sed probat; nec tantum rebaptizatorē, sed etiam quartadecimanū; quāmuis eum postea pœnituisse ostendat. Nimium vituperas, cum dicis ibidem, *Esto erroris eum pœnituerit; at de Stephano contempto & acriter obiurgato nunquam pœnitentiam fecit.* Vnde tibi constat Firmilianum egisse pœnitentiam errorum non autē contumeliarum, quas cùm suos errores defenderet in Stephanum effudit? Certè si verum dicis, Firmianum non mōdō grauiissimi sceleris, sed etiam in scelere impœnitentiæ damnas. Nam grauiissimè eum peccasse, dum Stephanum contemplit ex tuis dictis euidenter probatur. l. 4. c. 10. n. 45. respondes ad testimonium Gregorij Magni in epistola ad Natalem Salomonitani, qui Gregorij & Pelagij literis parcere neglexerat. Si quilibet ex quatuor Patriarchis (inquit Gregorius) hoc fecisset, sine grauiissimo scandalo tanta contumelia transire minimè potuisset. scandalum (inquis) esset, non quod Patriarcha parere teneantur. Sed quia ob

*L. 2. Ind. 10.**P. 37.*

rentiam sedis primarij Patriarcha epistola à Compatriarcha contemni non debet. Nam vbi non censeant esse obsequendum debent, modestè rescribere, & tanto Episcopo quārum fieri possit satisfacere ; non autem per summum contemptum eas flocci facere. Hęc tu. Omitto te Gregoriū non intelligere, nec illius testimonio satisfacere. Nā Gregorius , si Patriarchae Romano Pontifici parere negligat, non dicit illud scandalum futurum, sed cōtumeliam & inobedientiā: scandalum verò grauissimum futurū dicit , si Romanus talem in Patriarcha contumeliam impunitam transire permitteret. Quo dicto Romani Pōtificis primatum clarissimē asserit. Sed hoc omisso illud assumo, quod cōcedis, grauissimum scandalū & peccatū esse Romani Pontificis literas, quāvis dignē non sint, quibus obediatur, cōtemnere. Deinde sublumo. Sed te satēte Firmilianus literas Stephani flocci fecit; imò non modo literas Stephani, sed etiā ipsum Stephanū persūnum cōtemptū excepit, maledictisq; oneravit. Nam (quod patet ex particulis epistolæ illius à te l.4.c.8.n.9.citatis) Stephanū Iude proditori per cōtumeliā cōparat ; hæreticis omnibus peiorē, Iudeis perfidis deteriorē dicit; audaciæ, insolentiæ, stultiæ accusat; animosum, iracundum, satuū vocat: nec aliam ob causam, quā quod recte sentiret, nec Firmiliano cōsuetudines Ecclesiæ cōuellendi libertatē dare vellet. Igitur te cēfore grauissimum scandalum & peccatū admisit. præsertim cū l.4.c.10.n.8.dicas omnibus Episcopis synodisq; solenne suisce de Ecclesia Romana loquētibus, reuerētiā magnā, stiloq; vti perquā honorifico. Quanquā (quod Romani primatus argumentum certissimum est.) in tanta mentis perturbatione nunquam dicit Firmilianus causas Episcoporum nihil ad Romanū pertinere: tantum indigno fert animo, quod Pontifex non iusta de causa, sed ob veritatem excommunicando suā potestate legitimā abutatur. DE

natum in concilio Episcoporū Africæ suam causam
fedi Apostolicæ reseruare potuisse, quia nimis
alij Episcopi pro illo stabant. Septimo certum erat
in causis criminalibus si Romanus Pontifex appellantes
ad se Episcopos de facto absoluueret, absolu-
tionem ratam & validam fuisse, nec quidquam ob-
stare potuisse, nisi manifeste constaret Romanum
Pontificem à reo esse delusum. Vnde Episcopi A-
fricani nunquam dicunt Romanum Pontificem ad
se appellantes validè absoluere non potuisse, sed tan-
tum rogant ne facile hoc faciat. Itaque cum hæc se-
ptem Patribus Africanis certa & explorata fuerint,
totam Romani Pontificis potestatem plenè agnoue-
runt, nec quæstionem ullam de illa mouerunt.

Quæstio igitur, in qua à Romanis Pontificibus
Patres Africani dissidebant, hæc fuit: expediretne
Ecclesiæ, Romanum Pontificem suâ absolutâ po-
testate appellationes admittere, & iudicia à Syno-
dis circa crima Episcoporum retractare? Non ex-
pedire censebant Africani; Primo, quia hac ratione
causæ in longum traherentur & in rebus parui mo-
menti. Secundo, quia Romanus Pontifex ab A-
frica remotus facilè falli poterat. Tertio, quia te-
stes quibus rei conuincendi erant vel propter se-
xum, vel propter ætatem, vel alia impedimenta
Romam pergere non poterant. Quarto, quia in ma-
teria facti facilius erat vnum falli quam plures. Hæc
argumenta Patrum Africæ non probant, non licere,
sed non expedire Romanum Pontificem appella-
tiones admittere.

At pro Romanis Pontificibus & conuenientia
appellationum ad ipsos experientia erat & consue-
tudo reliquæ Ecclesiæ & Concilium Sardicense. Ex-
perientia enim in causa præscritum Athanasij uno sa-
culo agitata clare docuit Ecclesiam facile in Sy-

epist. 168.

epist. ad
Calestin.

nodis Episcoporum Catholicos viros fidei columnas falsis criminibus circumueniri , damnari , vexari , suis sedibus ejici , nec aliud illis tutum superfisse perfugium, quām sedem Apostolicam , ad quam perfidia non potest habere accessum. Huius veritatis concium Concilium Sardicense (quod Ecclesiæ generale Socrates vocat , & Sulpicius Seuerus ex toto orbe collectum dicit) definit expedire Romanum Episcopum pro suâ sapientiâ Episcoporum appellations admittere. Quoniam verò testes Romanam venire non commodè poterant ; statuit idem Concilium ut Legatum à suo latere , suâ potestate supremâ præditum , causis Episcoporum audiendis mittere posset. Hoc Concilij Sardicensis decretum Africani Patres ignorabant : imo Donatistæ , quia Concilium Sardicense ad se literas pacis dedisse iactabant , nomen Sardicense Africæ infame reddiderant. Hinc Romanum Pontificem rogam , ut appellations quas absolutè admittere potest sua sanctitas , facile non admittat , nec à se suspenso vel festinato , vel præproperè , vel indebitè communioni restituat. Vnde constat non potestatem acceptandi appellations , sed illius ordinariū vnum & nimium Patribus Africanis displicuisse. Paulo tamen post tenebris , quas Synodo Sardicensi Donatistæ offuderant , veritate discussis , Sardentis Concilij decreto se subdiderunt Patres Africani , & cum illo Concilio appellations , quarum potestatem nunquam negauerant , vsum Pontificis prudentiæ relinquendum censuerunt , ut constat ex varijs factis Pontificum , tum S Leonis qui paulò post Cælestinum Pontifex in Africa

appellations nullo sibi oblistente

admittebat.



Socr. Hist.
l.2.

Concil.
Sard. can.
3. alias. 4.

Can. 7.

Leo ep. 83.

DE EPISCOPIS RAVENNATIBVS.

RA VENNATIS Ecclesiæ exemplo tuam con- 45.
 tumaciam defendis, & Romani Pontificis pri-
 matum oppugnas l.4.c.8.n. 44. Primò, quia quam-
 uis ad ordinationem Romani Pontificis Rauennæ Archiepis-
 copus ab antiquo pertinet ; tamen etiam in hoc aliquam-
 diu noluit illi subiici. Secundo Maurus Rauennæ Præ-
 ful à Papa Vitaliano Romam vocatus, vt se iudicio
 fisteret, nō modo contempsit sed etiam à Vitaliano excom-
 municatus , excommunicationem reciprocauit , quod o-
 lum fecerat in Papam Leonem Dioscorus Alexandrinus.
 Tertio Annales Rauennates habent eandem Ec-
 clesiam se Romanæ Ecclesiæ subiecisse non nisi cir-
 ca annum Domini 680. Denique post alia similia
 concludis aduersus Romani Pontificis supremata-
 tem resistentias tam frequentes nunquam futuras
 fuisse , si iure diuino præfertim fuisset in Eccle-
 sia vniuersali cognita. Hæc tu:in quibùs & ine-
 ptus es, & tibi ipsi contrarius. Nam vel probas hæc
 Rauennæ Episcoporum facta, vel damnas. Si dam-
 nas; quid citas? cur libri partem occupant? Ex dam-
 natis pertinaciæ exemplis aduersus Romanum
 Pontificem , quid aliud concludes, quām tuam con-
 tumaciam damnabilem esse? Si probas hæc facta:
 iam tibi contrarius es, qui libr. 4. cap. 8. numer. 13.
 scribis. Si primatus vniuersalis iure vel diuino vel et-
 iam Ecclesiastico ad Romanum Pontificem pertineret,
 certè pertinacium adeoque stolidorum esset repugnare.
 Hæc tu:iam subsumo. Sed Rauennates Episcopi,
 qui à Romano ordinari recusabant, primatu repu-
 gnabant ; quem te fatente Romanus Pontifex ha-
 bebat saltem iure Ecclesiastico. Illud enim officium
 ordinandi Rauennæ Archiepiscopum dicens ad Ro-
 manum ab antiquo pertinuisse. Igitur te iudice

pertinaces & stolidi erant Episcopi Rauénates, quos tu citas. Quid tu verò qui testibus istiusmodi Romanum primatum impugnas? Deinde si facta vel Mauri, vel Dioscori sumimum Pontificem excommunicantium probas; cur hoc apertè non dicas ut sciamus te toti Ecclesiæ repugnare? Nam factum Dioscori Ecclesia vniuersalis in Concilio Chalcedonensi, velut insaniam exhorruit: omnes verò Italiæ Episcopi portentoso Mauri Rauennatis facinore percussi in Cōcilio cum Vitaliano congregati, Mau-
Baro. Ann.
696. tom. 8.rum velut monstrum & indignum Sacerdotio, Episcopali honore priuarunt: vt vni Mauro contra Sedem Apostolicam, & omnes Italiæ Episcopos, vni Dioſcoro contra Episcopos sexcentos Ecclesiæ vniuersalis adhærere portentum & insaniam sit.

46. Tertio quod dicas Rauennatensem Ecclesiam nō nisi circa Christi annum 680. se Romanæ subdidisse; nec tamen de præcedenti illius schismate quicquam constare, citasq; Baronium ex Annalibus Rauennatisibus hoc referentem, duo mendacia sunt. Non enim dicunt Annales Rauennates à Baronio relatione nisi tunc Rauennatem Ecclesiam Romanæ se subiecisse; sed tunc omnino se subiecisse, nimirum post schisma, quod Maurus conflauerat, & sub Vitaliano cæptum duodecim prope annis durauerat. Maurus enim depositus ab Italiæ Episcopis, fretus Exarchi potentia in schismate vixit & obiit; vixit etiam Mauri successor Reparatus, qui tamen circa finem vitæ resipuit, (vt testatur Anastasius) & Ecclesiam suam Romanæ vniuit: quæ reconciliatio à Reparato cæpta, sub successore illius Theodoro circa annum 680. planè perfecta est. Falsum est igitur quod hanc subiectionem Rauennatis Ecclesiæ anno 685. factam nullum recens schisma præcesserat: multò autem falsius tunc primum Eccleiam Rauennatem

tem Romanæ subditam esse cœpisse: quomodo enim Rauennas Ecclesia Romanæ subiecta non fuit ante illud tempus, cuius Episcopus Petrus Chrysologus dicit Christi seruum non esse, qui decreto vel Christiani Principis vel B. Petri, id est Romani Pontificis irreuerenter obseruit. Et Ioannes Rauennæ Episcopus sub Gregorio Magno, Quibus, inquit, ego ausibus sanctissimæ illi sedi, quæ vniuersali Ecclesiæ sua iura transmittit, præsumperim obuiare, propter cuius consensum ad am authoritatem multorum aduersus me inimicorum inuidiam grauiter excitaui? Et post Sanctæ Rauennati Ecclesiæ, quæ peculiari-
ter vestra est, non solum vetera priuilegia conserue-
tis, sed etiam maiora vestris temporibus conferatis. Denique Maurus ipse, priusquam rebellare aduer-
sus Vitalianum cœpisset, Romani Pontificis prima-
tum agnouit cum Martinum primum in Concilio
Romano literis suis salutaret, toto orbe Apostoli-
cum & vniuersalem Pontificem Maximum.

Denique quod toties inculcas, frequentes aduer- 47.
sus primatum Romani Pontificis resistentias, signum manifestum esse, primatum illum tanquam diuini juris agnatum in Ecclesia non fuisse, cum tuis dictis pugnat: qui proclive esse dicis in natura corrupta, ut inferiores iugum detrectent, & se superioribus æ-
quent. l. 2. c. 3. n. 53. Obseruo (inquis) non esse insolitum in natura corrupta, ut qui iam gradum aliquem in Ecclesiastico ministerio obtinent, non modo ambiant superiorem; sed interdum etiam officia aliqua gradus superioris de fa-
cto inuadant, ybi præsertim plurima sunt officia & superio-
ris & inferioris gradus simul communia. Si non sit insolitum in natura corrupta, ut inferiores superioribus molesti sint, & eorum officia de facto inuadant: si verum sit, quod l. 4. c. 4. n. 21. scribis libidinem domi-
nandi, ut solet, facile potuisse mouere Patriarchas Constan-

afferuisse. Hæc conclusio probari potest clarissimis Patrum testimonijs, quorum nonnulla adduximus, & innumerabilia adhuc adduci possent. Ad hæc au- tem testimonia, cùm nihil tibi suppetat, quod ve- rè respondeas; facis quod facere solent hæretici pertinaces, atque adeo (te iudice) stolidi, qui clau- sis aduerlus veritatem oculis negant vel factum vel dictum esse quod nollent. Huius rei pauca accipe exempla. Ignatius Martyr ep. 12. ad Romanos scri- bens, vocat eos Ecclesiam sanctificatam, quæ præsi- det in regione Romanorum, non autem ut tul. 4. c. 10. n. 5. 4. fingis, dicit Ignatius, Ecclesiam præsidere restrictiuè in regione Romanorum, sed ecclesiam in Regione Romanorū, i. e. Romanā, præsidere abso- lutè. Quid est autem Ecclesia prætidens, nisi Ecclesia caput & regina cæterarum? Quid tu? Ecclesia (inquis) præsidēs passua significatione reddi potest, Ecclesia quæ præ- sidetur, nimirum quæ Episcopum habeat & Presbyteros, qui illi præsideant. Quasi verò Episcopum & Presbyteros non aliæ Ecclesiæ etiam habuerint, aut potuerit Ig- natius hoc sensu Ecclesiæ præsidentis titulo Ro- manam à reliquis distingue.

Dicit Irenæus; Ad Romanam Ecclesiam necesse l. 3. c. 3. est omnem conuenire Ecclesiam, hoc est, qui sunt vnde fideles, propter potentiorē principalitatē. Quid tu? propter potentiorē principalitatē, hoc est (inquis ubi supra n. 55.) propter purioris fidēi prærogatiūam.

Athanasius ad Felicem Papam; DE VS, inquit, so- vos in summitatis arce constituit, omniumque Ecclesiarum curam habere præcepit, vt nobis succurratis. Non potuisset alijs verbis clarius af- ferere Athanasius Romanum Episcopum diuino iure super omnes Episcopos eminere, & ex singu- lari Christi præcepto omnium Ecclesiarum curam

illi incumbere. Quid tu? respondes in hæc verba. l. 4. c. 10. n. 57. Omnes Episcopi curam habent vniuersalis Ecclesiæ iure diuino egi in superioribus, & de præcipua in hoc Romani Pontificis cura egi supra. c. 9. Quorsum hæc? nam si egisti de præcipua Romani Pontificis cura super omnes Episcopos & Ecclesiæ, quam iure diuino habeat; primatum in Ecclesia super Episcopos, quem toties negas, diuinitus institutum concessisti: si de Pontificis Romani præcipua cura, quam habeat tantum ex consuetudine Ecclesiæ egeris, non egisti de primatu quem S. Athanasius asserit, qui Deum ipsum constituisse Romanum Pontificem in summitatis arce dicit, illique curam omnium Ecclesiæ sum singulariter demandasse.

51. Basilius cū Ecclesia Orientalis hæresibus & schismatibus laboraret, vt remedium adhiberetur scribens ad Athanasium; *vñsum est*, inquit, *consentaneum* scribere ad Episcopum Romanum, vt videat res nostras & iudicij sui decretum interponat. Et infra. *Ipse autoritatem tribuat delectis viris, qui laborem itineris perferre possent &c.* quique acta Ariminensis Concilij ferant, ad ea rescindenda quæ illic violenter acta sunt. Hic Basilius tribuit Romano Pontifici ius visitandi Ecclesiæ Orientis, & autoritatem decreta condendi, legatis suis potestatem tantam tribuendi, quâ Concilia generalia rescindantur. Quid ad hæc, Antoni? *Illud officium* (inquis l. 4. c. 10. n. 58.) *non erat visitationis Episcopalis sed fraternæ opitulationis*, qualem agrotis præstari visitationem iubet Euangelium. Iudicij decretum non est iudicis statum legem finientis, sed viri prudentis responsum amico consulenti traditum; authoritas legatis tradita ad rescindenda acta Ariminensia, non erat acta irritare per verbum abrogamus, sed viros doctos & mansuetos mittere, qui suadendo & disputando errantes in viam reducent, obstinatosque conuincerent. Ita tuludis & Patrum dicta

dic̄ta potius irrides, quam explicas. Scilicet deerant tunc in Oriente viri prudentes & mansueti & docti, qui h̄ereticos reducerent; Athanasius, Basilius, Nazianzenus, & alij innumeri Orthodoxi Patres Ecclesiae Catholicae illustria lumina pares h̄ereticis sapientia & doctrina non erant. A Romano Pontifice Gr̄eciam mendicare oportebat non authoritatem, non potestatem, per quam h̄eretici iudicali sententia damnarentur, sed prudentiam, sed eruditionem, sed doctrinam, sed eloquentiam, qua disputando & perorando conuincerentur. Nimirum cum Deo pugnare vis, quemuis primatum Romanæ sedi tribuere, charitatis, sapientiæ, eruditionis, eloquentiæ, modo negare Romæ possis primatum, quem Christus ei tribuit, potestatis.

Episcopus Patarenſis, cum Siluerius Romanus ^{32.}
*litteratum in
 Breuiario.*

Pontifex à Iustiniano mitteretur in exilium, Iustinianum, allocutus & iudicium Dei contestatus de expulsione sanctæ sedis Episcopi dixit: *multos esse in hoc mundo Reges, & non vnum, sicut ille Papa est super Ecclesiam mundi totius, à sua sede expulsus.* Plures sunt igitur in mundo Reges supremi, nec vni subditi: at in Ecclesia non plures Episcopi, non plures Papæ supremi; sed vnuſ Papa & Episcopus supremus super Ecclesiam mundi totius. An non hoc est in Ecclesia Monarchiam & vnius supremum regimen diuinitus institutum aperte agnoscere? Considerabat (inquis l. 4. c. 10. n. 62.) *Episcopus Patarenſis priuilegium supremi primatus, quo Romanus etiam Constantinopolitanum ex Ecclesia consuetudine superabat.* Ita est: considerabat ille supremum Pontificis Romani primatum. Sed tu non consideras quid scribas. Hoc enim loco concedis, Romanum Pontificem Constantinopolitanum Patriarcham superare supremo primatu: alibi verò singis Episcopum Constantinopolitanum

472 MONARCHIAE ECCLESIASTICAE,
Ecclesiæ ex consuetudine Ecclesiæ, & decretis Ro-
mano Pontifici penitus parem esse, omnia priuilegia
eadem habere. Quod si vnuis sit in Ecclesia Papa &
Episcopus, quomodo non est vnuis in mundo Rex?
qui verum, quod contendis Episcopos omnes inter
se parcs, nec omnes vni subijci? Hæc exempla, qui-
bus similia plurima addi possent, conuincunt Patres
Romanum primatum asseruisse, conuincunt te nihil
prorsus ad Patrum testimonia respondere posse, nec
aliud laborare, quam ut multa dicas & ingentem li-
brum in lucem edas.

53. Dico secundò, Patres omnes pro Romani Pontifi-
cis Monarchico primatu stare. Hoc inde colligitur,
quod duodecennali studio nullum inuenire potue-
ris, qui illum neget. Q[uo]d fit ut inepta & leuissima ex
Patribus argumenta afferas, & illa testimonia con-
tra primatum, quæ potius illum stabiliant. In capite
octauo libri quarti, in quo totam eruditio[n]is tuæ su-
pellentilem ex Patribus proponis, præter facta E-
piscoporum, de quibus iam dixi, quindecim habes
Patrum dicta contra Primatum, ex quibus octo in-
eptiæ meræ sunt, nec ad propolitum faciunt; alia se-
ptem pro primatu contra te faciunt.

TESTIMONIA PATRVM INEPTÆ AB
ANTONIO adducta.

Opt. l. 2.
cōtr. Parm.

Opt. l. 1.
cōtr. Parm.

In primis cap. illo 8. nu. 9. ita scribis. His Romani
primatus aduersarijs possumus subiectere Opta-
tum. Quid ille hostile in Romanam sedem dicit, quā
vocat *Cathedram singularem contra quam qui singularem*
defendit schismaticus & peccator sit? in numerandis (in-
quis) hæresum propugnatoribus Victorinum Patavensem
primum nominat, & post ipsum Zepherinum, cui solum ti-
tulum Papæ Vrbici apposuit; quia solius Vrbis Romanae Epis-
copum agnotit, Validum argumentum. Romanae vr-
bis

bis Zephirinum Episcopum agnouit; ergo vniuersalis Ecclesiæ Episcopum negauit. Nugæ. Similem ineptiam cum crassa ignorantia coniunctam habes l.4. c.2. nu. 4. Si totam Ecclesiam gubernasset Damasus (inquis) dixisset Eusebius Damasum in Ecclesiæ administratione successisse; cum tamen dicat Episcopum Romanum fuisse, & in illius Ecclesiæ administratione Liberio successisse. Ineptus es, & crassè cōtra historiam erras. Quomodo enim Eusebius dice- *Ann. Dom.*
re potuit Damasum Liberio successisse, qui multis *340. sub*
Iulio Papa. annis ante vel Damasi vel Liberij Pontificatum mortuus fuit.

Secundo non grauiori de causâ aduersarijs romani primatus annumeratas Athanasium l.4.c.8.nu.20. qui recensens sui temporis Scriptores, certè (inquis) *Romanos Pontifices primo loco non posuit; utique hanc eis iniuriam non fecisset, si vniuersalis Ecclesiæ præfecturâ in-structos agnouisset.* Quasi verò Romanis Pontificibus primatum in scribendis libris, non in regendis Ecclesijs tribueremus.

*Orat. I.
contr. A-
rian.*

Excedent alij spirantia mollius era,

Tu regere imperio populos, Romane, memento.

Tertiò eundem Athanasium ibidem hostem nobis facis, quia dum Eunuchi impudentiam memo- *Athan. e-
rat Liberij præsentiam non veriti ait; Oblitus sui, p̄st. ad So-
quod coram Episcopo staret. Locus (inquis) maximè lit.
requirebat, ut diceret; oblitus sui quod coram Episcopo vni-
uersali & Pastore generalissimo, Christiq; Vicario in ter-
ris, ipsoque Vice-deo staret. Certè ita ab historia digre-
di debuisset, si in scribenda historia delirare vo-
luisset: scilicet non satis, præfertim Christianis Mo-
nachis, Eunuchi impudentiam exprefserat, quem
coram Episcopo & tali Episcopo sui immemorem
stare dixerat.*

*Quartò Nazianzenus Romano primatui infensus
erat*

Nobis huius assertionis author est Petrus , qui Romanæ Ecclesiæ Sacerdos fuit. Quid hic contra primatum? Sensus (inquis) n.26. Ambrosij est. Ego Romanam Ecclesiam sequar, quia suppono in ea doctrinam Ecclesiasticam à Petro traditam vigere. cùm verò ex Euangelio mibi sit notissimum lotionem pedum plurimum Petro placuisse, & de illa exercenda à Domino mandatum habuisse: profectò cum in Ecclesia Romana id seruari non videam, illam in eo desicere non dubito. ideo lotionē pedum seruo Petri documenta secutus : tametsi ipsius Ecclesia Romana hac documenta abiecerit. Hæc tu; quibus ostendis te nouæ sectæ Podobaptistarum esse , vel saltem Podobaptistam Ambrosium facere , quæ nuper apud Batauos nata in Angliam immigravit. Hi dicunt non sufficere homini ad salutem baptisma , nisi etiam pedes lauet , Christianosq; ad pedes lauandos diuino præcepto obligari. Huius enim sententiæ assertor es verbis, nescio , an mente ; à mente enim tua verba sæpe dissentunt. Nam dicas ex Ambrosio Christum dedisse Petro præceptum de lotione pedum , quod ille Romanæ Ecclesiæ tradidit. Hoc autem præceptum Ecclesiam Romanam violare hoc ipso, quod baptizatorum pedes non lauet. Sed Ecclesia Romana hoc ipso, quod baptizatorum pedes non lauet, nullum præceptum diuinum violat , nisi lauare pedes Christiani baptizati diuinum præceptum sit. Igitur si tibi constare vis , & quod scribis intelligis, dicere debes Christianos iam baptizatos, ut pedes lauent, obligari. Quod si Ecclesia Romana à Petri doctrina defecerit , si Christi præceptum abiecerit , quia pedes baptizatorum non lauat ; quid Ecclesia Anglicana , quam totam lucidam & pulchram vocas ? nec enim illa pedes baptizatorum lauat ? Nimis ineptus es. Ambrosij vero testimonium ad propositum non facit. Nam tria tantum dicit. Primo Romanam Eccl-

clesiam suas habere proprias consuetudines , sua festa, suas in Baptismo administrando cærenonias, quæ liberæ sunt , nec vlla Ecclesia eas sequi teneatur. Secundo dicit se cupere in omnibus prorsus rebus , etiam cærenonijs liberis Ecclesiam Romanam propter illius authoritatem sequi ; non tamen ita scrupulosè in rebus adiaphoris , quin si cærenoniae aliae occurrant magis piæ, non illis vtatur. Tertio cōsuetudinem lauandi pedes baptizatorum, quâ Romana Ecclesia non vtebatur , existimat magis, piam , quâm quæ illam omittit. in quâ re falsum esse Ambrolium totius Ecclesiæ praxis ostendit. Quanta vanitas est , hæc velut Romano Primatui aduersantia afferre?

55. Octauo Augustinus (inquis c.8.n.27. Stephanum Romanum cum Cypriano Carthaginensi comparâs, dicit fuisse duos eminentissimarum Ecclesiarum Episcopos , Imo verò inter particulares Ecclesias & membra Ecclesiæ vniuersalis Romanam nominat. imò Cyprianus dicit Ecclesiam vniuersalem esse unum Episcopatum : non tamen vnum est Episcopus , qui tam magnum habeat Episcopatum. Hæc tu; quæ sunt ineptissima , nec responsione egent. Ultimum verò, quod dicis vnum esse in Ecclesia Episcopatum, non vnum Episcopum , cum alijs tuis dictis non cohæret. Nam si loquaris de Episcopatu singulare , sicut vnum non est in Ecclesia solus & singularis Episcopus; ita nec vnum singularis & solus Episcopatus , sed plures , qui per aggregationem in vnum coalescunt, vt tu doces lib.3. cap. i. numer. 8. si loquaris de Episcopatu uno composito ex pluribus particularibus episcopatibus; sicut vnum Episcopatum, sic vnum Episcopum alteris libr. i. cap. 10. numer. 17. Petrus (inquis) significabat omnes simul Praetatos Ecclesia, qui sunt Christi Sacerdotes, qui simul omnes faciunt

*Contra
Crescon. L.
2.c.37.
De unit.
Eccl.c.ii.*

faciunt vnum Sacerdotem, siue vnum (ut loquitur Cyprianus) Episcopatum. Hic clarissime afferis, non minus in Ecclesia dari vnum Episcopum, quam vnum Episcopatum ex mente Cypriani: cum hic diccas vnum in Ecclesia esse Episcopatum, non vnum Episcopum. Non nisi ineptias affers; nec tamen illa inter se coherent. Facis quod facere eos dicas, qui falsa stabilire cupiunt. *Falsitas* (inquis lib. 4. cap. 10. num. 1.) *cum vera non habeat, quibus posset subsistere, apparentibus saltim delicitatur, leuisima quoque iudicia anxiè perquirit & colligit, eaque in immensum multiplicat; ut quia firmarum rationum momentis non potest, multitudo apparentium autoritarum confirmet.* Quam pulchre tuum ingenium descripsisti! Ingens cupis volumen edere, operis vastitate nos vincere, quia doctrinæ veritate non potes. Hac de causa levissima, ineptissima, ne quidem apparentia testimonia duodecennali labore vndeque collegisti; imo quæ causam tuam non iuuent, sed potius laudent, ut am ostendam.

SEPTEM EX PATRIBVS TESTIMO-
NIU, contra primatum ab Antonio allata: cum ea-
dem potius primatum con-
uincant.

IN primis, affers lib. 4. cap. 8. num. 20. Testi- 56.
monium istud Athanasi. Ne Liberio quidem Ro-
mano Episcopo pepercerunt, nullareuerentia ducti, quod
Sedes illa Apostolica esset, vel quod Roma metropolis
esset Romanae ditionis. Haec certè primatum non
destruunt, sed potius ponunt; ne quidem (inquit)
Romano Episcopo pepercerunt. quis non videt Ro-
manum Episcopum cæteris præterri, maioremq; ei
reuerentiam deberi, eo quod sedes eius simpliciter
& ab-

& absolutè Apostolica esset, id est, sedes Principis Apostolorum, cuius singularis in Ecclesiam potestas ad successorem peruenit.

57. Secundo, contra primatum Romanum affers Basilium in epistolâ ad Occidentales Episcopos, quorum opis indigos dicit Orientales ab ipsis negligi non debere. Siue caput (inquit) vos reputatis, non potest dicere pedibus, caput non est mihi opus vobis: siue in reliquorum Ecclesiasticorum membrorum ordinem vos locatis; non potestis nobis dicere, non estis nobis necessarij. *Hac (inquis) Basiliū mihi videtur quedam Ironia ac propemodum irrisio. optimè enim sciebat ex solo fastu Papam sibi primatum arrogare.* Ita tu Basilium explicas & stultum Oratorem facis. Stulti enim Oratoris esse eos, apud quos dicit, quorum gratiam captat & opem illorum indigus implorat, irridere. Non hæc Basiliū, sed tua insipientia est. Basiliū enim alternatiua non dubitatiua, sed distributiua est, duas rationes proponens Occidentalibus Episcopis cur Orientalibus opitulari deberent. Primò quia si se cum Romano, Occidentali etiam Episcopo, coniunctos Orientalibus conserant, caput eorum sunt: caput verò dicere non potest pedibus, id est, subditis suis, non est mihi opus vobis. Si vero excluso Episcopo Romano se solos considerantes comparent Orientalibus, iam commembra sunt sub uno capite Romano Pontifice constituti; & ita mutua ope se firmare debent.

58. Tertium testimonium. Hieronymus (inquis) cum

Hieron. ad Damas. ep. vellet Damasi authoritatem euhere, nihil aliud ei tribuit, nisi quod sit summus Sacerdos, id est, in gradu Episcopali constitutus. Aduersus quam inuidiam

(inquit) duplex me causa consolatur, quod & tu, qui summus Sacerdos es, fieri iubes &c. Quæsto te, Antoni, quid maius Damaso tribuere potuit, quam ut sum-

summus Sacerdos simpliciter & absolutè, id est, totius Ecclesiæ sit? Talem enim summum Sacerdotem Hieronymus existimauit Damasum; quod sic probbo. Hieronymus dicit Damasum ita Sacerdotem summum sibi esse, ut eius authoritate munitus alios etiam Episcopos reprehensores versionis sue Novi Testamenti ex Græco in Latinum contempturus sit. Sed si Hieronymus per summum Sacerdotem non aliud intellexisset in Damaso, quam simplicem Episcopum vnius certæ Ecclesiæ, non potuisse eius auctoritate munitus non curare reliquorum Episcoporum reprehensiones, si plures numero, officio pares Romano erant. Igitur Hieronymus in Damaso agnouit summum Sacerdotem, & supremū Principem Ecclesiæ vniuersæ, cuius imperio reliqui Episcopi subsint, nec cōtra Damasi sententiam quidquam possint.

Quartum testimonium. Idem Hieronymus, dum 59. scripta contra Heluidium defendit auctoritate Damasi, qui ea legerat: Num vir egregius (inquit) *Apol. ad. uers. Iouin.* & eruditus in Scripturis & Virgo Virginis Ecclesiæ Doctor aliquid in illo sermone reprehendit? *Hic* (inquis) non erat locus tacendi de Papatu, sed omnino addidisset Vicarius Christi & totius Ecclesiæ gubernator supremus & Monarcha, si hæc Romano Pontifici conuenire creditisset. Ita ineptis: Nam quod dicis Damasum non fuisse Christi Vicarium tibi contradicis, qui reliquos Episcopos omnes Vicarios Christi immediatos esse contendis, nedium Romanum Pontificem, quem totius Ecclesiæ vniuersalem superintendentem (quod est Græcè nisi fallor Episcopus) appellas. Titulus vero ille quem Damaso tribuit Hieronymus, virginis Ecclesiæ Doctor, quid aliud est quam si dixisset alijs verbis, Ecclesiæ totius Pastor? Virgo Ecclesia vniuersalis est, docere te latente pascere est, & po-

testatiuum quid. Igitur Damasus Virginis Ecclesiae
Doctor Ecclesiæ vniuersalis est Pastor. Sed tu ita de-
sipis, vt Romani Pontificis primatum, nullis verbis
exprimi posse putas, nec expressum intelligis, nisi
totidem & illamet ipsa sint, quæ in corde tuo ver-
santur.

- 60.** Quintum testimonium Gregorij, qui Natalem
L.1.Ind.10. Salonitanum, quem vocas antecessorem tuum, re-
prehendit; quod conuiuijs indulgeret, fortassis tu il-
ep.37. lius etiam hac in re successor es. Natalis ægrè repre-
hensionem ferens acrius respondit, & obijcit illud
Pauli, *qui non manducat, manducantem non iudicet.*
Hæc Pauli sententia (inquit Gregorius) propter
eos dicta est, qui illos iudicare student, quorum sibi
cura commissa non est: at postquam nos authore Deo
vnum sumus, si ea quæ corrigenda sunt, taceamus,
valde delinquimus. Ecce fraternitas tua ægrè tulit
de conuiuijs à me esse reprehensam; cum ego qui
hanc et si non vita, tamen loco transgredior, ab om-
nibus corripi, ab omnibus emendari paratus sim.
Gregorius his verbis (inquis n. 43.) paritatem in om-
nibus agnoscit cum Salonitano Episcopo, & solam
curam in se mutuæ charitatis profitetur erga illum,
atq; adeo primatum euertit. Hæc tu contra Gregorij
mentem & verba. Quomodo enim Gregorius in o-
mnibus sibi parem Salonitanum agnoscit, cum dicat
se illum loco præcedere, non vita, id est, officio &
authoritate, non sanctitate? & cum dicit sibi Epis-
copi Salonitani curam esse commissam, loquitur de
cura non solum charitatiua, sed etiam authorita-
tiua: quod probatur, quia loquitur de cura, quæ
singuli & omnes Christiani sibi à Deo demandatam
non habent erga fratrem suum, vt eum iudicare pos-
sint. Nam dicit verba Pauli *Frater non manducans
manducantem non iudicet, prohibere ne fratres viur-*
pent

pent iudicium de fratribus, quorum ad eos cura non pertinet. Sunt igitur aliqui fratres Christiani, qui curam non habent tibi talem commissam de fratribus, ut eos iudicare possint. At quilibet Christianus habet curam mutuae Charitatis sibi à Deo mandatam erga fratres suos, *vnicuique enim mandauit Deus de proximo suo.* Igitur cura charitatiua de alio non sufficit, ut quis illum iudicare possit, sed requiritur authoritatiua. Nam fratres, qui superiores non sunt, non debent aliorum facta iudicare, id est, condemnare, sed potius illa apud se excusare: ius autem condemnandi & corripiendi fratres tantum habent, cum facta clarissima sunt, nec excusari possunt. Quare cum Gregorius dicat sibi curam commissam esse de Salonitano Episcopo, ut eum iudicare possit eo modo, quo iudicare eum alij Christiani & fratres non possunt: profectò ostendit se Salonitani Episcopi superiorē & authoritatuum iudicem fuisse.

Sexto affers testimonium Theodoreti n. 36. qui 61.
de Nestoriana hæresi suspectus & in exilium missus.
Romanæ sedis iudicium de sua innocentia exposcit, *quod (inquit) reliqua Ecclesia & Imperator essent secuturæ.* Hic in primis Romanum Primatum assertis. Nam si iudicium Romani Pontificis absolutorum Theodoreti omnes Ecclesiæ erant secuturæ, certè cunctis Romanus Pontifex præcerat, & illis communicationem cum Theodoreto poterat imperare. Quomodo enim si reniti contra sententiam Pontificis licitum erat, præscire Theodoretuſ poterat, quod omnes Ecclesiæ iudicium Romani Pontificis de sua innocentia essent secuturæ? Sed pergis verba ad serre Theodoreti, quibus supremam Pontificis autoritatem negat (ut tu putas,) audiamus. *Si Paulus (inquit) præco veritatis, tuba sanctissimi Spiritus, ad*

Magnum petrum cucurrit, vt ijs qui Antiochiae contendeant ab ipso afferret solutionem, multo magis nos, qui pusilli sumus & abiecti ad vestram Apostolicam sedem currimus, vobis namque per omnia primos esse conuenit: multis enim, quibus superiores estis, ornatur sedes vestra. Hæc Theodoretus: quæ tu velut Romano primatui aduersantia producis, vt probes illum Ecclesiæ antiquæ penitus incognitum fuisse. *Quanta stupiditas!* At (inquis) Theodoretus dicit Petrum & Paulum, sedem Romanam illustriorem reddidisse *hac vestrorum honorum colophon*. Igitur non Petri supremam potestatem agnoscit in Romana Ecclesia, sed tantum fidei à Petro & Paulo traditæ puritatem. Ita nugaris. Nam si Theodoretus dicat Petrum Romanam sedem per omnia fecisse illustrem, & ita illustrem, vt quosuis Episcopos etiam à Concilijs depositos restituere possit; quomodo sedem Romanam solâ doctrinæ puritate, non suæ singularissimæ potestatis principatu ornauit?

26. Septimum testimonium ex eodem Theodoreto affers n.37. qui eadem de causa scribens ad Renatum Prebyterum Romanum; *Persuadeas* (inquit) *sanc& tissimo & Beatisimo Archiepiscopo*, vt *Apostolicâ* *vtatur authoritate, præcipiatque ad vestrum conuolare consilium;* habet enim illa Ecclesia omnium per orbem Ecclesiarum ducatum & principatum, multis quidem de causis; *præcipue* *verb quod heretica labe immunis permanxit.* Theodoretum sic explicas. Ducatum (inquis) & principatum per orbem Ecclesiarum ponit Theodoretus, non iurisdictionis, aut potestatis, sed exempli duntaxat & rectæ fidei explicationis. Ita tu. *Quanta* *dementia tam perspicua pro Primatu Theodoreti verba, quæ tenebris glossæ tuæ obscurari non possunt, veluti Primatum Romanum negantia adferre?*

ferre? Nam quod loquatur ~~non~~ de primatu iurisdictionis & potestatis constat. Loquitur enim de ducatu & principatu Apostolicæ authoritatis, quâ præcipere Concilijs & Episcopis Romanus Pontifex potest; Apostolicâ (inquit) vtatur autoritate, & præcipiat ad vestrum conuolare Consilium: sed primatus Apostolicæ authoritatis primatus iurisdictionis est: cum Apostolica potestas nihil aliud sit, quam claves regni Petro traditæ. Igitur principatus & ducatus omnium per orbem Ecclesiarum, quem Romanæ sedi tribuit Theodoretus, principatus est iurisdictionis & potestatis. Quod autem dicit Romanam sedem ducatum per orbem Ecclesiarum habere, *præcipue quod ab heretica labe immunit permaneat;* explicat causam Romani Primatus non à priori, sed à posteriori, ut aiunt, hoc est signum ex quo colligamus principatum regiminis illi sedi diuinatus concessum. Nam cum multa sint, quæ declarant regimen omnium Ecclesiarum à Deo Romæ concessum, tamen nullo clariori signo hoc ostenditur quam singulari prouidentia Dei, quæ Romanum Pontificem ab heretica labe seruauit semper immunitum, cum tamen reliquæ sedes præcipue omnes hereticos habuerint Antistites & heresiarchas.

CAPVT SEPTIMVM.

In quo sit suprema potestas, directiva, correctiva & electiva summi Pontificis?

EX dictis soluta sunt omnia Anarchie fundamen-
ta, & ex tuis principijs euersa, quæcunq; ex concilijs & Patribus congerere potuisti, superest ultimum illudque tenue fundamentum.

SEPTIMVM M. ANTONII FVNDAMENTVM.

Supremam potestatem directiuam, correctiuam & electiuam summi Pontificis, à quibusdam Catholicis in Ecclesia vniuersali ponit; atq; ita Monarcham euerti.

1. IN hoc genere præcipua est sententia Parisiensium, de quibus vanam spem conceperas fore, vt lecto libro tuo penitus à Romana Monarchia descisceret, vt indicas l.2.c.5. n. 38. vbi postquam attulisses doctrinam Parisiensium de Monarchico Primatu, subdis: vbi diligent consideratione nostra legerint, sententiam suam vt spero mutabunt multi: Hanc vero doctrinam Parisiensium fusè refers l.4. c. p.7. num. 4. Volunt, inquis, Parisenses Christum in Ecclesia supremam potestatem, instituisse, & reliquise, & Papatum de iure diuino admittunt; prius tamen volunt hanc supremam iurisdictionis in regenda Ecclesia vniuersali potestatem, ipsimet toti Ecclesiae vniuersali à Christo datam, cum obligatione tamen, ipso diuino iure, vt quoniam tota Ecclesia non potest facile congregari, illa vnum ponat suo loco caput, qui ipsius nomine tanquam vniuersalis Ecclesiae vniuersalis Minister, ipsam regat Ecclesiam vniuersalem & hunc esse Papam. Christum vero probant supremam hanc potestatem prius dedisse Ecclesie quam Petro ex Matth. 18. Dic Ecclesiæ, & statim: Quæcunque alligaueritis &c. Quibus verbis aiunt dari Ecclesie potestatem excommunicandi & consequenter alia iurisdictionalia exercendi. Postea vero ipsum Christum petrum elegisse: vt nomine totius Ecclesie illam exerceret potestatem, quando dixit ei Pasce oves meas, Ecclesiaque electionem præoccupasse eique sic præscripsisse; vt ipsa deinceps loco Petri sibi Papam præponeret; sicut ipse Petrum toti Ecclesie, sed nomine ipsius Ecclesie præposuerat. Ita refers sententiam

tiam Parisiensium. ex qua dicis eos rectè hæc decem inferre. Primo supremam potestatem Ecclesiasticam esse totam in Ecclesia, primario; supremam item, iure diuino, esse in Papa secundario. Secundo, maiorem potestatem esse in Ecclesia quā nō in Papa. Tertio, Papam esse Ministru Ecclesia. Quartio, Ecclesiam vniuersalem & Concilia generalia esse supra Papam. Quinto, Papam esse supra singulos Episcopos singulasq; Ecclesiás: non supra vniuersas. Sexto, Papam posse ab Ecclesia constitui quicunq; ei placuerit, et iam si non sit Romanus. Septimo, Papam subiici correptioni fraternali. eiq; Euangelico dicto, Si peccauerit? Posse Papam ob quæcumq; grauia delicta iudicari à Concilijs. & puniri, ac etiam deponi. Octauo, A Papa ad Concilium posse appellari Nonò, Vnionem Christianorum cum capite vero primario, esse essentialē; Vnionem verò cum capite secundario, Papa, esse accidentalem. Decimo, Papam esse fallibilem, ac errare in rebus quoq; fidei posse: non ita Ecclesiam.

Altera sententia, quam refers l.4.c.5. ponit in Ecclisia vniuersali, secluso Pontifice, supremam potestatem non directiuam & correctiuam, sed electiuā summi Pontificis. Quapropter Cardinales non vt Romanæ Ecclesiæ clerici & ministri, sed vt totius Ecclesiæ vniuersalis quasi procuratores & commissarij ab ipsam Electi: Romanum Pontificem, quatenus Papa est & caput Ecclesiæ, eligunt. Aequum enim est, vt totius Ecclesiæ vniuersalis caput à tota Ecclesia vniuersali eligatur; cuius Ecclesiæ vniuersalis locum tenent Cardinales: nec in omni Vacacione Papatus, Concilium legatur vniuersale. Hinc statuit Concilium Constantiense, vt refert Dominicus Venetus Torcellanus Episcopus in tractatu quem tu excudi curasti in fine libritui, Cardinales non esse creandos; nisi cum consensu Cardinalium vel maioris partis eorum. Quo posito decreto, in quis l.4.c.5. numero 46. concludit demonstratiè Torcellanus, Cardina-

486 MONARCHIAE ECCLESIASTICAE,
lem legitimum non esse , si quis renitentibus Cardinalibus
ceteris,nouis à Papa fieret : nec taliter electum , nullum ha-
bere in Papa electione suffragium. Ipsius vero ratiocinatio
est huiusmodi. Papa ut Papa prius est quam Episcopus Ro-
manus , sicut Petrus fuit prius vniuersalis quam Romanus
Episcopus. Prior igitur est electio Papa quam sit electio E-
piscopi Romani. Electio vero Papa ut Papa est , spectat ad
totam Ecclesiam vniuersalem , qua sibi suum caput eligere
debet ; illa vero sui loco ponit Cardinales electores ; neque
potest esse elector vice ipsius Ecclesiae , quem ipsa Ecclesia
nolit ; sed Ecclesia in Concilio Constantiensi declarat se in
alios Cardinales non consentire , nisi in eos qui facti fuerint
Cardinales à Papa , simul etiam ab alijs Cardinalibus ; igi-
tur , qui taliter non creantur , legitimi Papa electores non
sunt. Et sane supposito papatu tanquam vero , auctor hic de-
monstratiue (meo iudicio) concludit. Hectu.l.4.c.5.n.
45.&c seq.

Septimum ANTONII FUNDAMENTVM euertitur.

HAEC à te saepius in tuo libro repetuntur , sed
quia leuiora sunt , paucis expediam. Primo , a-
gemus de potestate vniuersalis Ecclesiae circa Pa-
pam electum. Secundò , circa eligendum. Tertiò , de
S. R. E. Cardinalibus , quorum purpuram & excel-
lentiam supra Episcopos , tu ferre non potes.

ARTICVLVS PRIMVS.

De sententia Parisiensium circa potestatem Ecclesiae supra
Papam.

3. **N**ON est mihi propositum , hoc loco , senten-
tiam Parisiensium quæ sit & quam sit vera ex-
aminare : Tantum duo ostendam. Primo te multa
inter se pugnantia atque adeo falsa Parisiensibus at-
tribuere. Secundo , Principium illud Parisiense , po-
testa-

testatem Ecclesiasticam prius Ecclesiæ quam Petro datum esse, cum obligatione tamen ut non eam sibi retineret, sed in unum transferret, cum monarchia Ecclesiastica non pugnare.

In primis, quod multa inter se pugnantia atque ideo falsa tribus Parisiensibus, patet quinque instantijs. Primo dicis, Parisenses docere, papam esse unum caput ab Ecclesia sibi præpositum, qui regat Ecclesiam universalem; & tamen dicis eos docere papam esse supra singulas Ecclesias, non tamen supra universas. Hæc inter se non cohærent. Nam, si Papa regit Ecclesiam universam; certè est supra Ecclesiam universam, cum Princeps supra subditum potestate sit. Sed Ecclesia una universalis non est singulæ Ecclesiæ diuissim sumptæ, sed universalæ Ecclesiæ quatenus simili sumptæ unum corpus constituunt: igitur, Pontificem esse caput Ecclesiæ universalæ, & non universalium repugnantia sunt. Secundo dicis, loco citato numero 5. Papæ supra totam Ecclesiam universalē, absolute à Parisiensibus negari omnem potestatem. at libro 4. cap. 5. numero 45. dicis Theologos Parisenses communissimum sequentes errorem, papam esse de iure diuino totius Christi Ecclesiæ universalis Monarcham: æquum censere, ut totius Ecclesiæ universalis caput, à tota & universali Ecclesia eligatur. Hæc sine dubio inter se dicta pugnant, quod Papa nullam prorsus habeat potestatem supra totam Ecclesiam universalē; & tamen sit totius Christi Ecclesiæ universalis Monarcha, & totius Ecclesiæ universalis caput. Et vero hoc ultimum cum admittitur & docetur à Gersonio libro de potestate Ecclesiastica, consider. 9. vbi dicit Potestatem universalē Apostolorum per Petrum summum Pontificem fuisse fortassis postmodum limitatam attentâ, inquit, Christi ordinatione primariâ, quâ voluit Ecclesiam suam regi principali-

cipaliter sub uno & ab uno Monarchice, sicut est una fides, vnum baptismus & una Ecclesia unitate capitum tam primarij, quam vicarij: Hæc Gersonius, ubi clarissime docet Ecclesiam universalem sub regimine Papæ esse. Ecclesia enim illa, quæ debet esse una unitate unius fidei, debet ab uno Monarchice regi, illa autem sine dubio est Ecclesia universalis. Deinde Ecclesia, quæ est una unitate capitum Primarij, debet esse una unitate capitum vicarij; sed Ecclesia universalis in vnum collecta, vnum caput primarium Christum debet agnoscere, ergo debet etiam vnum caput vicarium, qui vice Christi eam regat eique præsit, agnoscere.

4. Tertio dicas Parisiensis Papatum de iure diuino admittere, atque hoc est totius Ecclesiæ Christi universalem Monarcham cum plenitudine potestatis, & tamen Papam esse Ecclesiæ universalis Ministrum & instrumentum, qui nomine & vice Ecclesiæ gubernat. Hæc etiam pugnantissima sunt inter se. Nam secundum ipsos te latente Papa iure diuino est Monarcha, & habet plenitudinem potestatis, sed ius diuinum absolutum est & ab Ecclesia independens, ergo ius Papæ, quamvis (comparatum ad Christum) secundarium sit & vicarium; tamen (comparatum ad Ecclesiam) primarium est, nec ab ea institutum, nec ab illius nutu & beneplacito pendens. Contra vero si summus Pontifex comparatus ad Ecclesiam sit illius minister & vicarius, habet ius ab ea Ecclesia institutum, ab illiusque beneplacito perpetuo pendens; ideoque ius diuinum non habet. Igitur pugnantia sunt; Papam esse ministrum Ecclesiæ illiusque vice regere, & tamen iure diuino Monarchice regere & habere plenitudinem potestatis.

5. Quarto falsum est, & cum tuis & Gersonij dictis, pugnans

pugnans , Christum dedisse potestatem supremam Ecclesiæ Matth. 18. per verba. *Quæcunque alligaueritis.* Nam tu. libro 1. capite 7. numero decimoquarto dicis Patres palsim aliam traditionem clauium non agnoscere in Euangelio nisi Ioann. 20. *Sicut misit me Pater &c.* quod si nullo alio loco in Euangelio indidit Christus claves , certè non eas tradidit Matth. 18. Quod etiam Gersonius agnoscit libro de potestate Ecclesiastica considerat. 5. *Hæc iurisdictionis potestas , inquit, promissa est Apostolis ante passionem Christi , Matth. 18.* Amen dico vobis , quæcunque alligaueritis super terram , erunt ligata & in cælis , & *promissa fut Petro Matth. 16.* Tibi dabo claves regni cælorum , Sed post resurrectionem collata est Apostolis , quando insufflans eos dixit : accipite Spiritum sanctum , quorum remiseritis peccata , remittuntur eis Ioann. 21. & ibidem dictum est ultimè Petro Pasce oves meas. Hæc Gersonius , clarissimè assertens verba , *quæcunque alligaueritis* , fuisse tantum promissionem , non exhibitionem potestatis Ecclesiasticæ.

Quinto hinc euertitur fundamentum illius principij Parisiensis , potestatem Ecclesiasticam prius Ecclesiæ datam quam Petro. Nam nullus locus in Euangelio ostenditur ubi data sit potestas Ecclesiæ , nisi detur Matth. 18. at ibi non dari sed tantum promitti tu dicis & Gersonius affirmat , imo tecum affirmat , potestatem datam Ioan. 20. cum dixit Christus *quorum remiseritis* , &c. Iam vero hoc loco Ioan. 20. non dari potestatem Ecclesiæ , seu Apostolis in quantum in uno concilio sunt congregati patet. Nam potestatem plenissimā absoluendi à peccatis per illa verba singulis Apostolis dedit , sed si concessisset potestatē Apostolis nō nisi in quantū cōstituunt cōcilium

490 MONARCHIAE ECCLESIASTICAE,
ciliū legitimum Ecclesiæ, non singuli accepissent
plenissimam potestatem, vt per se patet.

Tu loco citato scilicet l.4.c.7.n.6. ita interpreta-
ris sententiam Parisiensem. *Potestatis plenitudo vt opti-
mè docent Parisenses, data est Ecclesia vniuersæ, hoc est,
omnibus & singulis Episcopis.* Ita tu : verum vt ego exi-
stimo, nunquam tam stupidi fuerunt Parisenses, vt
hoc illis veniret in mentem, siquidem vna pars dicti
tui alteram euertit. Nam si Christus singulis dedit
plenissimam potestatem per illa verba ; ita vt insti-
tutio potestatis , non minus ad singulos Episcopos
pertineat, quam ad omnes simul sumptos, certè sin-
guli Episcopi, vniuersitati Episcorum nō possunt
esse subiecti , cum plenitudinē potestatis singuli ha-
bent non minus quām vniuersi. Quod si dicas mi-
norem potestatem datam singulis quām vniuersis,
tu nobis explica , qui fieri potuerit vt eadē ipsa ver-
ba potestatis institutiua dicta non minus singulis se-
orsim, quam omnibus simul sumptis, maiorem po-
testatem vniuersis potuerint dare quām singulis?
Quod enim tu ibidem addis, quemlibet Episcopum
plenissimè habere potestatem iure diuino , & totius
Ecclesiæ vniuersalis curam gerere debere , non est
Parisiense pronunciatum, sed tui capititis sigmētum,
quod Gersonius damnat his verbis; *Status papalis in-
stitutus est à Christo supernaturaliter & immediatè, tan-
quam primatum habens Monarchicum & regalem in Ec-
clesiastica hierarchia, secundum quem statum vnicum, &
supremum, Ecclesia militans dicitur vna sub Christo: quem
statum quicunq; impugnare, vel diminuere, vel alicui statui
Ecclesiastico particulari coquare præsumit: si hoc pertina-
citer faciat, hereticus est, schismaticus, impius atq; sacrile-
gius. Hęc Gersonius probatum itaque est te multa in-
ter se pugnantia Parisiensibus tribuere.*

Secundum quod suscepi probandum hoc est , et
iam si

L de Stati-
bus parte I.
sōssderat. I.

iam si prius data fuisset potestas Ecclesiastica Ecclesiae , cum obligatione eam in vnum Monarcham transferendi, tamen cum hoc dicto veram Monarchiam absolutam Ecclesiasticam consistere. Probatur, quia potestas Monarchica ciuilis, diuino iure, & institutione naturae , prius existit in populo libero, adeoq; transfertur in personam quam sibi vult Monarchice dominari, Suppono enim potestatem regiam non beneplacito humano, sed a Deo immediate institutam, non quidem in persona regis, sed in ipso populo a quo Rex constituitur, ab eoque in regem transferri : sed hacten translatione potestatis plenissimae , & supremae ciuilis a republica ad vnum , instituitur illius communitatis Monarcha , ergo multo magis constituetur potestas Ecclesiastica Monarchica per translationem plenissimae potestatis a Republica Ecclesiastica ad vnum. Dixi multo magis, quia populus liber iure naturae potest , si velit, in sua libertate persistere, nec regium supremumq; dominium in uno constituere, at Republica Ecclesiastica ut etiam in ea sententia Parisiensium refert tenetur potestatem Ecclesiastici supremam a se in vnum transferre, & eum Monarcham constituere cum plenitude potestatis, igitur Monarcha Ecclesiasticus multo minus pendet a Republica Ecclesiastica, quam ciuilis pendet a Republica ciuali, etiam secundum sententiam Parisensem , vt inde pateat quanta eos iniuria afficias , cum dicis eos *Monarchiam verbo afferere, re ipsa destruere.*

Dices, Ecclesiam Monarcham sibi eligendo, a se 8. nullam potestatem transferre, sed potestatem suam supremam sibi retinendo , aliam supremam potestatem in Petro institutam, a Petro ad ipsius successores sua lege & electione transfundere. Verum hoc dici non potest. quia sic duplex esset in Ecclesia supra-

prema potestas, vna in tota Ecclesia, altera in summo Pontifice, atque adeo duplex esset Ecclesiæ Catholicæ Vicarium caput sub Christo, quod est hæreticum ut dicit ipse Gersonius libro de Ecclesiastica potestate confid. 10. *Potestas Ecclesiastica est formaliter & subiectiuè in solo Romano Pontifice*, & ibidem in Epilogo conclusione secunda, plenitudo potestatis Ecclesiastica propriè sumpta, non potest esse de lege ordinaria nisi in unico summo Pontifice formaliter & subiectiuè, alioquin Ecclesiasticum regimen non esset Monarchicum, sed haberet multiplex caput ex aequo, quod est hæreticum. Hæc Gerson, ex quibus infertur, Ecclesiam, si sede Petri vacante habeat plenitudinem potestatis, creando Pontificem; eam à se transferre in Pontificem Electum, atque adeo si sede vacante sit apud vniuersos Episcopos supremum & Papale regimen, Electo Papa regimen illud desinit esse in Ecclesia formaliter & subiectiuè, & in solo Pontifice constitui.

9. Sed dici secundo potest, licet Ecclesia transferrat à se partem potestatis, non tamē omnē à se transferre, nec ita absolutè quin certis casibus eam resumere possit, nimirum cum ea Pontifex abutitur: vel quando conuocatur Concilium generale; Hoc enim modo Respublica ciuilis non transfert omnē à se potestatem in suum Monarcham, quādo sub eo viuere elit, sed potestatem supremam in quibusdā casibus sibi referuat; præfertim in Concilijs regni, ita ut propter abusum potestatis grauem regem suum deponere possit. Respondeo magnam esse differentiam inter rempublicam ciuilem, & Ecclesiasticam. Ciuilis enim respublica, sicut potestatem supremam potest sibi integrum referuare si velit, cum in ipsa tanquam in fonte sit iure naturæ; ita etiam potest partem tantum illius supremæ potestatis à se trans-

transferre, & partem maiorem vel minorem prout libuerit. Hinc fit ut potestas regia in omnibus regnis non sit æquè plena & aboluta, sed in aliquibus perfectior & minus à republica dependens, & in paucioribus casibus, Quod si omnino plenè & perfectè à se transferret respublica plenitudinem potestatis supremæ, fieri non posset ut princeps à Republica iudicetur ullo in casu; tantum posset illa Principi tyrannidem exercenti, vim vi repellendo, resistere seruato moderamine inculpatæ tutelæ. An vero populi cum regem creant ita plene & absolutè regimen à se transferant in vnum, ut nullo casu etiam extremæ tyrannidis ius regimini sibi usurpare possint, incertum est. Vix enim creditur populum casum extremæ tyrannidis non excipere, cum Regi alicui illiusque posteris gubernationem absolutam committit; Qua de re non est huius loci disputare.

At vero Respublica Ecclesiastica, supremum regimen (si modo illud fede vacante Pontifícia habeat) tamen illud nec sibi retinere, nec per se exercere potest, sed quamprimum commodè potest, iure diuino Christique institutione hoc exigente debet in alterum illud transferre. Neque etiam est in illius libertate plus aut minus potestatis, prout libuerit, suo Monarchæ committere: sed necessario, velit nolit, ei tradere debet plenitudinem potestatis. Hoc probo ex ipsis principijs Parisiensium à te relatis Nam dicis, eos docere Christum dedisse prius Ecclesiæ supremam potestatem; postea verò elegisse Petrum ut nomine totius Ecclesiæ supremam illam exercearet potestatem, quando dixit ei, pascere oves meas, Ecclesiæque prescrississe; ut ipsa demeps loco Petri sibi papam præponeret, sicut ipse toti Ecclesiæ Petrum præposuerat. Hæc tu ex Parisiensi-

494 MONARCHIAE ECCLESIASTICAE,
iensibus. Subsumo, sed Christus cum dixit Petro
Pasce oves meas, tradidit supremum regimen to-
tius Ecclesiæ cum summa plenitudine potestatis, ut
supra ostendimus: igitur etiam Ecclesia cum sibi lo-
co Petri Papam præponit, illi tradere debet potes-
tatis plenitudinem seu potius Ecclesia designante
personam, statim electus accipit à Christo, iure di-
uino, plenitudinem potestatis supra totam Eccle-
siam. Ita ut designatio personæ Ecclesiæ sit, traditio
potestatis in personam designatam, Christi. Hinc
ulterius sequitur, non posse Ecclesiam casus præscri-
bere, aut sibi reseruare, in quibus suum Monarcham
iudicare possit: sed hi casus ab ipso Christo primario
Monarcha definiri & constitui debent. Christus au-
tem tantum in casu hæresis iudicium Ecclesiæ per-
mittit supra suum Monarcham. Igitur, extra hunc
casum non potest Ecclesia Pontificem punire aut
deponere. Itaque principium Parisiense, quod ponit
potestatem Ecclesiasticam prius in Ecclesia quam in
Papa, non euertit Monarchiam, si rectè intelligatur,
prout Parisiensis rectè illud intelligere nullus du-
bitat.

ARTICULUS II.

*An potestas summa Electua Papæ, sit in ipso Papa, an in
Ecclesia?*

II. **V**T hæc quæstio explicitur, duo prænotanda
sunt. Primum est, aliud esse leges terre circa e-
lectionem sumini Pontificis; aliud exercere electio-
nem secundum leges datas. Secundum est, nos distin-
guere debere, statum Ecclesiæ viuente Pontifice à
statu eiusdem fede vacante. His suppositis, quatuor
conclusiones subijcio.

PRIMI

PRIMA CONCLVSION.

VIVENTE Pontifice, potestas suprema leges ferendi circa electionem Pontificis, & constitutendi electores penes ipsum Pontificem est. Probatur, quia Petro per verba *pascoues meas*, data est summa potestas, & ad successorem deriuatur ad ferendas leges Ecclesiæ conuenientes; sed hæc erat vna lex necessaria ad gubernationem Ecclesiæ; scilicet qua modus præscribitur eligendi summum Pontificem. Igitur ea potestas in Petro fuit, & ad successorem deriuatur.

SECUND A CONCLVSION.

IN quocunque casu vacaret sedes Apóstolica, ma- 12. nendo in solo iure diuino, Electio spectat ad Ecclesiam vniuersalem: hoc est: ad omnes Episcopos Ecclesiæ Catholicæ. Probatur, quia ipsi sunt pastores & principes Ecclesiæ, & deficiente Pontifice, suprema potestas Ecclesiastica in ipsis est, & omnia possunt per se, quæ possunt inferiores. Igitur, sede vacante, si simul conueniant, siue instituto siue casu possunt eligere summum Pontificem reclamantibus alijs clericis aut laicis.

TERTIA CONCLVSION.

NVlla ratione probatur, quod electio summi 13. Pontificis iure diuino fieri debeat ab Ecclesia vniuersali; vel per eos quos sibi ipsa substituit. Hæc conclusio euertit fundamentum Torcellani, qui supposito decreto Constantiensi (quod est ut Cardinales non fiant, sine consensu maioris partis Cardinalium) probare vult non esse veros Cardinales, qui contra Cardinalium consensum à Papa fiunt. Ratio eius est. *Iure diuino naturali* pertinet ad Ecclesiam vniuersalem sibi pastorem eligere, vel per se, vel per

496 MONARCHIAE ECCLESIASTICAE,
commisarios & procuratores suos. Sed Pontifex
non potest Ecclesiæ auferre , quod illi conuenit
iure diuino naturali. Ergo Non potest illi Ponti-
fex auferre ius eligendi per se , vel per procuratores
suos. Auserret autem , si crearet Cardinales Electo-
res ipsa inuita , & in suis procuratoribus reclamante.
Igitur taliter electi non sunt legitimi Cardinales
seu Electores. Quod si per tales Cardinales Ponti-
fex eligatur, non eligitur ab Ecclesia vniuersali, per
se , vel per suos commisarios electionem exer-
cente, atque adeo diuinum ius naturali violatur.
Hæc est ratiocinatio Torcellani , quam tu demon-
stratiuam vocas , quia tibi facile quiduis demon-
strari potest , si tale sit ut Pontificis autoritati vi-
deatur officere. Reuera enim , maior propositio
propositi argumenti (scilicet Ecclesiam Vniuersa-
lem iure diuino naturali debere per seipsum , vel per
commisarios à se electos & constitutos , Papæ elec-
tionem exercere) nulla solida ratione , imo ne-
que quidem probabili ostenditur. Torcellanus
quinque rationes adducit ad hoc probandum , quæ
ad summum probant , Pontificis successionem de-
bere per electionem fieri , non per carnalem pro-
pagationem : sed autricem electionis Pontificiæ
Ecclesiam vniuersalem esse debere , nec posse
summum Ecclesiæ principem electores pro suo
beneplacito constituere non probant. Quas illius
rationes afferam , vt quam parum firmæ sint , de
quibus tanquam inuidis gloriaris , Lector intelli-
gat.

Tract. Tor-
cell. in fine
Reip. Eccl. M. Anton.
n. 11. fol.

Prima est. Successionis modi duo sunt legitimi , scilicet
per carnalem generationem & per electionem. Quare , cum
Dominus non expresserit primum modum ; sequitur , vt re-
liquerit in potestate Ecclesia secundum , vt sibi per elec-
tio-

ctionem prouideret. Respondeo hoc argumentum tantum probare , summum Pontificem eligi debere , sed non probare eligi debere ab Ecclesia vniuersali; aut non posse summum Pontificem electores prout iudicauerit expedire præscribere. Secunda ratio est, Prophetæ Ioelis testimonium, capite tertio. *Congregabuntur filij Israel & filij Iuda , & ponent sibi caput vnum.* Israel interpretatur videns Deum , & significat , Catholicam per orbem dispersam , quæ Deum per fidem in ænigmate videt : Et Iudas interpretatur confessio , & significat eos qui sunt Ecclesiæ particularis Romanæ à Petro fundatæ , cuius illa confessio à Christo laudata extat , *tu es Christus filij Dei vui* : vtraque enim Ecclesia vniuersalis & Romana Israel & Iudæ eligere debent, prius tamen Israel seu vniuersalis. Hæc ratio leuiscula est , nec indiget responso. Tertia ratio. Deus , in Testamento veteri , expressit modum successionis per carnalem generationem in filijs Aaron : ergo si modus ille illi placuisse , eum in nouo testamento expressisset. Respondeo, nihil hic dici quod à nobis negetur. Sed quid tum postea ? Quarta ratio. Diuinus cultus modo non crescit per carnalem generationem , sed per spiritualem. Ergo conueniens est , ut princeps Ecclesiæ non succedat per carnalem generationem: Ergo relinquitur , quod per electionem. Resp. per electionem sane , sed probandum est illam Electionem summi Pontificis à tota Ecclesia , vel per seipsum , vel per suos commissarios elegente , fieri oportere. Quinta ratio. Naturale est , ut quælibet communitas sibi principem eligat. Ergo , cum sine principe esse non possit ; sequitur ut Ecclesia eum sibi eligat. Resp. communitas quæ sine principe est , potest sibi principem

elgere, si libera sit. Alioquin, principem à superiore sibi datum accipere debet. Ecclesia autem non est communitas libera, cum sub Christo Rege constituta sit. Quare à Christo & ab eius Vicario summo, modus statui debet, quo summus illius princeps elegatur. Ex his apparet, quam tu parum considerat rationes has Torcellani tāquam summi pretij & demonstratiuas laudes; quas apparet nullius momenti esse, præsertim cum Torcellanus ipsem etas nihil faciat, dicatq; expressè, se contrariæ sententiae esse. hæcque argumenta tantum exercitij gratia proposuisse.

14. Addo non solum, in iam dicto principio falso, sed etiam in alijs tribus, si non falsis, profecto incertis pronunciatis fundari rationem Torcellani. Primum enim supponit, Papam prius ordine & natura esse pastorem Ecclesiæ vniuersalis, quam Romanæ: quod demonstrari non potest. Nam quamvis Petrus prius etiam tempore fuerit Pastor vniuersalis, quam Romanus: non sequitur tamen Petri successorem eodem ordine Romanum Episcopum esse. Episcopatus enim vniuersalis prius tempore in Ecclesia fuit quām Episcopatu Romano annexetur; atq; adeo pastor vniuersalis tunc esse poterat, qui Romanus non esset. At nunc cum Romanæ sedi monarchicum totius Ecclesiæ regimen sit annexum; certe esse Pontificem Romanum prius natura conuenire videtur Papæ quām pastorem esse Ecclesiæ vniuersæ, vt Romanum esse sit quasi dispositio ad Pontificatum vniuersalem; siquidem Romanum Pontificatum, vniuersalis, iure faltem Ecclesiastico, si non diuino, consequitur. Secundo supponit Torcellanus Constantieniæ Concilium in decretis à Martino Quinto confirmatis statuisse, vt Pontifex non creet Cardinales pro libitu sue voluntatis, sed inter cæ-

tera quod haberet consensum Cardinalium qui pro tempore essent; & consensum maioris partis eorum. Hoc autem decretum in actis Constantiensis Concilij scriptis non extat, neque Torcellanus vel canone vel sessionem Concilij nominat ubi tale decretum habetur: nec verba decreti recitat, quod certè signum est, Torcellanum de tali decreto tantum fama & ex aliorum sermonibus audiuisse. Nā si verè tale decretum in Concilio scriptum extitisset, cur modo in eodem Concilio non reperitur. *Tul. 4. c. 5. n. 51.* scribis *Romanos Pontifices illud decretum Constantiense, quia à Martino Quinto confirmatum reiçere non poterāt, expunxisse. n. 46. suspicor, inquis, fraude sublatū.* Sed hoc capitis tui figmentum est omnino incredibile. Nam qui potuit Romanus Pontifex, decretum tam celebre, quodque Cardinales, & vniuersalem Ecclesiam ita prope attingeret, nullo dissentiente expungere? præsertim cum causa nulla fuerit ut illud expungeret propter confirmationē Martini Quinti. Nam si decretum illud aliunde non habuit vim Romanum Pontificem obligandi; ex confirmatione Martini Quinti vim obligandi haberet non potuit; cū decessor successorem obligare non possit, vt est per se notum. Vnde quiuis prudens rerum estimator facilius crebet deceptum fuisse Torcellanum, decretumque Basileense nullius autoritatis pro decreto Constantiensi accepisse; quam Romanos Pontifices voluisse Concilium corrumpere, aut potuisse nullo prorsus aduertente, vel si aduerterit admonente.

Tertio supponit Torcellanus Ecclesiam non 15. consentire in Cardinales sine consensu maioris partis Cardinalium creatos: quod etiam incertum est. Imo falsum etiam posito illo decreto Constantiensi: Tum, quia decreta iuris humani non obligant nisi vsu recipiantur; & possunt contraria consuetudine

abrogari. Hoc autem decretum si quod tale extitit, nunquam fuit vsu receptum, & contra illud perpetua consuetudo totâ Ecclesiâ vidente nec repugnante viget; igitur etiamsi demus olim viguisse tale decretum, tamen nunc nullius est autoritatis. Deinde, aliud est aliquid prohibere, ne fiat; aliud factum irritare: Potest Ecclesia, licet prohibeat ne fiat, tamen si fiat in factum tanquam validum consentire: sicut Christus prohibet ne Sacerdos in peccato mortali consecret: si tamen consecret, Christus factum acceptat, & ut valida consecratio sit, consentit. Quomodo igitur probabit Torcellanus, Ecclesiam creationem Cardinalis sine consensu Cardinalium pro tempore existentium, non solum prohibere faciendam, sed etiam factam irritare voluisse. Quanquam, si vellet non hoc posset, ut probauit, cum principem sibi à Christo illiusque Vicario datum accipere, non sibi eligere debeat; nisi casu, quo Christus illiusque Vicarius hac de re nihil prorsus statuissent, vel modus à Christi Vicario præstitutus factionibus Eelectorum inutilis redderetur. Igitur vndique labat ratiocinatio Torcellani, quam ab ipso autore improbatam, in lucem edere voluisti.

Q V A R T A C O N C L V S I O.

16. **R**OMANVS Clerus, & populus non potuit vlla longissimi temporis præscriptione, Electionem summi Pontificis itâ sibi vendicare; quin potuerit Ecclesia Vniuersalis, seu Summus Pontifex alios Electores constituere. Hæc conclusio, supposito vniuersali Romani Pontificis primatu, quem vel tuis dictis euicimus, à te conceditur l.4.cap.ii.num. 16. supposito Papatu, inquis, concebo videlicet in Ecclesia esse vnicam caput vniuersale cum summa potestate in vniuerso.

uersam Ecclesiam , Concilia generalia ipsam totam repre-
sentantia possent electionem Papæ , quæ ipsius tunc esset pro-
pria , cui magis placuerit committere . Et ex hoc capite post
Concilium Constantiense Cardinales essent legitimi Papæ
electores . Hæc tu : rectè , nisi statim nugas & menda-
cia suhijceres ; sed , quia (inquis ,) Romæ Constantiense
Concilium aut explosum aut corruptum est , non video quo-
modo se Cardinales possint Ecclesiæ vniuersalis facere in
eligendo Pontifice procuratores . Hæc tu . Et quidem ,
quod attinet ad Cardinales , non se fecerunt ipsi ,
sed facti sunt à supremo principe , totius Ecclesiæ
procuratores . Et mirum est , te (si modo caput
tuum oculis præditum sit) non videre fieri hoc
à Summo Pontifice optimè posse , si supponatur ut
hic tu supponis illum esse totius Ecclesiæ caput v-
nicum vniuersale cum summa & suprema in ean-
dem potestate . Quod autem dicas Romæ Constan-
tiense Concilium corruptum esse ; ad id probandum
nihil affers præter inanem iamque refutatam suspi-
ciunculam tuam ex Torcellano . Explosum vero
Romæ Concilium Constantiense mendacium est ,
quod libro quarto , capite septimo , numero septimo ,
multo adhuc impudentius repetis . Roma , inquis ,
Concilium Constantiense iam totum conculcauit ; & ip-
sum igni tradendum proclamauit Thomas de Vio , frater
Dominicanus Cardinalis Caietanus & lib . i . cap . 12 . nu-
mero 5 . Concilium Constantiense nostri Romani non
recipiunt , quod sane Caietanus flammis dandum esse cen-
suit . Hæc tu . Quis non miretur inter os hominis
& frontem , tantam esse posse distantiam ut ista
dicere non erubescas ? Nihil enim notius apud Ca-
tholicos , quam decreta Concilij Constantiensis
duplicis generis esse , quædam ante , quædam
post electionem summi Pontificis facta , & ab eo-
dem confirmata . Et quamquam prioris generis

502 MONARCHIAE ECCLESIASTICAE,
decreta non summæ autoritatis sint , tamen poste-
riora summo apud nos in pretio esse nemo est qui ne-
cit. Nihil igitur est Concilij Cōstantiensis quod Ro-
ma non veneretur, quedam verò illius in summam
autoritatis arcem admisit , vt nihil potuerit à te fal-
sius dici, quam totum Roma conculcari. Caietanus au-
tem nunquam, vt tu illi imponis, absolute dixit, ne-
dum proclamauit, Cōcilium Constantiense flammis
dandum esse , cuius verba quæ tu carpis hæc sunt de

Caiet. opus.
1.c.8.

Ad Galat.
e.1.8.

rum decreta explicauerat. *Si honorem veritatis re-
cusent falsa, erronea, flammis obnoxia sunt;* Ex quibus
verbis non magis colligi potest, Caietanum concilium
Constantiense flammis adiudicasse, quam Paulum
Apostolum beatos Angelos anathematizasse
cum dixit. *Si Angelus de cælo, præterquam quod accepisti
vobis euangelizet, anathema sit.*

17. Sed his omissis nostra conclusio , Clerum popu-
lumque Romanum potuisse iure eligendi summum
Pōtificem, quod tamdiu habuerat , iustè priuari, pro-
batur clarissimè. Nam consuetudo omnis, quæ non sit
diuino iure cōstituta, potest autoritate Ecclesiæ tolli,
si perniciosa Ecclesiæ, vel inutilis reddatur, hæc pro-
positio per se patet. Sed consuetudo , vt Romanus
Pontifex à Clero eligeretur & populo , initio qui-
dem cum pauci essent Clerici & Christiani optima,
postea Ecclesiæ extitit perniciosa, & causa plurimo-
rum tumultuum & schismatum , & occasio qua ca-
pta principes seculares prætextu pacis conseruandæ
se sè Ecclesiæ regimini & Pontificijs electionibus im-
miscentes , pessimos sæpe Ecclesiæ pastores dede-
runt, vt ex historijs patet : & colligi potest ex Cata-
logo schismatum Romanorum , quem tu ponis l.4.
c.11.n.60.vbi quo tempore Clerus & populus elige-
bat, singulis sæculis duo, nonnunquam tria, vel qua-
tuor

tuor schismata contingebant: iam autem clero & populo excluso eligentibus Cardinalibus, his tribus postremis saeculis nullum prorsus schisma contigit. +
 Igitur illa consuetudo potuit, imo debuit lege Ecclesiastica abrogari, nisi sit diuino iure instituta. Diuini vero iuris esse hanc consuetudinem, ut Episcopus a Clero vniuerso & populo eligatur, neque tu dicere constanter, & clare audes; Regem enim Magnae Britanniae times, qui tali consuetudini, in suo regno non defert. Quanquam, ut de Torcellano afferis, *non ita te Virgula berili submittis, quin inter dentes tacite*, imo satis aperte regi Serenissimo obloquaris. Nam lib. 4. cap. 11. nu. 18. *Electione, inquis, Episcopi Romani ex Apostolica & fortasse divina traditione ad Clerum spectat populumque Romanum, & lib. 3. cap. 3. nu. 17. Ut Episcopus a Clero & populo eligatur, Apostolica est, & factassis Evangelica traditio*, & libro quarto capite undecimo, numero decimo septimo, paulo audacius, *consuetudinem ut Clerus & populus eligat facile potest etiam ad ius diuinum reduci, quia cuiuscunque communitatis est sibi ducent statuere*. & libro tertio, capite tertio, numero trigesimo septimo dicis, Papam, dum Clerum vniuersum & populum ab electione excludit, *traditionem Apostolicam, imo & Evangelicam violare*, quod dictum non minus Serenissimum regem Magnae Britanniae, quam Papam tangit. Quanquam non est ita vel Regi vel Pontifici curandum quid dicas, cum nihil probes; nec alias affers rationes, praeter illas a Torcellano exercitijs causa propositas, quae iam confutatae sunt.

* * *

ARTICVLVS III.

De Cardinalibus S. R. E. eorumque dignitate supra Episcopos.

18. DE Cardinalibus disputas libr. 4. cap. 5. sed ita insulse, ut quod mirum sit etiam tibi ipse despias, & caput illud his verbis absoluas: *Puto tractatum hunc meum de Cardinalibus sicut & ipsius magna ex parte Cardinales iam tedium esse omnibus & fastidio. Quod* tibi Cardinales fastidio sint stomachi Caluiniana nausea cui cuncta Catholica displicant laborantis insultitas est, quam Christianis & Catholicis omnibus etiam inesse temere & stulte iudicas: tamen tuam de Cardinalibus disputationem omnibus despere & tedium esse merito existimasti, cum contra Cardinales non argumentis sed meritis calumnijs, mendacijs, cōuicijs agas, quæ pio modelloq; Lectori stomachum non mouere non possunt. Itaque Cardinales clarissima Ecclesiæ lumina satis defendero si tua mendacia adnotauero.

Et quidem de Cardinalis etymologia de qua

19. fusissimè disputas loc. citat. an. 2. usque ad 22. non

Vide Bel-larm. l. 1. de clericis, c. 16. Gabrielem Vasques to: 3. disput. 242. in 3. P. 6. 2. Onuph. 2. lib de. Tit. Cardin.

est operæ pretium contentiousum funem trahere. Siue enim nomen Cardinalis à personis quibusdam principalibus, hoc est, Cardinalibus ad Ecclesiæ fluxerit, siue ab Ecclesijs quæ cardines ob suam dignitatem dicebantur, ad illarum præsides deriuatum sit, certum est, Cardinalis nomen & honorificum in Ecclesia, & antiquum fuisse. Nos autem Cardinalis vocabulum in ea sumimus etymologia, quā tu te dicis omittere, imo contemnere lib. 4. ca. 5. n. 5. quam sibi ipsi, inquis, nimium blandiens excogitauit Leo Nonus, dum Papam facit Cardinem totius Ecclesiæ, & inde clericos ipsius ait vocari Cardinales, Cardini utique

que illi quo cætera mouentur vicimus adhærentes.
Cardinem enim illum ab Ecclesiæ valuis & amoui & amoueo & amouebo. Ita tu Antoni; qui multa quidem mouisti, sed ab Ecclesiæ valuis neminem præter te ipsum, nedum summum Pontificem amouisti? Moues etiam quotidie, sed nihil promoues: nec vltus hoc sæculo nouator extitit, qui maiora promiserit vel minora præstiterit: aut qui ad impugnandum Pontificem plus odij, minus ingenij attulerit: Neque sane difficultis tibi assentior, quod adhuc motus sis inani semper conatu, nec quieturus; donec Tartari, in cuius portis, Petre semper infestas, nunquam præualituris nunc stas, baratro absorbearis.

Cardinalium officium in Ecclesia esse peranti- 20.
 quum, in quantum sunt Ecclesiæ totius orbis principis clerici, & summi Pontificis quasi Canonici, ne-
 mo est qui dubitat: neque negamus Cardinalium di-
 gnitatem, crescentibus eorum in Ecclesiam meritis,
 posterioribus seculis subinde creuisse. Quod non
 diffitetur Bellarminus, quanquam quod de ipso ca-
 pite illo quinto n. 36. dicas mendaciū sit. Hos, inquis,
 veros Cardinales dicimus esse Clerum proprium Romanum,
 neque negat Bellarminus, sed fatetur. Aliud vero Cardina- Bell. I. 1. de
 lium genus, quales nunc sunt, postea de novo inductum dole- cleric. c. 16.
 mus, perperam priori destructo; neq; hoc negare ille potuit,
 sed fateri coactus est. Ita tu fingis de Bellarmino: nun-
 quam enim dixit ille Cardinaliū genus quales nunc
 sunt, nouum esse; sed tantum antiquo illorum officio
 quasdam nouas dignitates accessisse: Neque genus
 antiquum Cardinalium destructum nedum perpe-
 ram destructum dixit, sed auctum & nouis honoribus
 iure meritoque adornatum. Itaque tria quæri
 possunt. Primo an electio summi Pontificis ad solos
 Cardinales sit legitimè reducta. Secundo an potue-
 rit summus Pontifex, omissis concilijs Episcoporum
 Italiae,

506 MONARCHIAE ECCLESIASTICAE,
Italiæ, sibi proprium senatum adlegere, pro regimine totius Ecclesiæ? Tertiò. An propter hæc officia Cardinales Episcopis præferri debeant?

21. Quoad primum l. 4.c.ii. multus es in impugnanda Electione Innocentij Secundi, quem putas primū à solis Cardinalibus electum Electionem Anacleti seu Petri Leonis contra Innocentium probas, & Innocentij electionem vocas valde illegitimam per summam vim & iniuriam. Ad quod probandum nihil affers argumenti, præter quinque mendacia. Primo enim dicis c. illo ii. num. 15. *Innocentium Secundum, à solis Cardinalibus cum magna Ecclesia reclamacione electum*; cum dicere debuisses cum summa totius Ecclesiæ approbatione, in quam reges Christiani omnes cum suis populis, Episcopi pene vniuersi cum suis cleris consenserant. De principibus S. Bernardus epist. 125. sic scribit. *Alemania, Francia, Anglia, Scotia, Hispaniarum & Hierosolymorum reges cum vniuerso clero & populo farent & adherent Domino Innocentio tanquam filij Patri, tanquam capiti membra, solliciti seruare unitatem Spiritus in vinculo pacis.* & ep. 126. *Anacletus ducem habet Apulia sed solum ex Principibus, ipsumq; usurpatæ corona ridicula mercede comparatum.* Non minus Episcopos Innocentio adhæsisse testatur. *Tuscia, Campania, Logobardia, Germania, Galliarum deniq; & Hispaniarum omnium, nec non & vntuersæ Orientalis Ecclesiæ tam Archiepiscoporum quam Episcoporum, quorum nomina scripta sunt in libro vita, sed Epistolæ breuitas non admittit.* Hi omnes vnanimes non conducti pecunia, non seducti fallacia, non illecti priuato carnis vel cognationis amore, non timore compulsi potentie secularis, sed Dei voluntate proculdubio, sicut non ignorantes, ita nec disimulantes, Petrum Leonis ingenuè refutauerunt, ac securè Gregorium in Papam Innocentium suscepserunt, Hæc Bernardus. ex quibus refutatur secundum mendacium tuum, Innocentium

epist. 124.

tiū Papam constitutum fauore laicæ potestatis per summam iniuriam, & expressam iniquitatem. S.Bernardus enim expressè dicit, Ecclesiam vniuersam, nullo metu compulsam , nec laicæ potestatis terrore adatam liberā Innocentij electionem approbasse , nec credibile est, tot sanctos vbiq; terrarum Episcopos, ex quibus etiam plurimi miraculis claruerūt , in manifestam iniquitatem & expressam tam facile consentire voluisse.

Tertio l.4.c.11.n.12. *Bernardus, inquis, conatus qui-*
dem est Electionem Innocentij, Electioni Anacleti ex cer-
tū causis præferre, nunquam tamen absolute hoc ausus
est, quoad numerum Electorum. Hic te mendacij reum
 arguunt verba Bernardi epist.124. ita scribentis: *Me-*
rīto illum recipit Ecclesia, cuius & opinio clarior, & electio
sanior inuenta est; nimirum eligentium & numero vincens
& merito: Vbi apertissime Bernardus præfert Innocentij Electionem Anacletianæ quoad numerum electorum. Respondes Bernardum de solo numero Cardinalium loqui, tunc tamen electores erant legitimi etiam reliqui clerici & populus vt est à me hactenus ostensum. Hæc tu, tua somnia S.Bernardo imputans. Nam quamuis ante Innocentium clerus & populus Electioni summi Pontificis soleret interesse, & quem vellent expetere : electio tamen in solis Cardinalibus erat, quod clare sentit S.Bernardus epist. 126. *Hanc partem, inquit (nimirum eligentes*
Innocentium) saniores nisi fallor inuenies, tam Episco-
pos quam Cardinales Diaconos siue Presbyteros , & quo-
rūm maximè interest de electione summi Pōtificis, & quan-
ti in eligendo iuxta Patrum scita sufficient. Vbi dicit Bernardus Electores Innocentij suisse tot numero quot ad Electionem Pontificis summi iuxta Patrum scita sufficiebant, sed Electores Innocentij erant tantum maxima pars Cardinalium ex-cluso

cluso reliquo Clero & populo, ergo tunc soli Cardinales iuxta Patrum scita eligere poterant, nec electione pertinebant ad clerum vel populum, sed ut interessent tamen consuetudo postulabat, imo Petri-Leoninę factiois Cardinalēs, nunquam electionem Innocentij dicunt fieri oportuisse populo & clero eligente, sed tantum praesente & expetente, quam solemnitatem quia Innocentij Electores omiserant, ideo Anacletiani electionem irritam fuisse contendeant.

23. Hinc apparet quartum mendacium tuum, *Bernardus*, inquis, *in ipsa Innocentij electione defectus agnoscit, neque eos diffiteri neque sanare potuit*. Hoc dicis propter illa Bernardi verba ep. 126. *Et si quid minus forte solemniter minusue ordinabiliter processerit, in electione quae praecepsit, ut hostes unitatis contendunt: nunquid tamen presumi altera debuit nisi priore prius, discussa ratione, cassato iudicio?* Verum Bernardus non hic agnoscit defectus in Innocentij electione, sed tantū hostis unitatis defectus obijcere dicit, quo dato & non cōcesso, probat eos nouam Petri-Leonis electionem priore neandum damnata perperā præsumpsisse; præfertim cum defectus quos factiosi obijciebant ad electionis solemnitatem non ad substantiam pertinebant, cum teste Bernardo eligentes tot esent quod Patrum scita requirebant.

Quinto *Bernardus*, inquis, *aduersus Anacletum cum electio esset legitima ad electi demerita & mores tantum se recepit*. Hæc tu: quam luculenta falsitas. Audi Bernardum epist. 126. de vtroque electo & electione ita differentem: *primo*, inquit, *si personas compares, ut neutri sane vel derogare videar vel adulari, dicam quod dici passim reperies, & neminem arbitror diffiteri; quia videlicet Innocentij nostri vita vel fama nec amulum tinet, cum alterius nec ab amico tutâ sit.*

Deinde

Deinde si electiones discutias nostri itidem mox occurrit, & promotione purior, & ratione probabilior & prior tempore, & tandem concludit. Cum igitur & electus dignior, & electio suauior, & actio ordinabilior teneatur: qua isti ratione, imo qua contentione contra ius & fas, contra vota omnium bonorum, iniuita & renuenti Dei Ecclesia preficere alium & illum deponere tentant. Hæc Bernardus, cum eoque tunc temporis Ecclesia Catholica vniuersa quo testimonio muniti Cardinales te merito temnunt contra electionem summi Pontificis ad ipsos solos deuolutam è palude Britannica coaxantem.

Ad Secundum quod quærebatur veniamus, an potuerit summus Pontifex omissis concilijs Episcoporum Italiæ Senatum Cardinalium instituere. Potuisse hoc fieri, inquit Bellarminus, & recte factum esse in dubium revocari non potest. Nam non tenetur Pontifex hos magis quam illos in Concilium adhibere. Deinde hac ratione multa commoda consequuntur. Primum est quod habeat Sunimus Pontifex Senatum in promptu; ita ut possit etiam singulis diebus, si velit, de rebus grauiissimus deliberare. Alterum quod hoc faciat sine detimento Ecclesiarum quibus absentia Pastorum perniciosa est. Tertium quod habeat consiliarios magis instructos & exercitatos, cum hac sola & assidue tractent. Hæc Bellarminus clarissime & grauissime aduersus quæ nihil habes quòd obijcas: tamen obmurmuras libro quarto, cap. quinto, numero trigesimo sexto, & in horum verborum refutatione varias paginas consumis. Primo inculcas tuum illud solleme dictum, scilicet te demonstrasse regimen Ecclesiæ vniuersalis in Papa nullum esse. Quo responso Cardinali dignitas supra Episcopum non minus à te conceditur, quam supra Ecclesiæ Christi loco Monarchiæ Pontifici,

24.

Bell. L. I. de
cler. c. 16.

SÍO MONARCHIAE ECCLESIASTICAE,

fici, at Monarchiæ institutione nihil in sacra scriptura illustrius : exercitio illius perpetuaque praxi nihil in Ecclesia notius, ut iam satis ostendi: Secundo veros Cardinales Romanæ Ecclesiæ Canonicos Lateranenses, & de iure Romani Pontificis Consiliarios vocas, & eos è tanta dignitate, summa cum iniuria deiectos valde te dolere dicis. Nimirum Canonicos Lateranenses in Cardinales libenter accenderes, qui neque tam vel impij vel stolidi sunt, ut quo ipsi particularis Episcopi consiliarij sint, Romanam Ecclesiam regimine totius Ecclesiæ quod semper obtinuit spoliatam velint. Tertio dicis in gravioribus negotijs suissemper morem ut synodos maiores vel minores cogeret ipse Papa suorum Episcoporum, & simul cum ipsis ad suffragia eorum deciliua rem definiret & iudicia exerceceret. Hæc tu:res quas Bellarminus clarissimè distinxit confundens, sunt enim Concilia Ecclesiæ quædam generalia, ad quæ Episcopi omnes conuocandi sunt, in quibus decreta suffragio quidem decisio, tamen sententia ultimæ Pontificiæ subordinato stabiliunt. Alia sunt Concilia nationalia, in quibus tamen agitur, de negotijs ad Ecclesiæ alias pertinentibus, qualia olim ante stabilitum consistorium Cardinalium, Romanii Pontifices conuocabant. In his concilijs reliqui Episcopi non nisi consiliarij erant, iusque suffragij decisiui in solo summo Pontifice erat, neque enim singuli Episcopi de reliquis Episcopis & Ecclesijs iudicare ex propria potestate possunt.

25. In harum autem synodorum qui consilij gratia vocabantur non generalium successisse senatum Cardinalium & iure meritoq; successisse probat Bellarminus tribus argumentis, seu commodis inde natis, quæ quoniam rationibus infirmare non potes, ad maledicta conquerteris I.4.c.5.n.40. *Cardinalium, inquis,*

quis, non Episcoporum consistorium à Papis est substitutum, ut iam soli omnia negotia tanquam absoluti Monarchæ peragerent: & ad speciem tantū externamq; solam synodi formam, Consiliarij absque decisiō suffragio vterentur. Et interim ipsi Pontifices quod ipsis luet facerent: Nam si Episcopos synodaliter adhiberent; non quod voluntas aut libido Papæ conatur, sed quod plura suffragia Episcoporum statuerent, id esset peragendum. Iam verò solus Papa cum Cardinalibus, ipsius assentatoribus nō consiliarijs; si Deo placet, Catholica vocatur Ecclesia. O misera tempora! Hæc tu Antoni: & sanè misera sunt tēpora capitis tui canis asperfa, quibus tam parum sapientiæ inest, vt nunquam tibi ipsi constes, & omnes tui similes temerè arbitreris. Scilicet Episcopi in synodis Romanis Pontificiè cupiditati præclarè resisterent, si verum sit quod dicas, eos Romanæ Monarchiæ tyrannidem exercenti etiam in concilijs generalibus gementes inuitosque aplausisse. Illustrissimi verò Cardinales non multum curare debent, quod assentatores à te audiant, cui servilis hæc & abiecta affectio ita insita est, vt ab ea neminem credas alienum, neq; quidem viros præstantissimæ sanctitatis. Quid enim sanctius in Ecclesia post Apostolos fuit Athanasio, Catholicisque Episcopis Aegyptijs illius seculi, à quibus aduersus Arianos, Christi diuinitas fuit potissimum propugnata? De quibus quia in Epistola quadam, Romanum primatum videtur agnoscere, postquam fidem Epistolæ vocasles in dubium, ita scribere non vereris l. 3. c. 12. n. 55. Etiam si, inquis, vera esset & authentica Epistola, adulantur illi Episcopi nostro Papæ, illius ope indigi. Si S. Athanasius adulator Papæ fuit, non erunt multum reprehendendi Cardinales, si Papæ assentiantur, inuitati tantæ doctrinæ & sanctitatis exemplo; Nec parcis Catholicis Principibus, qui Cardinalibus cedunt, de quibus eodem c. nu. 32. Vers Principes, inquis,

nō soliti sunt huic dignitati se prostituere. quod si qui se abiecte submiserint ut Cardinalibus primas sponte deferrent; aliquo certe morbo laborarunt, vel levitatis vel assentationis; vel in angustias detrusi, ac opis curia Romana indigii, ab blanditiis sunt. Numquam Antoni de viris sanctissimis & principibus ista suspicatus fuisses, nisi pectus tuum, Regis Angliae indigum, ad omnem assentandi libidinem proiecta seruitus occuparet.

26

Tertium iam restat discutiendum an his constitutis in Ecclesia Cardinalium officijs, Episcopis quo ad locum & dignitatem sint preferendi. In primis quod spectat ad ordinis potestatem: certum est Episcopum Cardinali presbytero, nedum Diacono, superiorem esse. Atq; hac consideratione, quiuis Cardinalis Presbyter vel Diaconus regibus antestat ut per se patet. Quare tu, l. 4. c. 5. n. 32. sine causa in Bellarminū inueheris, quod Presbyters regibus, preferat sacri ordinis dignitate, quia hinc, inquis, ipso Cardinale vix puto id concedente, Triobulares quiuis Presbyteri qui in foro quotidie prostant ut missificent venales, maximis Regibus, prorsus aequaliter; Prorsus autem, nec parres tantum, sed etiam superiores. neque hoc egrē tibi Bellarminus concedet, sed vltro fratrebitur. Imò si neges, patrum testimonijs, & necessarijs argumentis, sacerdotium regia dignitate longè quid diuinius esse, addicet. Quæ dignitas non ut tu inepte putas, ex diuinarum affluentia nascitur, nec inde maior efficitur, sed ex Sacerdotij Christi secundum ordinē Melchisedech (cuius quiuis Sacerdos etiā triobularis particeps est) maiestate, quamuis Sacerdotes qui venales in foro, ad missificandum prostent hactenus non vidi, suspicorque te, qui tam præclarè sycophantem agis, de prostibulis & prostitutis non nisi somniare.

27

Secundò certum etiam est, quoad iurisdictionem in propriam Ecclesiam, Episcopum Cardinali præstare;

stare; quia habet Episcopus iure quidem diuino tamē ad summum Pontificem subiecto, amplissimam in sua Ecclesia potestatem. At Cardinalis cum in sua titulari Ecclesia sit quasi parochus, Episcopo subiectus, non potest nisi quantum ei Episcopus permisit. Atque ita, si consideremus potestatem Ecclesiae ordinariā diuinitus institutam, siue ordinis, siue iurisdictionis Episcopus superat Cardinalem. Neque tamen hinc inferas quod tu infers l. 4. c. 5. n. 60. fieri non posse ut Cardinalis Presbyter Episcopo superior sit. *Hoc ipso, inquis, quod Cardinales sunt meri Papae adiutores Vicarij & Ministri, in ijs quæ ad generalem superintendentiam Ecclesiarum spectant, optimè colligimus eos esse Episcopis longè inferiores, qui propriam habent iure diuino & primariam potestatem, & non sunt Papæ Vicarij aut locum tenentes, sed Christi.* Verūm hæc ratiō non concludit. Possunt enim Vicarij alicuius supremi Principis & Monarchæ, præcedere Principes, illi cuius Vicarij sunt, subordinatos, qui propriā habēt iurisdictionē à nulliº Principis humani solo bene placito depéndentē. Hoc modo, videmus solere Proregē duces & alios magnates regni præcedere. Itaq;, considerāda sunt officia Cardinaliū propria, quæ nō diuinā quidē sed tamen Ecclesiasticā institutionē habēt: & inde colligendū, sintne Episcopis inferiores?

Primum officium Cardinalium diximus esse, vt ipsi soli Pontificē eligant, quod ius cū postremis his sex seculis fuerit ad ipsos deuolutum; mirum nō est si creuerit Cardinaliū dignitas. Quā rationem ab Illustrissimo Bellarmino allatam quia nō intelligis, l. 4. c. 5. n. 37. & 38. cum Cardinalatū suum præclare defendere ex sola paucitate, nō ex se aut ex proprio gradu, quod impugnas, quia Electoratus ex eo, quod sit in paucis vel in multis, non efficitur in se melior, sed sola opinione hominum: affersque illud Hieronymi. Omne

quod rarum est, plus appetitur; pulegium apud Indos pipere
preciosius est, Diaconos paucitas honorabiles, Presbyteros
turba contemptibiles facit. Hæc, Antoni, non dices, si
rerum conditiones nosses distinguere, quænam sci-
licet ex paucitate fiant reuerâ meliores, quænam so-
la æstimatione hominum. Regia dignitas quid est
nisi supremum ius regiminis, & vitæ & necis pot-
estas à republica ad vnum redacta, qui quidem vnis
priusquam rex eligeretur ius vitæ & necis vna cum
cæteris habebat. Et tamen, quis mentis compos ex
hac supremæ potestatis per totâ Rempublicam dif-
fusæ deuolutione ad vnum, negabit illum vnum fie-
ri potentiorem maiorisque dignitatis, non inani ho-
minum opinione, sed etiam reuera & in oculis Dei?
Itaque res potest ad paucos redigi dupliciter, Primò
per extincionem illius in plurimis indiuiduis, quæ
prius participabant ipsam: Ita natura humana tem-
pore diluuij redacta fuit ad paucos, & hæc redactio
rei ad paucitatem, non facit eam propterea meliore,
nisi sola hominum opinione. Secùdo modo, potest
res ad paucitatem vel angustias redigi, non per ex-
tincionem illius in vlo indiuiduo, sed quia tota
quæ fuerat in pluribus diffusa, in vnum aut paucos
colligitur: Hoc modo aquæ quæ in prima mudi mo-
litione faciem terræ oppleuerant, in vnum locum
redactæ fuerunt: nec dubitari potest; quin ille locus
in quæ aquæ sint vniuersæ congregataæ, plenior aquis
redditus sit, quam prius extiterat; Quapropter reda-
ctio rei ad paucitatem hac via, semper reddit illos
paucos ad quos solos redigitur, rei illius possessione
pleniores. Igitur, Antoni, cum ius summum Pontifi-
ficem eligendi redactione ad solos Cardinales nō sit
extinctū, sed quicquid iuris in clero prius, populo-
que Romano & Imperatoribus extiterat, sit in illis
paucis constitutum; quis non videt Illustrissimos,

Car-

Cardinales officium quod prius cum plurimis habebant iam solos plenius & perfectius possidere? Iam per se posse, quod prius non poterant; atque adeo electoratus officij factos esse plenissima possessione, digniores? Quod sanè officium cum augustissimæ iurisdictionis sit, per quam Cardinales vnum ex Ecclesia cogunt, ad regimen vniuersale suscipiendum; Ecclesiamque totam obligant, ut ei tanquam supremo pastori Christiq; Vicario pareat, concluditur, Episcopo, non electori, Cardinales meritò præferendos esse.

Alterum officium Cardinalium est, 23 vt Romani Pontificis in regimine totius Ecclesiæ consiliarij sint & coadiutores, quo in officio tanquam summi Pontificis Vicarij Episcopos particularium Ecclesiarum iudicent. Hanc dignitatem in Cardinalibus S. Bernardus agnoscit, de confid. ad Eugen. l. 4. *Veniamus ad collaterales tuos: hi seduli tui, hi intinui tui. An non eligendi de toto orbe, orbem iudicaturi?* & ep. 188. ad Cardinales, Nulli dubium est, inquit, quin ad eos specialiter spectet tollere scandalum de regno Dei; surgentes succidere spinas, sedare querelas, &c. & infrà: *Agite pro loco quem retinetis pro dignitate qua polletis, pro potestate quam accepistis.* Igitur cum Cardinales sint iudices orbis, vniuersæque Ecclesiæ atque adeo Episcoporum, quid mirum si Cardinalibus Episcopi locum cedant digniorum? Tu respondes, Episcopos à Cardinalibus non iudicari nisi per abusum; quod libro tuo octauo, fortassis ad Calendas Græcas edendo, te demonstratum promittis; Interim Cardinales in sua supra Episcopos dignitate permaneant.

Atq; hæ duæ solidæq; cause sunt, cur Cardinaliū dignitas meritò creuerit; tu tertiā singis, & Bellarmino assingis l. 4. c. 5. n. 41. *Quid tibi videtur, inquis, elector, de illa Bellarmino causa, cur Cardinales sint maiores*

Episcopis, quia nimirum creuerunt negotia Romana Ecclesia: præsertim cum accessisset Principatus temporis lis. Vere enim Cardinalitia dignitas, ex Dominio temporali Papa plurimum aucta est, qui Regum & magnorum Principum filios allicit, ut fiant Cardinales; hoc est, vnius magni temporalis principis, socij & eiusdem principatus candidati. Cur ergo, inter Ecclesiasticas viros, in ordine Ecclesiastico ponimus? Cur Episcopus vera potestate Ecclesiastica, & primatu spirituali vero præcellentibus propter laicum & temporalem primatum Cardinales præferimus? ita tu, delirantiū ritu, turres in aere struis, & destruis. Audis à Bellarmino nominari temporale Papæ Principatum; statimq; tibi venit in mente dicere Bellarminū, ex temporali Papæ primatu Cardinales ortos fuisse, indeq; cōcludis non nisi temporales principes esse. sed nunquam perspicue disputantem Bellarminum (quæ tua cæcitas est) intelligis. Non enim dicit ille caūsam cur Cardinales maiores sint Episcopis, hanc esse, quia nimirum creuerunt negotia Romanæ Ecclesiæ addito præsertim temporali principatu. Ita enim concludere, non ratiocinari sed delirare esset; Quæ est enim ista consequentia? creuerunt negotia Romanæ Ecclesiæ; ergo Cardinales sunt maiores Episcopis. Hoc dicit Bellarminus, negotia Romanæ Ecclesiæ indies aucta & crescentia iustam causam Romano Pontifici præbuisse, vt fixum sibi senatum ex viris Ecclesiasticis rerum diuinarum peritis, & in causis Ecclesiarum exercitatis adlegeret: hunc senatū, (cum non posset ex solis Episcopis constare quorum absentia à gregibus pernicioſa futura esset,) debuisse ex alijs clericis constitui: hos autem clericos, (cum negotia totius Ecclesiæ grauiſſima, vt sunt summi principis elecțio, Episcoporumq; iudicia tractent,) non potuisse iurisdictione seu potesta-
re regiminis Episcopis non præstare.

Quod

Quod autem tu Pontifici ad promittis Canonicos lateranenses futuros optimos illi consiliarios Cardinalium loco, atq; adeo si detur Pontificatus vniuersalis Episcoporum incorruptos iudices; non hoc ex iudicio sed ex affectu dicis: nec ex ullo in Canonicos amore, sed ex summo in Cardinales odio: ex quo etiam ibidem nu. 41. exclamas. Deus bone, quia pars Cardinalium Ecclesiastico munera idonea est? & paulo post, ad mentiendum & maledicendum effusus. Non opus est, inquis, me dicere de Coccinatis nostris, qui, & quidem pauci, Ecclesiasticos redditus tantos in suas delicias insument soli, quantus mille, credo, Episcopi in Ecclesia Christi egregie laborantes, comodè alerentur. Quæ sanè immensæ pecunia in Cardinalium inutilium luxus ex Christi patrimonio inutiliter impensa, tota alioqui posset in pauperes, & debellationem tyrannorum infidelium cum fructu incredibili impendi. Hæc tu; quia Episcopus es, pro Episcopis in Cardinales dicis, quasi Cardinalium vniuersi, Episcoporum nulligenio indulgerent. Quæ tua oratio in Cardinalibus accusandis nimia, & immodesta, utnam saltem qua parte laudas Episcopos veri se finibus contineret; illasq; Episcoporum egregie in Ecclesia Christi laborantiū myriadas tam facile ostentare posses. Ego vero ut his Ecclesiæ Catholicæ luminibus neutris derogem, ita pronuntio: ut posse inter Episcopos reperiri proditores & perditos; antiquum Iudas, tu, nuperum argumentum es: ita Cardinales plurimos qui singulari sanctitate præfulgeant, pietate quæ purpura clariiores, norunt qui Cardinales intimè norunt vniuersi. Neque tu immensa opulentia in Cardinalibus tantus admirator, in sacro Senatu virtutum exempla requireres; nisi opibus eorum potius quam virtutibus inuidisses; nisiq; delicias, quibus inhias, curiosius quam corporis afflataiones quæ tibi minimè arridebant in ipsis obser-

uasses; nisi denique pecuniam à nonnullis interdum
in suos usus fortassis magnificè profusam exactius,
quā benignitā ē in Christi pauperes, in templo, alta-
ria, aliaque id genus pietatis monumenta à plurimis
quotidie copiosē effusam numerasses. Et mea sanè
sententia Cardinales dum vituperare vis, nō medio-
criter illustras: siquidem conuitia hominum turpiū
in laudibus computanda sint. Aduersus quas calum-
nias tuas, tuo clypeo Cardinales se facilè munit;

quodq; tu nobis, hoc tibi à Cardinalium unoquoq;

Prefat.n.9. dictum puta. *Si quis spurci oris homuncio, è rabularum*
face proreptans, in me maledictorū virus exornat; ac men-
daciorum à se vel ab alijs confectorum portenta immittat:
se profectò delassabit, chartas frustra conspuer; me nō feriet,
non petet; contra absurdum, surdus esse statui.

E P I L O G V S.

ATQVE hic finio, M. Antoni, tibiq; luxus Cat-
dinalitij Critico, Londinenses delicias tuas cō-
dono; nec vitæ tuæ sordibus re sensendis calamum
meū fœdo. Vitia doctrinæ tuæ detego, personæ tuæ
parco. Tuam in scribendo perpetuam oscitantiam,
liquidò commonstraui; Anarchiam inter Episcopos
destructam, Monarchiam in Petro Petriique succe-
sore Romano Pontifice stabilitam tuis principijs &
dictis exhibui. Tibi me præstiti aduersarium qua! ē
optabas; non te conuijjs, non verborum quisquilijs, non
phrasium inanijjs, sed rationum nodis, syllogismorum
retibus, contradictionum tuarum laq; ieiis, implicati-
ui. Utinam tibi ad salutem profit hic meus labor, &
doctrinam quam nescius & inuitus asservisti, iam
sciens & volens amplectaris, veritatique à qua velis,
nolis, vinceris, & vinciris, tua sponte te victū, & vin-
ctum dedas. Ad quod pluribus hortarer te, nisi te vi-
derem in felle amaritudinis erga summum Pontifice,
& in

& in obligatione peccati esse; criminisque in Spiritū sanctum commissi reum, agnitus veritatis osorem; nisi denique spem de te mihi propemodum omnem eriperet dictum Chrysostomi. Audi Fidelis, qui cum here-Chrysost.
tico contendis, si Pharisæi placati sunt; & in certando cum s. homin. 37.
heretico potes eum placare, si viceris; Nunquid tu Christo
fortior es! ut quos ille non placauit, tu places?

Igitur quia salutem tuam iam facilius opto quam spero, laborem scriptio[n]is meæ alia cogitatione consolor; nimirum lectoribus profutura quæ scripsi, vt tua velut iam confutata projiciant, quæ te postmodum editurum esse promittis. Dictorum tuorum repugnantias plusquam trecentas, in hoc opusculo tibi obijcio clarissimas expressasq[ue]; quæque doctrinæ tuæ fundamenta attingant: librum, caput, numerum adnoto, quo dicis & contradicis; vt, si mala fide tecum agam, falsarium me arguere facillimè possis. Quod si non potes; quis te Romanam Ecclesiâ impugnantem vastis voluminibus non conténat & rideat; ita vel ab intelligentia & memoria destitutu[m], vel à Deo spiritu vertiginis percussum, vt nunquam illa in re tibi ipse contentias? Itaque, si iam satis in levitatis & inconstantiæ tuæ freto agitatus es; ad Catholicam Petram reuertere, ubi nec à Christo, nec ab Ecclesia, nec à teipso dissideas. Quod si turbatæ mentis tuæ in Pontificem iracundi flatus à Catholicæ Ecclesiæ si nū in perpetuum te auerterunt, delatusq[ue] in præsumendum iam contemnis, in æternum vale. Mibi ron[u]m plius tecum certare certum est, donec didiceris tua dicta scriptaque melius expendere, & aliqua saltu ratione constare tibi.

Quæ scripsi, Censura sanctæ Ecclesie, Catholicæ Apo-stolice Romana subiecta sunt,

F I N I S.

ERRATA HAE C RENE VOLVS
Lector ante lectionem libri corriget, & quia errare humanum, excusabit.

Pag. 6. lin. 24. aut Reg. le. aut Resp. p. 8. h₂. exerceat le. ex-
ercent p. 8. l. 5. debere. le. debere p. 12. l. 23. apertū le. aperte p.
13. l. 19. posuit le. ponit p. 17. l. 5. mentitus es le. mēntis es p.
26. l. 11. dominantur le. dominantes p. 37. l. 14. vocatos & ne-
mole. vocatos, nemo p. 42. l. 18. nec dubitatis le. nec dubitā-
ter p. 52. l. 28. subiectiendis le. subruendis p. 55. l. 27. non le. nos
p. 56. l. 2. deceptos le. deceptores p. 17. l. 23. commissā. le. cō-
missā? p. 67. l. 17. transcursiuē le. transcursim p. ib. l. 19. trans-
cursiuē le. transcursim p. ib. l. 35. extat le. erat. p. 80. l. 7. ipse-
met leg. ipsomet. ibi. l. 30. Ille le. illa p. 81. l. 7. tribus le. tribui.
p. 89. l. 16. & le. est p. 95. l. 1. cōmunis le. communes p. 98. l. 14.
assertionibus le. assentationibus ibi. l. 15. praeuidit le. pro-
uidit p. 99. l. 16. apertissimē. Secundum le. apertissimē secun-
dūm p. 123. l. 18. requiritur le. requirit p. 125. l. 5. dieo le. dicit
p. 142. l. 30. offudisti le. effudisti p. 146. l. 8. verissimum le. va-
niissimum p. 168. l. 26. qui eam le. quia eam p. 177. l. 23. primā-
tus le. Primatis p. ib. l. 24. Primatus le. Primatis p. 178. l. 3.
spiritu le. sparto p. ib. l. 16. agnoscere le. agnoscete? p. 179. l. 2.
colligit le. colligop. 186. l. 4. Monarchiam le. Monarchiam p.
194. l. 28. omnibus. Quam le. omnibus, quam p. 209. l. 2. ag-
noscit le. agnoscis p. 211. l. 9. vt lubet accessitatem le. vt lu-
bet (quæ ramen nulla est) necessitatem. p. 224. l. 8. sed le. aut
p. 252. l. 18. episcopali le. presbyterali p. 254. l. 2. materiē le.
oratoriē p. 256. l. 34. in verbis le. inuentus ibid. l. 35. perdant
le. perdat p. ib. 36. ordinantur le. ordinatur p. 257. l. 6. etiā le.
sed etiam p. 262. l. 14. animal le. animal videtur p. 262. l. 35.
flagrat le. flagitat. p. 267. Caput primū le. Caput secūdum p.
273. l. 6. in quā quasi physica le. physica p. 274. l. 17. in Christo
le. à Christo p. 276. l. 19. male le. inde p. 278. l. 29. extrin-
seco le. intrinseco p. 289. l. 31. probatione le. prolatione. p.
300. l. 3. Cui Apostolos le. cui post Apostolos p. 313. l. 12. cessat
le. certæ p. 321. l. 20. dicas le. dices p. 324. l. 12. celsa le. certa p.
332. l. 25. miteris le. niteris p. 333. l. 1. posuit le. potuit p. 381. l.
17. merit le. veri p. 391. l. 9. quare le. quale p. 394. l. 4. per com-
parationē ad le. per comporationē ad actus quam ad p. 405.
l. 16. quādo le. quamdiu p. ib. l. 31. fungitur, Regimen le. fun-
gitur, ac hoc in casu regimen p. 409. l. 7. tribus le. duobus p.
ibid. l. 9. erat. Sed le. erat, in Africa nō agnoscere scandalum
haud

haud erat. Sed p. 411.l.12. Non igitur in le. Non igitur ab eo
in p. ib.l.2. Monarchia le. Monarchicæ p. 413.l.21. quoad
le. vsque ad p. 420.l.17. constitutæ le. constituit p. ib.l.18. affi-
gnæt le. assignat p. 416.l.7. vbinam le. vtinam p. 418.l.18. resti-
titut le. restitut p. 421.l.11. ibi & le. ibi: ac p. 422.l.27. est le. esse
p. 435.l.27. infirmata le. confirmata p. 447.l.1. conciliū esse
le. concilium se esse p. 450.l.34. admirari non le. admirari sa-
tis non p. 451.l.1. assentiri le. assentari p. 459.l.33. erant con-
stitutæ le. erant bene constituta p. 460.l.11. velabat le. vetabat
p. 470.l.28. statum le. litem p. 470.l.28. legem le. lege p. 483.
l.1. primatum iurisdictionis le. primatum non fidei sed iuri-
isdictionis p. 489.l.7. indidit le. tradidit p. 494.l.22. dubi-
tat le. dubito. pag. 518.l.4. monumenta, leg. monumenta.



